
3 1761 07833895 1

THESAURUS RESOLUTIONUM

Sacræ Congregationis

CONCILII

Tridentini, ac Juris Canonici ſanctionum Interpretis

MUNUS

A Secretis ejuſdem Sacræ Congregationis

OBEUNTE

R^MO^ P. D. FURIETTO

PRODIERUNT

In cauſis ſub anno 1753. *propoſitis*,

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis, ac aliis in Eccleſiaſtico foro verſantibus apprimè utilis, & neceſſarius.

TOMUS XXII.

Duplici locupletiſſimo Indice exornatus


AB

ANTONIO MARIA DE NIGRIS
Juriſconſulto, & in Romana Curia Advocato.



ROMÆ MDCCLIII.

Typis, & Sumptibus Hieronymi Mainardi in Platea Agonali
Superiorum facultate, & Privilegio Sanctiſſimi.


LIBRARY
SEP 10 1963
UNIVERSITY OF TORONTO

INDEX
TITULORUM

Causarum omnium, quæ anno 1753. Sacr. Concilii Congregationi propositæ fuerunt.

Seno-

Die Sabbathi 13. Januarii 1753.

In Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.



NEAPOLITANA, SEU CASTRI MARIS MATRIMONII. Dedimus ſpeciem omnem, rationeſque hujus Cauſæ a Philippo Giordano propoſitas *in folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 2. *Decembris* tranſacto nuper *anno* 1752. Reſcripſerunt Eminentiſſimi Patres *dilata, & ſcribat defenſor Matrimonii*. Scripſit hic, ut credimus, ideoque perpenſis, quæ ipſe proponet, & repetita lectione illius Folii, potuerunt nunc Ampliſſimi Patres dubium expedire. *Seſſ. 24. cap. 1 de Ref. Mart.*

An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes juxta inſtructionem.

SENOGALLIEN. CANONICATUS. Poſtquam Cauſa hæc definita fuerat in *Congregatione* habita *die* 19. *menſis Auguſti* ſuperiore *anno* 1752 Dubioque, quod erat: *An Canonicatus de jure patronatus de Luchis ſit tantum clericalis in caſu &c.* reſponderat Sacrum Tribunal *negative*, petentibus Soprano, & Baldaſſino, ut *audirentur*, iterum data fuit in *folio Congregationis* habitæ *die* 18. *Novembris*, ſed iiſdem poſtulantibus *dilationem*, reſponderunt Eminentiſſimi Patres: *Dilata, & proponatur omnino in prima poſt proximam*. Obſequimur itaque imperio Ampliſſimorum Patrum, & cauſam damus, ut reſpondere poſſint. *Seſs. 24. c. 12. de Ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

SYRACUSANA INDULTI. Hæc quoque Cauſa imperio Eminentiſſimorum Patrum proponitur, qui in eadem *Congregatione* habita *die* 18. *Novembris* Parocho dilationem poſtulanti reſcripſerunt *Dilata, & proponatur omnino in prima poſt Reges, etiam unica*. Nunc itaque expediendum eſt dubium. *Seſs. 23. cap. 1. de Ref.*

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro conceſſione Indulti in caſu &c.

Arbitrio Epiſcopi.

NOLANA PAROCHIALIS: Ampliſſimum nemus decem, & octo paſſuum millibus circumſcriptum, & a Territoriis finitimorum locorum Ottajani, Scafari, & Turris Annunciatæ diſtinctum, quod Neapolitani Reges venationum gratia in pretio habuerunt, unde nomen illi indictum eſt *di Boſco Regale*, initio ſuperioris ſæculi cum privati juris factum fuerit, homines, *Seſs. 21. c. 4. Seſſ. 24. c. 3. de Ref.*

nes, agnita soli ubertate, cælique temperatione, exciderunt, & Pagum, seu, ut vulgo dicebatur *Casale di Bosco* ædificarunt. Cum vero in illis rerum omnium angustiis non possent Episcopi Nolani Tridentini præceptis obsequi, & novam Parochiam in amplissimo illo latifundio constituere, ut Populi succrescentis curam gereret, satius duxerunt illam concedere, & commendare viciniori Parocho Turris Annunciatæ, a qua Pagus ille distabat tribus passuum millibus. Scimus hoc ex relatione Episcopi, & Capituli Nolani data ad Sac Congregationem Episcoporum, & Regularium Negociis, & Consultationibus præpositam anno 1653. Cum enim ex cognitissima Constitutione Innocentii X. Pontificis Maximi, cujus initium est *Instaurandæ* suppressi fuissent in Diœcesi Nolana tres parvi Conventus, Sacra illa Congregatio audire voluit Episcopum, Capitulumque Nolanum, ut resciret eorum consilium de bonis trium illorum Conventuum. Responderunt autem ex bonis unius ex illis „ e utile, e necessario fondarne una Chiesa Parochiale nel „ Casale di Bosco, la cui Cura di anime si trova concessa, e commendata al „ Parocho della Terra dell'Annunziata distante tre miglia, e per la stessa lontananza non può attendervi, e il Popolo di Bosco moltiplicato d'anime ne „ patisce notabilmente „. Episcopi, & Capituli Nolani consilium probavit Sacra illa Congregatio, & Apostolica authoritate confirmavit Summus Pontifex. Ignoratur autem, qua ratione erectio novæ Parochialis facta non fuerit bonis illis, itaut Parochus Turris Annunciatæ, qui ex Ordine Cælestinorum est, curam novi hujus populi prosequutus fuerit.

Quod scimus est, aucto in dies Accolarum numero ultra infinitas pene casas, & mapalia dispersa huc illuc per amplitudinem latissimi illius latifundii decem, & octo milliariorum, alios quatuor Pagos a collecta multitudine ædificatos fuisse, quorum unus nuncupatur *la Taverna di Basso*, alius *San Francesco*, alius *il Piscinale*; alius *gl' Aquini*; quintus vero, qui omnium primus fuit, mutato veteri nomine *Casale di Bosco* ad vitandam confusionem cum alio vicino *Casale di Bosco*, seu *Bosco tre Case* sito in Archidiœcesi Neapolitana, a nomine totius Territorii *Bosco Regale* appellatur. Distant hi Pagi ab Ecclesia Parochiali Turris Annunciatæ, alii tribus, alii quatuor, alii quinque millibus passuum, & licet Patres Ordinis Cælestinorum, e quorum numero, ut diximus, est Parochus Turris Annunciatæ, retineant in Ecclesia S. Francisci, quæ sita est in uno ex iis quinque Pagis, quæque pertinet ad Patres Conventuales S Laurentii Civitatis Neapolis, unum ex iisdem Patribus Conventualibus, qui in universo illo latifundio, & quinque locis, quæ in eo sunt, Oeconomi officium exercet, divisis emolumentis, & juribus inter Patres Cælestinos, & Oeconomum, non potest tamen his omnibus illorum Populorum necessitatibus occurrere, unde plurima in dies eveniunt scandala, pericula Animarum, & Divini Cultus diminutio. Ecclesia siquidem illa S. Francisci, in qua est Oeconomus, cum non excedat amplitudinem *privati cubiculi*, impossibile est, ut excipere posit populum, qui quotidie excrescit, & proximo censu numeratus fuit ad Capita plusquam duo milia: hinc cum ad audiendas prædicationes, explicationem Sacri Evangelii, & Cathecheses non posit in ea Populus contineri, consequens est, ut pueri ipsa Fidei rudimenta ignorent, & Populus universus rudis sit, & maxima Dogmatum ignoratione versetur. Idque locum habet, etiam si posset Oeconomus his officiis incumbere, at cum distractus sit a cura animarum numerosi Populi habitantis in quinque diversis Pagis, & in casis, & mapalibus dispersis per amplitudinem latifundii, atque huc illuc necessario cursitare cogatur, non potest prædicationes, cathechesim, aliaque munia Parochialia explere.

Illud etiam accedit, quod cum Baptisma conferatur in Ecclesia Parochiali Turris Annunciatæ, a qua Pagi, & casæ ita distant, necesse est hyberno præsertim tempore, quo gelu, nive, pluviis, ventisque horret hyems, differre per plures dies Baptismata, & expectare clementiam Cœli, ne tenelli infantes ob paupertatem parentum contra injurias aeris male muniti, aut in

itu,

itu, aut in reditu misere pereant, prout sæpe evenit. Infirmi quoque sæpius sine Sacramentis, & sine ulla Oeconomi ope decesserunt eo distracto aliis negociis, vel pluribus eodem tempore ægrotantibus; itaut impossibile sit, ut Oeconomus omnibus præsto esse possit in tanta Territorii illius amplitudine, quantam fert ambitus decem, & octo millariorum. Neque levius est in matrimoniis contrahendis periculum, quorum denunciationes cum fiant in Ecclesia Parochiali Turris Annunciatæ, in quam populus Territorii *di Bosco Regale* numquam convenit, non perveniunt ad aures eorum, qui habitant in quinque Pagis, quique impedimenta, si qua adsint, soli scire possent, nisi postquam matrimonia contracta fuerunt: Unde inutilis remanet Tridentini providentia reperta ad vitanda matrimonia in gradibus prohibitis. Hæc omnia moverunt pietatem, animique religionem Sthephani Marini Principis Striani cui nuper magna pecuniarum vi quæsitum fuit dominium Territorii *di Bosco Regale*, ut Populi illius necessitati consuleret. Preces igitur obtulit Episcopo Nolano Visitationem agenti, quibus petebat novæ Parochiæ erectionem. Has preces offerri jussit Episcopus Sacro huic Tribunali, iisque oblatis, rescriptum fuit, ut solet fieri, *Episcopo pro informatione, & voto, audito Parocho*.

Quæ hactenus ex facto narravimus de locorum distantia, Incolarum numero, periculis, diminutione divini cultus, malisque moribus novi Populi *di Bosco Regale* comprobantur testificationibus Parochi, aliorumque novem Sacerdotum vicini Oppidi *Casale di Bosco*, *seu Bosco tre* Case, obstreticum, aliorumque septem testium, & præcipue relatione Regii Gubernatoris Turris Octavæ, seu *del Greco*, cui munus hoc datum fuit a R. P. D Cappellano majori, Populus offert congruam pro novo Parocho in juribus stolæ, quæ ipse solvit; si quid desit, supplere paratus est Princeps annuis suis redditibus ducatorum quadraginta, servans sibi jus nominandi Parochos. Patroni quoque Ecclesiæ *di Monte Vergine*, quæ cæteris omnibus aptior est, & commodior, eam concesserunt Principi Striani, non ut in illa constituantur ulli Oeconomi, sed, ut nova Parochia in ea erigi possit. Audito igitur Episcopo, causa nunc proponitur, & disputat Princeps Striani, atque homines latifundii *di Bosco Regale*, qui ad causam venerunt, non versari nos in dismembratione, sed in erectione novæ Parochiæ ex Decreto Tridentini, quo cautum fuit, ut in iis locis, in quibus nullæ sunt Parochiales, Episcopi quam primum fieri curent, non obstantibus quibuscumque privilegiis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus: nullam fuisse Parochiam in latifundio *di Bosco Regale*, cum illud feræ, avesque tenerent, antequam homines, excisis nemoribus, soloque subacto, illud incolerent, neque ullam esse, cum hoc latifundium numquam fuerit intra fines alicujus Parochiæ: Parochum vero Turris Annunciatæ numquam fuisse verum, & proprium Parochum novi Populi, qui Territorium *di Bosco Regale* incolere cæpit, cum ab Episcopis Nolanis, quibus impossibile erat ob angustias omnium rerum obsequi Decreto Tridentini erigendo Parochiam, delegatus tantum fuerit ad exercendam curam illarum Animarum, quæ ipsi, uti viciniori commendatæ fuerunt, ut liquet ex responso Episcopi, Capitulique Nolani dato anno 1653. ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium Negociis & Consultationibus præpositam, itaut omnes actus facti a Parochis Turris Annunciatæ nullum iis dare potuerint Jus Parochiale, cum facti fuerint jure commendationis, & delegationis semper, & quandocumque impleri posset Tridentini Decretum, revocabilis ab Episcopis Nolanis.

Quod si etiam dici posset Parochos Turris Annunciatæ jus Parochiale acquirere potuisse, & habendos esse pro veris, & propriis Parochis latifundii *di Bosco Reale*, semper tamen dismembrationi locum esse debere ob magnam distantiam quinque Pagorum ab Ecclesia Parochiali Turris Annunciatæ, magnoque Parochianorum incommodo qui ob eamdem distantiam ad eamdem Ecclesiam Parochialem non accedunt, & ex eadem distantia, magnoque incommodo eve-

eveniunt mala illa, quæ supra retulimus. Disputant autem in his circumstantiis non esse locum deputationi aliorum Oeconomorum, cum hoc remedium ex Tridentini dispositione in casu distantiæ locorum non debeat exequi, præsertim cum non debeat experiri, sed expertum sit, cum adsit Oeconomus, & tanta experientia compertum sit inutile fuisse, cum mala plurima eveniant, pericula animarum remota non fuerint, mores Populi pessimi sint, Divinus cultus quotidie minuatur, Ecclesia ita inops sit, ita necessaria omni supellectili destituta, ut nisi pietate Principis Striani præstaretur id, quod necesse est cultui, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non posset ad infirmos deferri. Hæc atque alia late urgent Princeps, & homines illius latifundii: Neque a Patribus Cœlestinis, & Parocho Turris Annunciatæ, neque ab Universitate ejusdem Turris, quæ ad Causam venire voluit, ignoratur quo jure, quicquam habuimus. Dubium est.

An sit locus dismembrationi, seu erectioni novæ Parochiæ in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess. 14. c. 1. de Ref.

ROMANA MATRIMONII: Contracto *die* 8. *Januarii* 1750. Matrimonio inter Hieronymum Tozzium Advocatum Consistorialem, & puellam March. Lutgardam Andosillam querelæ illico auditæ sunt novæ nuptæ de inertia, & ignavia sui Viri, a quo inviolatam se, atque impollutam asserebat. Vir, si Viri nomen, qui ignavus est, & imbellis, ferre potest, re cum amicis, Medicisque collata, eorum consilio cibis, & potionibus usus est, quorum particulis nervorum ac masculorum actio, & sanguinis motus cieri potest, ut vulgo credantur, ad venerem aptissima. Cum nihil ex his Advocatus profecisset, expertus est Cajana balnea Viterbii nullo levamine. Desperatis igitur rebus, preces uterque Conjux obtulit Sacratissimo Principi nostro, quibus postulabant solutionem matrimonii. Data fuit ab optimo Principe cognitio causæ R.P.D. Vicesgerenti Emi Cardinalis Vicarii. Instructo processu, editæ fuerunt juratæ Conjugum declarationes, testificationes plurium Testium de querelis Uxoris, jus jurandum septimæ Manus Consanguineorum, & Amicorum, quibus omnibus idem Sacratissimus Princeps indulsit, ne formali examini subjicerentur; Conjugibus vero Interrogationes datæ fuerunt, fatente utroque imbecillitatem Viri. Periculum calentis aquæ omissum non fuit, tresque obstetrices a Judice electæ, inspecto Lutgardæ ventre, intactam eam esse, & Virginem retulerunt juratæ, & formiter repetitæ: quatuor non ultimi nominis Medicinæ, & Chirurgiæ Professores ab eodem Judice electi, bene inspecto Advocati corpore, retulerunt vitium esse intrinsecum, & masculorum, qui semiparalysi laborantes sanguinem cohibere nequeant, ne refluat, ut ita mentula turgescat. Vitium hoc nulla arte medicari posse jurati affirmarunt, itaut perpetua futura sit inertia, & imbecillicitas illius. Censebat Judex, ut cohabitatio, quæ annis jam duobus cum dimidio habita fuerat, ad integrum triennium protraheretur, sed Conjuges, adito Sacratissimo Principe nostro, obtinuerunt, ut Judex sententiam ferret *prout de Jure*, *& ac si elapsum esset triennium a die contracti matrimonii* Conjuges *dispensando ab ea longiori cohabitatione*, *quæ pro complemento triennii esset necessaria*, *quibuscumque contrariis non obstantibus*. Judex igitur sententiam tulit, qua pronunciavit locum esse solutioni matrimonii, potestate facta Lutgardæ ad alias nuptias veniendi, & interdicta Advocato facultate aliam ducendi Uxorem. Appellavit ab hac sententia *Defensor matrimonii*, Causaque ad hoc sacrum Tribunal delata, Conjuges, dato libello, ea, quæ retulimus, urgent, addunt alia, quæ Eminentissimi Patres legent in eodem libello. *A Defensore matrimonii* nihil habuimus. Dubium est.

An sit locus dissolutioni matrimonii in casu &c.

Affirmative.

CÆ-

CÆSENATEN. CAPPELLANIÆ: Cum ex defectu Patrimonialium Bonorum, & Beneficii Ecclesiastici ad Sacros Ordines promoveri non posset Clericus Simon Gualaguini, & annum ætatis ageret trigesimum secundum, preces obtulit Sodalitio *S. Mariæ Suffragii*, quibus petebat *volersi degnare d' assegnarli una Cappellania, o Officiatura quotidiana di questa loro Ven. Confraternita del Suffragio da ritenersi, fintanto che fosse proveduto per potersi con la medesima ordinare*, & sub eadem lege *da godersi da lui, finche sarà proveduto, o di Benefizio, o di altro &c.* Cappellaniam obtinuit a sodalibus, ejusque titulo ad sacros Ordines promotus fuit. Vacato demum anno 1750. Beneficio sub titulo S. Josephi quinti in Ecclesia Cathedrali, cujus Patronatus ad Rempublicam, sive Communitatem Cæsenæ pertinet, præsentatus fuit idem Simon Gualaguini, & possessionem accepit. Rati igitur sodales venisse casum, quo idem deberet Cappellaniam dimittere, eum hac de re rogarunt. Cum ille renuisset, adierunt extra judicium, qui Cæsenati Ecclesiæ præest, Episcopum, ut vellet jubere Gualaguinum dimittere Cappellaniam, utque declaret satis ei hoc Beneficio esse consultum: Renuit etiam Episcopus, ideoque sodales ad hoc Sacrum Tribunal venerunt eadem ab Eminentissimis Patribus postulantes. *Sess. 21. c. 1. de Ref.*

Auditus fuit, ut moris est, Episcopus, qui brevi epistola respondit: *In circumstantiis præsentis casus mihi videtur non esse locum pacto reversivo ejusdem Cappellaniæ per dictam Confraternitatem assignatæ Gualaguini ad effectum ad Sacros Ordines ascendendi, nec in ejus locum subrogari posse dictum Beneficium, utpote ex aliquo casu vel accidentali, vel defectuoso amovibili.* Causa nunc definienda proponitur, neque ambigi potest pactionem illam, legemque, ut Gualaguinius Cappellaniam retineret, *finche sarà proveduto o di Benefizio, o di altro* licitam esse, & servandam, ut uno consensu tradunt *Garz. de Benef. par. 2. cap. 5. num. 169. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. par. 2. alleg. 19. n. 59. & alleg. 20. nu. 31. Nicol. Lucubr. Canon. lib. 1. tit. 11. n. 23. vers. limita secundo, Monacell. in formul. legal. for. 18. tit. 3. num. 1. in adnot. tom. 1.*, & alii frequenter. Nodus igitur causæ in una cognitione est, an Beneficium, quod Gualaguinius assecutus est, congruum sit pro patrimonio, & an sit amovibile. Congruum esse facile probant Sodales, quod duo ultimi Beneficiarii hujus Beneficii Titulo ad Sacros Ordines promoti fuerint, ideoque de congruitate nulla ratione dubitari possit; non esse ad nutum amovibile probant instrumento fundationis, ex quo non obscure colligitur ejus Rectores illud habere in titulum perpetuum.

Licet autem Justina Fornasotti Fundatrix hanc pœnam Rectoribus adjecerit, „ quod si Rector, seu Rectores pro tempore intantum deficeret, seu deficerent, sive continuate, sive interpolate, itaut partes conjungendo devenirent ad quantitatem, & numerum Missarum respondentium diebus quatuor mensium in uno anno præter subtractionem fructuum, & supplementum, ut supra faciendum, Rector ille, & Rectores pro tempore hujusmodi defectum committens, & committentes cadat, & cadant respective ab omni jure, & in totum a Beneficio, ita quod, & pro ista causa Beneficium vacet ipso Jure absque ulla declaratione, & sine ulla citatione, aut alia solemnitate „. Disputant tamen Sodales hanc indictæ caducitatis legem non facere Beneficium amovibile, tum quia hæc pœna a jure inflicta est etiam in Beneficio perpetuo, tum quia hæc amotio, & caducitas non pendet a nuto, & arbitrio Patroni, sed venit ex voluntaria culpa, ac dolo Beneficiarii, qui sacra facere omittat, quique utilitatem referre non potest ex propria culpa in detrimentum Sodalium, quibus jus ex pacto quæsitum fuit, statim ac Gualaguinius provisus fuit de Beneficio, ut est in *leg. itaque 12. ff. de Furt.*, *& in leg. 13. ff. de dol. mal. cap. Sedes Apostolica in fin.*, *& in cap. sequ. de Rescriptis*. Hæc Sodales. A Gualaguinio nihil habuimus. Dubium est. *An sit locus dimissioni Cappellaniæ in casu &c.*

Affirmative, & amplius.

AN-

Sess. 22. c. 6. de Ref.

ANCONITANA APPLICATIONIS: Motu proprio Pauli V. Pontificis Maximi suppressum fuit anno 1067. simplex Beneficium in suburbana Ecclesia Civitatis Anconæ fundatum sub titulo *S. Catharinæ*, ejusque bona assignata fuerunt Sodalitio Sanctissimi Sacramenti ejusdem Civitatis, hac lege, ut post obitum Beneficia ex redditibus eorumdem bonorum intra annum percipiendis Piam Domum pro infidelibus, qui ad Catholicam Religionem converterentur, vel ædificaret, vel ædificatam emeret, & in ea *Cathecumeni* ex annuis eorumdem Bonorum fructibus alerentur, & in fidei Christianæ Dogmatis instruerentur. Defuncto post plures annos Beneficiario, compertum fuit bona illa ascendere ad summam scut. 1257., redditus vero annuos esse in scut. 600., qui nunc temporum injuria diminuti sunt ad scut. 500. Cum igitur hoc tenui redditu impossibile esset, vel extruere, vel emere domum, Sodales, vel in Regularium Monasteriis, vel apud pias matronas Cathecumenos, Cathecumenasque ali, & edoceri curarunt ex annuis redditibus Bonorum Beneficii suppressi. Anno tamen 1609, accessit *Angeli Scacchi* Testatoris providentia, qui legavit eidem Sodalitio scut. 2. m., dato onere ex usuris hujus summæ construendi habitationem Cathecumenis, eosque ex redditibus alendi, & in codicillis mentem suam apertius declaravit, non teneri Sodales ad onus datum implendum, nisi postquam usuræ dictæ summæ legatæ pervenissent ope multiplici ad summam scut. 4. m. At, ut legatum hoc Sodales consequi possent, lites agere debuerunt cum creditoribus, aliisque Legatariis, & demum cum iis transigere, neque aliam summam percipere potuerunt, quam scut. 835., quorum fructus ad annum usque 1750. ascendebant ad scut. 1425. 46., itaut, & sors, & usuræ sint unitim in summa scut. 2460. 46.

Alius denique pius Testator *Jo. Petrus Franco* annis 1618. 1619., & 1620. legavit eidem Sodalitio Sanctissimi Sacramenti credita plura, quæ erant exigenda, dato onere exactas pecunias investiendi, & fructus erogandi in alimenta Cathecumenorum. Post fugam 35. annorum, quibus desudatum fuit, ut credita hæc exigerentur, exacta fuit, deductis impensis, summa sc. 893. quæ reddit annuos fructus 30.; Atque hic redditus partim erogatus fuit in alimenta Cathecumenorum, partim servatur in arca Sodalitii in summa scut. 340. 9. pro quolibet futuro eventu. Acquisivit tandem Sodalitium anno 1646. domum quandam, eamque instructam, & decore ornatam Cathecumenis destinavit, præfecitque eidem idoneum Sacerdotem; In alimenta vero Cathecumenorum assignavit redditus Bonorum Beneficii suppressi, & fructus pii relicti *Jo. Petri Franco*, qui omnes ascendunt ad annua scut. 80. Comparata igitur domo, factaque congrua assignatione in alimenta Cathecumenorum, inutilis evasit providentia *Angeli Scacchi*, cujus multiplicum nondum pervenit ad scut. 4. m., ideoque Sodalitium oblatis precibus Sacratissimo Principi nostro postulavit, ut summam illam scut. 2460. 46. compositam ex sorte, & fructibus legati *Angeli Scacchi* libere applicaret Sodalitio, ut eam erogare posset in alios necessarios usus pios sui instituti. Data fuit ab Optimo Principe postulationis hujus cognitio Amplissimis Patribus, a quibus auditus, ut fieri solet, Episcopus, vera esse respondit, quæ sodales narrarunt, eorum postulationi annuendum censet, his tamen legibus, & conditionibus.

„ Quod societas Oratrix, *verba sunt Episcopi*, formalem obligationem emit-
„ tat alendi, & manutenendi tales personas cum fructibus, & redditibus dd.
„ Beneficii S. Catharinæ, & hereditatis Franco, non solum tamquam Ca-
„ thecumenos usque ad tempus Baptismatis, sed etiam tamquam Neophy-
„ tos usque ad ætatem, qua propria industria, & labore victum sibi possint
„ comparare, & quatenus existat aliqua fœmina, quæ vel dote spirituali, vel
„ temporali egeat, pro illius dote assignari debeant scuta centum, tempore
„ nubendæ, vel monacandæ dictæ Puellæ Neophytæ, ita tamen, quod non
„ extantibus redditibus neque Bonorum Beneficii S. Catharinæ, nec dictæ
„ hæreditatis Franco, tam pro alimentis, quam pro dotandis, ut supra &c.
„ tunc & eo casu de proprio supplere debeat Societas intra vires, & limites
„ hæ-

„ hæreditatis Scacchi Societati conceffæ, animo fe revalendi ex redditibus „ fupra recenfitis &c. „ Parati funt Sodales has leges, & conditiones accipere, & obligationem emittere, difputantque locum effe gratiæ hujus applicationis, ex qua pinguius impletur voluntas Teftatoris, qui de Neophytis alendis, & dote præftanda numquam cogitavit. Caufa nunc proponitur, ut Eminentifsimi Patres fecum animo reputent, omnibus perfpectis.

An fit confulendum Sanctiffimo pro gratia applicationis fcut. 2460. 46. in cafu &c.

Pro Gratia juxta Votum Epifcopi.

LEODIEN. SERVITII SUPER SALARIO: Species hujus Caufæ repetenda eft ex *Folio Congregationis* habitæ *die* 19. *Junii* 1751., qua die propofitis duobus Dubiis: I. *An Rector Beneficii erecti ad Altare S. Leodegarii fecundæ fundationis in Collegiata Ecclefia S. Martini Civitatis Leodien. teneatur adimplere munus Hebdomadarii dictæ Ecclefiæ Collegiatæ?* & quatenus affirmative, II. *An Henricus Euftachius Corroii ejufdem Beneficii poffeffor incurrerit privationem dicti Beneficii ad formam literarum Alexandri VI., itaut liceat Capitulo alium præfentare, & Decano illum inftituere in cafu &c.* Refpondit Sacrum Tribunal; *Ad I. Affirmative. Ad II. Negative, & amplius in utroque.* Poft hæc Capitulum pro obfervatione, & exequutione hujus refponfi Monitorium expedivit in Tribunali A. C. At Henricus Euftachius Corroiius adhuc fervitium præftare neglexit, emiffa proteftatione, qua falarium fibi deberi contendebat. Rediit igitur Capitulum ad Eminentiffimos Patres petens reintegrationem falarii, quod ab anno 1735. præftitit Sacerdoti, qui Corroii vices implevit. Hinc collectis utriufque Partis prætenfionibus, Caufa nunc proponitur.

Difputat Capitulum nulla ratione Corroiium petere poffe præftationem falarii quia onus explendi munus Hebdomadarii adnexum fit Beneficio S. Leodegarii fecundæ fundationis, quod poffidet Corroiius, ideoque, cum fructus, & emolumenta Beneficii percipiat, illiufque onera ferre debeat, neque falarium ullum petere poffit, cum fructus, & emolumenta percipiant Beneficiarii in compenfationem, ftipendium, & retributionem laboris, & onerum, quæ iis data fuerunt ex lege fundationis, ut ex *cap. fin. de refcript. in* 6. tradunt *Fagnan. in cap. licet num.*24. *de præbend. Lotter. de re benef. lib.*1. *qu.* 4. *num.*28 *Garz. de benef. par.*1. *cap.*2. *num.*60. *Corrad. in prax. difpenf. lib.* 4. *cap.*4. *n.*12. *Card. de Luc. de canon. difc.* 7. *num.* 8. Neque ambigi poffe munus Hebdomadarii adnexum effe Beneficio, cum id pateat ex Decreto Epifcopi Ernefti lato anno 1600., & confirmato authoritate Apoftolica anno 1601. ex refponfo Sacri hujus Tribunalis anno 1706., quo conftitutum fuit fex Beneficia hujus Ecclefiæ *effe refidentialia, & Beneficiatos teneri ad fervitium præfcriptum in Decreto Epifcopi Ernefti*, ex confeffionibus ipfius Corroii, & denique ex novifsimo refponfo Eminentifsimorum Patrum die 19. Junii anno 1751. His vero nihil obftare, quæ a Corroiio proponi poffunt, & præfertim tenuitas Beneficii, quæ non probetur, cum ejus redditus excedant annua fcut. 100. Quod, fi Corroiius tenetur munus Hebdomadarii implere fine ullo ftipendio, cum Beneficio, quod pofsidet, adnexum fit, jam confequens effe, quod ipfe teneatur redintegrare Capitulum de annuo falario, quod folvit Sacerdoti, qui vices Corroii fupplevit, cum hoc debitum ad Corroiium fpectaret, non ad Capitulum, a quo aliena obligatio impleta fuit. Hæc fumma eft libelli dati a Capitulo. A Corroiio nihil habuimus. Dubia funt.

I. *An Henrico Euftachio Corroii Rectori Beneficii erecti ad Altare S. Leodegarii fecundæ Fundationis in Collegiata Ecclefia S. Martini Civitatis Leodien. cum onere explendi munus Hebdomadarii ad formam Refolutionis Sacræ Congregationis diei* 19. *Junii* 1751. *debeatur menftrua*

re-

retributio a Decano, & Capitulo ratione dicti muneris Hebdomadarii? & quatenus affirmative.

II. *An in qua summa, & a quo tempore debeatur eadem menstrua retributio.*

III. *An dictus Henricus teneatur reintegrare Decanum, & Capitulum de menstruo stipendio per ipsos soluto Presbytero, qui durante lite in Sacra Congregatione ab anno 1735. usque in præsens, supplevit vices ejusdem Henrici in dicto munere Hebdomadarii, & in qua summa in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

Die Sabbathi 3. Februarii 1753.

DUÆ, quæ priori loco sequuntur, Causæ *in ultima* Amplissimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 13. nuper transacti *Mensis Januarii* dilationem obtinuerunt *ad hanc Congregationem*. Poterunt itaque Eminentissimi Patres *Folium ejusdem Congregationis* iterum consulere, ut earum Dubia expediant.

1 *Sess. 21. c. 4. & Sess. 24. c. 13. de ref.*

NOLANA PAROCHIALIS, in qua quæritur.

An sit locus dismembrationi, seu erectioni novæ Parochiæ in casu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes juxta instructionem, & scribatur Episcopo juxta mentem.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

LEODIEN. SERVITII SUPER SALARIO, cujus tria sunt Capita. *ut supra pag. 7. cum seq.*

Ad primum affirmative, ad secundum deberi in summa oblata a Capitulo pro tempore præstiti servitii; ad tertium iterum proponatur.

Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.

ROMANA MATRIMONII. Data fuit hæc Causa *in eodem Folio ultimæ Congregationis*; Dubioque quod erat: *An sit locus dissolutionii Matrimonii in casu &c.* unanimes responderunt Eminentissimi Patres - *Affirmative* - Etsi igitur dubium sit, an ex cognitissima Constitutione Sacratissimi Principis nostri iterum proponi deberet, satius visum est in re ita gravi, ut iterum proponeretur, & Eminentissimi Patres, perpensis, si qua alia proferat, juribus *Defensoris Matrimonii*, respondere poterunt.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 22. c. 8. de Ref.

BARCHINONEN. CAPPELLANIÆ: Speciem omnem, & rationes hujus Causæ dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 6. *Maii* transacti nuper *anni* 1752.; sed Causa ea die proposita non fuit. Iterum itaque eam dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 17. *Junii eodem anno*, Dubioque, quod erat: *An sustineatur Fundatio Cappellaniæ facta a quon. Magdalena Ferran in casu &c.* - Respondit Sacrum Tribunal - *Negative & ad mentem, & mens est, quod Episcopus, prævia firmatione status hæreditarii tam Antonii, quam Philippi, incumbat exequutioni eorum voluntatis* - Redit nunc ad novum Eminentissimorum Patrum judicium, & respondendum est.

An

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam post Cineres etiam unica.

ASCULANA PROCESSIONUM: Terræ *Arquatæ* Asculanæ Diœceseos duæ adjacent Villæ, quarum altera nuncupatur *Aspelunca*, altera *Collis*. Distat prima ab *Arquata* mille, & quingentis passibus: major est alterius distantia, cum sit milliariorum quatuor, & passuum quingentorum. Utraque ex his Villis suam habet Parochiam ab *Arquata* distinctam, suum Parochum, suamque Plebem, & Populum. Consueverunt hi Parochi diebus Festis Sanctissimi Corporis Christi, S. Marci, & Rogationum intra fines suæ quisque Parochiæ cum Clericis, & Sacerdotibus suæ Plebis sacras Pompas, seu, ut dicunt, *Processiones* ducere: At Parochus *Arquatæ* anno 1751, contendere cœpit Parochos dictarum Villarum Processiones ducere non posse, & teneri eos iis diebus cum Clericis, & Sacerdotibus cujusque Plebis accedere ad Processiones, quæ *Arquatæ* fiunt, ut accedunt Parochi aliarum Villarum. Ut igitur de jure Parochi *Arquatæ* cognosceretur, Parochi *Aspeluncæ*, & *Collis* ad hoc Sacrum Tribunal venerunt. Auditus fuit Episcopus, & nunc Causa proponitur, Parochis disputantibus vetari ipsis non posse, ne sacras Pompas iis diebus intra fines suarum Parochiarum ducant, quin immo cogi posse ab Episcopo, si renuant juxta dispositionem *Can. Rogationes 3. de Consecr. distinct. 3.* Neque ad rem pertinere, quod constitutum est in *Rituali Romano*, ut una fiat in Ecclesia majori Processio, Ecclesia autem major illa sit *Arquatæ*; hæc siquidem dispositio accipienda est de Ecclesia majori in eodem Loco, Terra, Oppido, aut Suburbiis, itaut unus sit Populus; secus in Locis, Terris, Oppidisve distinctis, & separatis, quorum diversus est Populus, ut explicant *Card. de Luca de Parochis disc. 37. num. 14.*, & *Barbos. in Sum. Apost. Decis. collect. 606. n 4.* *Sess. 25. c. 13. de Ref.*

Addunt longe minus cogi posse Clericos, & Sacerdotes earumdem Villarum, ut iis diebus accedant ad pompas, quæ in Terra *Arquatæ* ducuntur, cum nullo jure id cautum sit, præsertim in tanta Locorum distantia, viarumque difficultate; neque Tridentini Decretum ad eos Clericos pertinere, qui lares habent in alio loco, Terra, Oppido, Villa, ut explicant *Francis. Leo Thes. For. Eccles. par. 1. cap. 8. n 18. Barbos. Apost. dec. collect. 607.* & respondit hæc Sacra Congregatio in *Spoletana Processionum 20 Novembris 1734.*, ut in *Thes. resolut. Vol. VI.* Demum nullam habendam esse rationem de consuetudine, quam sibi asserit Parochus *Arquatæ* ex facto Parochorum aliarum Villarum adjacentium, qui ad Processiones accedunt, cum retundatur diversa consuetudine negativa, quæ favet Parochis *Aspeluncæ*, & *Collis*, qui accedere non solent. Hæc, atque alia habent duo hi Parochi. A Parocho *Arquatæ* nondum libellum jurium habuimus. Causa tribus Capitibus complectitur.

I. *An Parochi Rurales Villæ Aspeluncæ, & Villæ Collis valeant Processiones peragere in propria cujusque Parochia tam die Festivitatis Sanctissimi Corporis Christi, quam diebus S. Marci, & Rogationum in casu &c.*

II. *An iidem Parochi teneantur, & cogi possint ad interveniendum iisdem Processionibus, quæ in dictis diebus celebrantur in Terra Arquatæ in casu &c.*

III. *An simplices Clerici, & Sacerdotes Villarum Aspeluncæ & Collis teneantur ipsi quoque intervenire dictis Processionibus ejusdem Terræ Arquatæ in casu &c.*

Ad primum affirmative, ad secundum, & tertium negative.

Sess. 25. c. 14. de Ref.

ALBINGANEN. IRREGULARITATIS: In suspicionem venit Curia Episcopalis Albinganensis de conversatione Sacerdotis Josephi Calvi Canonici senioris Collegiatæ Ecclesiæ Uneliæ viri septuagenario majoris cum quadam Fœmina quinquagenaria, ideoque ei præcepit, ne *sub pæna suspensionis ipso facto incurrendæ* amplius cum ea versaretur. Relatum fuit eidem Curiæ Canonicum & allocutiones habuisse cum eadem fœmina, & Sacrum etiam egisse; die igitur 10. Octobris 1751., citatus fuit Canonicus *ad dicendam causam, quare declarari non deberet ipsum in irregularitatem incurrisse*, assignatis eidem tribus diebus. Tertia die postulavit Canonicus termini prorogationem, sed frustra, declaratus enim fuit irregularis. Confugit Canonicus ad hoc Sacrum Tribunal, & necesse fuit ter literas dare ad Episcopum, ut responderet, & Acta transmitteret. Disputat nunc Canonicus non constare de irregularitate, cum nulla fuerit suspensio, & primum *defectu causæ*, cum nulla inhonestatis probatio, nulla suspicio haberi potuerit de hac conversatione, quam excludit honestas mulieris omnibus perspecta, & ætas utriusque, & anteacta vita, itaut nulli scandalum venerit, nullus accusator fuerit. Secundo *defectu formæ*, cum trina monitio non præcesserit, cum non posset infligi suspensio *ipso facto*, cum forma Tridentini Decreto præscripta servata non fuerit. Tertio *defectu probationis*, cum Testes, ex quibus Curia Episcopalis probat violatum fuisse præceptum, aut nihil probent, aut nihil concludant. Denique etiamsi de incursu in irregularitatem constaret, disputationi tamen locum esse disputat Canonicus. A Promotore Fiscali nihil habuimus. Duo sunt Causæ capita.

I. *An constet de irregularitate?* & quatenus affirmative,

II. *An sit concedenda dispensatio in casu &c.*

Dilata.

Sess. 25. Decr. de obser., & evit. in Celeb. Miss.

REATINA APPLICATIONIS MISSARUM: Ut tam Canonicos, quam Beneficiatos Cathedralis Ecclesiæ Reatinæ in Officiis Divinis agendis, & in Ecclesiæ servitio diligentiores redderet Nicolaus V. Pontifex Maximus, Constitutione sua lata anno 1453. omnes eorum Præbendas suppressit, & in unam Massam distributionum quotidianarum redegit, jussitque, ut Canonici singulis diebus Dominicis, Festisque Conventuale sacrum canerent sive per se, sive per alios Canonicos. Post hæc Pius II. Pontifex Maximus anno 1461. Constitutione pariter sua Canonicorum, & Beneficiatorum numerum minuit, redactis Canonicis ad sexdecim, Beneficiatis ad duodecim: neutra harum Constitutionum verba fecit de oneribus, quibus Beneficiati obstricti esse deberent. Anno denique 1520. Pompejus Cardinalis Columna Reatinæ Ecclesiæ Administrator perpetuus duodecim Clericos Beneficiatos addidit pro Chori servitio, iisque quorumdam Beneficiorum simplicium, & Cappellaniarum, quas suppresserat, redditus addixit cum onere *celebrandi bis in hebdomada*. Hoc eodem onere ex consuetudine tenebantur Beneficiati, & hoc onus semper in Ecclesiæ Tabellis scriptum fuerat. Numquam igitur onus implere prætermiserunt tam Beneficiati quam Clerici Beneficiati: unaque tantum *de applicatione* horum duorum Sacrorum dubitatio fuit. Pars eorum major sacra illa non applicabat, quidam *sub conditione* tantum. Res Decreto Episcopi lato in Visitatione anno 1711. deferri debuit ad hoc Sacrum Tribunal, contendentibus tum Beneficiatis, tum Clericis Beneficiatis ad applicationem non teneri, *ex quo, nec in Literis erectionum, nec in Tabellis talis obligatio legeretur*.

Auditus Episcopus censuit recte differere Beneficiatos, *de quorum onere non constabat nisi ex consuetudine, & ex Tabella*, secus vero Clericos Beneficiatos, in quos translata fuisse censendum erat onera Cappellaniis suppressis verisimiliter adnexa. Die tandem 12. Januarii anno 1715. duo proposita fuerunt Dubia. I. *An Beneficiati teneantur applicare binas Missas hebdomadales, de quibus agitur*. II. *An Clerici Beneficiati teneantur applicare binas*

Mis-

Missas hebdomadales, de quibus agitur? Respondítque Sacrum Tribunal. *Ad I. dilata & coadiuventur probationes. Ad II. affirmative.* Causa ad hæc usque tempora siluit; qui vero nunc Beneficia tenent, ut a conscientiæ stimulis liberentur, eam reintegrarunt, quærentes simul, an diebus Feriatis, quibus duo sacra agunt Conventualia, utrumque applicare teneantur. Auditus fuit, qui nunc Reatinæ Ecclesiæ præest, Episcopus, qui Constitutionem Pii II Pontificis, quam supra memoravimus, misit, nihilque ait de his oneribus invenisse, perquisitis licet diligentissime vetustissimis Archivi Capitularis monimentis. Causa nunc proponitur, & disputant Beneficiati non posse cogi ad applicationem duorum Sacrorum, quæ qualibet hebdomada agunt ex consuetudine. Longum esset omnes eorum rationes colligere, quas Eminentissimi Patres legent in libello. Alteram quæstionem a Constitutione, sive Epistola Encyclica Sacratissimi Principis nostri definitam fuisse ajunt, cum in ea Ecclesia nulla sit consuetudo applicandi utrumque sacrum Conventuale. Onus igitur erit Eminentissimorum Patrum duo, quæ Causa hæc habet, Dubia expedire.

I. *An Beneficiati teneantur applicare binas Missas hebdomadales, de quibus agitur in casu &c.*

II. *An diebus Feriatis, in quibus duæ Missæ Conventuales per eosdem Beneficiatos celebrantur, debeant ipsi utramque applicare in casu &c.*

Ad primum negative. Ad secundum negative juxta disposita in littera Encyclica Sanctissimi Domini Nostri.

VALLISOLETANA: Veteri, quod aderat, Collegio seu ut vocant, Seminario suppresso, novoque illico erecto, Bartholomæus de Plaza primus Ecclesiæ Vallisoletanæ Episcopus anno 1598., ut illud redditibus necessariis instrueret, de consilio aliquorum de Clero, ei univit octo Beneficia simplicia *nunc pro tunc, & quando vacare contigerit*, facta interim, & quousque actualis unio eveniret, taxatione mensæ Episcopalis, & Capitularis, necnon Beneficiorum. Unio hæc sive ex oblivione, & negligentia Rectorum Seminarii, sive quia nulla, & invalida reputata fuerit, nullum umquam habuit effectum. Pluries namque ea Beneficia vacarunt, semperque vel ab Episcopis, vel a S. Sede Apostolica collata fuerunt. Duo ex his, alterum nempe anno 1744., alterum anno 1749. obtinuit a Dataria Joseph Arenas. Ubi tamen eorum vacationem Seminarii Rector agnovit, illorum nactus est possessionem, & Seminario addixit vi veteris illius unionis, adtoque Sacratissimo Principe nostro, postulavit unionis illius confirmationem. De hac postulatione cognitio data fuit Amplissimis Patribus. Auditus Episcopus totus est in juribus Seminarii tuendis, plura de necessitate, & utilitate Seminarii, plura de ejusdem inopia, ob quam neque ædes comparare, neque plusquam septem Pueros alere possit, plura de redditum diminutione verba facit. *Sess. 25. c. 18. de Ref.*
Causa nunc definienda proponitur. Disputat Joseph rem esse de exequutione Literarum Apostolicarum, quæ celerrime facienda est, respuitque omnes exceptiones, quæ longiorem postulent discussionem. Hujus generis esse unionem illam Beneficiorum, quæ nulla fuerit, & irrita, cum facta fuerit ab Episcopo Bartholomæo Plaza, non servata forma præstita Decreto Tridentini, non electis duobus de Capitulo, non duobus de Clero, quorum consilio primum fieri debebat Beneficiorum, & Mensæ Episcopalis, & Capitularis taxatio; inde si hæc satis non fuisset, poterat Episcopus Beneficia unire, non ut factum est ab Episcopo, primo unire Beneficia, inde taxare mensas, & Beneficia Diœceseos; Est enim unio Beneficiorum remedium subsidiarium: satis compertam fuisse Episcopis nullitatem illius unionis, cum pluries vacatis octo illis Beneficiis, numquam ea actu addixerint Seminario, sed ea contulerint, vel collata a S. Sede exequutioni mandaverint Literas Apostolicas: satis etiam compertam fuisse nullitatem unionis ipsi Rectori, qui

nunc post centum, & qui excurrunt, annos confirmationem postulavit a Summo Pontifice. Hæc, atque alia Joseph Arenas. A Rectore Seminarii nondum libellum jurium habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An substineatur unio facta favore Seminarii?* & quatenus negative,

II. *An sint exequendæ Literæ Apostolicæ in casu &c.*

Ad primum negative. Ad secundum affirmative.

Sess. 21. c. 8. de Ref. URBINATEN., SEU ARIMINEN. CAPPELLANIÆ: Acta fuit lis inter Communitatem Terræ Mondaini, & Clericum Josephum Corradinium, petente Communitate a Corradinio possessore prædii dotalis Cappellaniæ fundatæ ab Ursula Trojani ad certum altare in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ Civitatis Urbini solutionem onerum tam Cameralium, quam Communitativorum. Intentio Communitatis erat in consuetudine, quæ fere universalis est in Ducatu Urbini, ut bona Ecclesiastica his oneribus subiiciantur; Bis tamen victa fuit Communitas. Cum iterum Causa proponenda esset, repertum fuit testamentum Ursulæ, quo Cappellaniam fundaverat, cujus lectione compertum fuit Communitati non Ecclesiasticum Beneficium, ut hactenus putaverat, sed Cappellaniam Laicalem fundatam fuisse a Testatrice. Noluit tamen Sacra Congregatio Boni Regiminis hac de re Judicium ferre, sed rescripsit *Communitas utatur jure suo pro sæcularizatione*. Preces igitur Communitas obtulit Sacro huic Tribunali, a quo auditus fuit Archiepiscopus, qui testamentum Ursulæ misit. Ex eo compertum est eam fœminam anno 1698., scripto Bartolomæo viro hærede in usufructu, jussisse Exequutoribus testamentariis, ut ex omnibus suis bonis „ si erigga una Cap„ pella, ovvero Offiziatura perpetua laicale nella Ven Chiesa di S. Maria „ Maddalena delle RR. Monache di Urbino al Ven. Altare del Glorioso „ S. Francesco Saverio, *dato onere Cappellanis sacra agendi omnibus diebus Festis*, ad effetto, che le suddetto RR. Monache possino sentire, & „ avere la Messa in d. loro Ven. Chiesa tutte le Feste, che obligano udire la „ Messa sotto peccato, *relictoque certis personis Jurepatronatus, quod voluit*, che sia mero laicale, e non soggetto a veruna regola di Cancellaria, „ spogli, ne ad altro peso, & obligo.

Primus Cappellanus, quam Testatrix nominaverat, Corradinius postulavit, obtinuitque ab Archiepiscopo erectionis Decretum, unde Cappellania ad hæc usque tempora reputata fuit Ecclesiastica. Communitas transtulit prædium a libro censuali laicorum in alium Ecclesiasticorum, Cappellani instituti fuerunt ab Archiepiscopis, & Cappellania collata fuit a Sancta Sede Apostolica. Nunc igitur Causa proponitur, & disputat Communitas rem esse de jure aperto, cum & verba, & voluntas Testatricis monstrent laicalem Cappellaniam, non Beneficium Ecclesiasticum ab ea fundatum fuisse; id etiam liquere ex omnibus circumstantiis, & præsertim ex defectu consensus Episcopi, ideoque spernendas esse omnes æquivocas contrarias rationes, quæ educi possunt vel ex verbis *criggere*, *presentare*, *vacare*, vel ex dote constituta, vel ex certo designato altari, vel ex Jurepatronatus; hæc enim vim habent in dubio, non vero, cum certa est Fundatoris voluntas, ut uno consensu tradunt DD., & Tribunalia. Ita pariter spernendam esse erectionem factam ab Archiepiscopo, qui poterat Testatricis mentem evertere, neque institutiones, & collationes mutare potuerunt naturam, & statum verum Cappellaniæ. Factum denique Officialium, qui errore ducti prædium transtulerunt in librum censualem Ecclesiasticorum nullum veritati, nullum Communitati detrimentum inferre potuisse. Hæc Communitas. A Corradinio nihil habuimus. Dubium est.

An Cappellania, de qua agitur sit laicalis, vel Ecclesiastica in casu &c.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die

Die Sabbathi 24. Martii 1753.

BARCHINONEN. CAPPELLANIÆ: Postulante Josepho Ribera in ultima *Congregatione* habita *die* 3. transacti Mensis *Februarii* novam in hac Causa *dilationem*, Eminentissimi Patres indulgendam esse censuerunt rescripto: *Dilata ad Primam post Cineres etiam unica*. Obsequimur itaque eorum imperio eam nunc dantes, ut repetita lectione *Folii Congregationis habitæ die 6. Maii* superioris *Anni* 1752., Dubium expediant. *Sess. 22. c. 8. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

AUXIMANA, SEU LAURETANA FUNERUM: Dedimus Causam hanc in *Folio Congregationis* habitæ *die* 8 *Julii* superioris *anni* 1752., sed ea die proponi non potuit: Iterum itaque eam dedimus *in folio sequentis Congregationis* habitæ *die* 29.: Sed Parochus Montis Cassiani *dilationem* postulavit, *additionem* novorum Dubiorum, cum tribus tantum Capitibus Causa collecta fuisset, & ut *Publicani* in Jus vocarentur; Rescripsit itaque Sacrum Tribunal - *Dilata, & ad Dominum Secretarium pro concordatione Dubiorum citatis Gabellariis*. Omnia impleta fuerunt, & Causa nunc duobus aucta Dubiis proponitur, quæ Eminentissimi Patres, repetita lectione *Folii primæ* illius *Congregationis*, expedire poterunt. A Parocho, & Gabellariis nihil adhuc habuimus. Dubia sunt. *Sess. 25. c. 13. de Ref.*

I. *An Parochi sæculares vel prætextu funeralis, vel ratione associationis prætendere possint ab hæredibus Defunctorum majus emolumentum, quando cadavera sepelliuntur in Ecclesia S. Francisci PP. Reformatorum Terræ Forani, quam accipiant, quando tumulantur in Ecclesiis sæcularibus?*

II. *An Parochianis Ecclesiæ Parochialis Terræ Montis Cassiani Diœcesis Lauretanæ liceat sibi eligere sepulturam in eadem Ecclesia PP. Reformatorum Forani Territorii Terræ Appiniani Auximanæ Diœcesis?* & quatenus affirmative.

III. *An Parocho dictæ Terræ Montis Cassiani, ejusque Sacristæ præter quartam Funeralem ratione prætensi majoris laboris debeatur majus emolumentum, & in qua summa pro associatura cadaveris ad dd. PP. Reformatorum Ecclesiam extra Territorium, & Diœcesim degen.?* & quatenus negative.

IV. *An idem Parochus Montis Cassiani teneatur restituere hæredibus quon. Jo. Baptistæ Cherubini portionem in istius funere majorem æquo exactam?*

V. *An pro translatione cadaveris de uno ad alium locum occasione tumulationis in eadem PP. Reformatorum Ecclesia debeatur aliquod emolumentum Gabellariis in casu &c.*

Ad primum dabitur resolutio in casibus particularibus. Ad secundum affirmative, & amplius. Ad tertium affirmative juxta taxam Episcopi. Ad quartum satis provisum per Episcopum, & amplius. Ad quintum negative.

MINDONIEN. FRUCTUUM Ex Constitutionibus Ecclesiæ Cathedralis Mindoniensis ejusdem Dignitates, inter quas sunt quatuor Archidiaconatus, nedum residere tenentur, adjecta pœna amissionis fructuum, qui Fabricæ Ecclesiæ tribuuntur, sed etiam certa quædam ferunt onera, quæ Chori, & Altaris servitium respiciunt. Alterum ex his Archidiaconatibus obtinuit *Sess. 22. c. 4. Sess. 23. cap. 1. Sess. 24. c. 12. de Ref.*

nuit anno 1743. Clericus Petrus Grimaldus expressa in Literis Apostolicis lege residendi, & suscipiendi Ordines Sacros, ut onera Dignitati annexa implere posset. Possessionem sui Archidiaconatus per Procuratorem nactus est Grimaldus, fructus exegit, sed numquam Sacros Ordines suscepit, numquam in Civitate resedit, Matriti semper moram trahens, Sacra vero, aliaque Officia, & munera suæ Dignitatis per Substitutum implevit, quod eædem permittunt Constitutiones. Causa absentiæ, & prætermissorum Ordinum Sacrorum morbus fuit epilecticus, quo misere afficitur. Testis hujus rei ipse fuit Episcopus Mindoniensis, dum pro rebus Ecclesiæ suæ Matriti esset, qui ob id eum monuit, ut dispensationem Apostolicam peteret, quam tamen ipse semper distulit petere. Nuper autem, qui nunc Administratoris Fabricæ Ecclesiæ Cathedralis munus gerit, in jus vocavit Grimaldum, postulans, ut compelleretur ad restituendum omnes fructus, quos percepit, qui Fabricæ tribuendi essent, donec ipse absens esset, neque ad Sacros Ordines promoveretur, Grimaldus ad hoc Sacrum Tribunal confugit postulans dispensationem ab utroque vinculo residentiæ nempe, & Sacrorum Ordinum.

Auditus, ut fieri solet, Episcopus rescripsit „ Archidiaconum frequenti epi„ lepsia, seu morbo caduco laborare cum totali sensuum, & potentiarum al„ teratione: Certum etiam esse, quod a tempore possessionis suæ Præben„ dæ, & Dignitatis numquam residentiam fecit, aut inchoavit - *Addit* ve„ rum quoque esse, quod ejusdem accidentibus, & symptomis, ut fama est, „ detentus fuit, moraliterque, ac fere physice impeditus tam a recipiendo „ Sacros Ordines, quam a residentia, & quod per alios in Missis solemniori„ bus, ad quas turnatim tenebatur, & alia Officia, muneraque suæ Digni„ tatis obivit „. Causa nunc proponitur, & Administrator Fabricæ urget in suo libello dispositionem Tridentini, & Constitutiones Ecclesiæ Cathedralis, e quibus educit Archidiaconum Grimaldum, qui numquam Fidei Professionem emisit in Capitulo, & numquam resedit, suos facere non potuisse fructus Præbendæ, cum satis non sit sola possessio, quam per Procuratorem accepit, ut differunt *Garzias de Benef. par. 3. cap. 3. n. 52. & 52. Barbos. de Canonic. cap. 17. num. 33. & in summ. Apostol. dec. collect.* 101. *num.* 10. Neque hoc casu requiri Judiciales monitiones a Tridentino præscriptas, cum res non sit de privatione fructuum, quos suos fecerit Archidiaconus, sed de restitutione eorumdem fructuum, quos indebite perceperit, quia non implevit legem residentiæ, de qua interpellari judicialiter non debebat, cum adnexa sit Dignitati *Fagnan. in cap. eam te n.* 37. *de rescript. Bellett. disquis. Cleric. artic.* 2. §. 34. *num.* 17. *Garz. de Benef. d. cap.* 3. *num.* 145. *Panimoll. dec.* 80. *num.* 25. Alia addit Administrator, quæ Emi Patres legent in ejus libello. Ab Archidiacono nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An fructus Archidiaconatus de Montenegro huc usque percepti ab Archidiacono Petro Grimaldo sint restituendi Fabricæ Cathedralis in casu &c.*

II. *An eidem Fabricæ sint applicandi fructus in posterum percipiendi in casu &c.*

Affirmative ad utrumque.

Sess. 22. c. 7. & c. 9. de Ref.

PISCIEN. Congregatio Presbyterorum, quam *Capitulum* vocant erecta in Priorali Ecclesia SS. Stephani, & Nicolai Civitatis Pisciæ, formam suscepit ex Testamento Francisci Bonagratia condito anno 1591., qui inter Exequutores suæ dispositionis, qua eamdem Congregationem scripsit hæredem, Præpositos Piscienses, nominavit. Redditus hujus Congregationis administrantur a Camerario, quod munus in orbem ferunt omnes Congregationis Presbyteri. Camerarius administrationis suæ rationes reddere tenetur duobus

bus Presbyteris a Congregatione electis, qui vocantur *Ragionieri*, idque ex dispositione Constitutionum ejusdem Congregationis: proponitur tamen anno 1684. rationes redditas fuisse Episcopo. Relatum fuit ei, qui nunc Ecclesiæ Pisciensi præest, Episcopo, quique evecta nuper ad Episcopalem Sedem Civitate illa, in locum Præpositi Pisciensis successit, bona, & redditus illius Congregationis male administrari, censuitque prospiciendum esse decretis quibusdam, donec visitatio ageretur, qua aperta anno 1748., plura tulit decreta, ut pluribus malæ administrationis capitibus occurreret, atque hæc inter, ut Camerarii, singulis annis, delatis ad eum Libris rationes redderent. Verum hæc Decreta in irritum cessere, recusantibus Camerariis libros deferre, & Decreto obtemperare. Ut hunc contemptum vindicaret Episcopus, præcepit Francisco Pomi Camerario, ut libros ferret, & administrationis suæ rationes redderet. Respondit Camerarius reddidisse rationem Exactoribus rationum, seu *Ragionieri*, nempe Priori Francisco Chelio, & Petro Simio, librosque esse apud Ferdinandum Vantagginium Rationalem Capituli.

His auditis sese convertit Episcopus ad Rationalem, eique simile præceptum fecit de libris edendis. Respondit ille libros non habere, sed esse penes Exactores rationum Chelium, & Simium; ergo idem præceptum factum fuit Chelio, & Simio. Termino elapso, qui in præcepto præfixus fuerat, venit in jus Capitulum universum, & appellavit a præcepto edendi libros dato Priori Chelio, & Simio Exactoribus rationum, cum hi functi jam eorum officio fuissent, & libri repositi essent, ut fieri solebat, in Archivo Capitulari. Rejecit appellationem Vicarius Generalis ex dispositione cognitissimæ Constitutionis Sacratissimi Principis nostri, quæ lata fuit *de Appellationibus, & Inhibitionibus* die 30 Martii anno 1742. Admisit tamen eam Nunciaturæ Florentinæ Tribunal, relaxatis solitis literis citatoriis, & inhibitoriis, quas præsidio ejusdem Constitutionis spernere posse censuit Curia Ecclesiastica Pisciensis, & loco agendi contra Congregationem, seu Capitulum, ut rationem redderet, & libros ederet, quos in Archivo Capitulari repositos esse judicialiter asseruerat, iterum iterumque præcepit Priori Chelio, & Simio, ut libros deferrent, adjecitque præcepto pœnam suspensionis ab officio, & Beneficio. Iterum hi ad Tribunal Nunciaturæ Florentinæ confugerunt, iterumque datæ fuerunt literæ citatoriæ, & inhibitoriæ, quas iterum sprevit Curia Ecclesiastica Pisciensis, quæ cum illi Sacrum quotidie facerent, & Sacramenta ministrarent, censuit eos in irregularitatem incurrisse, & mandavit, ut in carceres Prior Chelius conjiceretur.

Captus quidem fuit Chelius, sed cum in carceres duceretur, & prope Turrim esset Cathedralis Ecclesiæ, e qua æra tinnula pulsantur, immunitatem allegavit, & Populus commotus e manibus lictorum eum eripuit. Tertiam tunc inhibitionem contra Promotorem Fiscalem Curiæ Ecclesiasticæ Pisciensis relaxavit Tribunal Nunciaturæ Florentinæ; sed Promotor querelas de turbata sua jurisdictione detulit ad hoc Sacrum Tribunal. Auditus igitur fuit Auditor Nunciaturæ, qui rationes suas literis complexus est. Respondit his Promotor Pisciensis longo libello Italico, quem tantum vidimus. Venit etiam ad causam Prior Chelius, ut jura sua contra Promotorem defenderet: In triplici igitur certamine Causa omnis VIII. Capitibus collecta fuit, quæ ab Eminentissimis Patribus sunt expedienda.

I. An, *& a quo sit reddenda ratio Episcopo de bonis, & redditibus Ecclesiæ SS. Stephani, & Nicolai, ejusque ass. Capituli in casu &c.* & quatenus ratio sit reddenda Episcopo.

II. A*n aliquid exigi possit in Causam, & pro labore dictæ redditionis rationis, seu revisionis ejusdem in casu &c.*

III. A*n licuerit Episcopo compellere Chelium, & Simium ad exhibendos libros dictæ Ecclesiæ, seu Capituli in casu &c.*

IV. A*n Præcepta pœnalia, de quibus agitur, sustineantur in casu &c.*

V. An

V. *An sustineatur appellatio interposita ad Tribunal Nunciaturæ adversus d. Præcepta, & respective illius admissio cum concessione inhibitorialium in casu &c.*

VI. *An sustineatur suspensio d. Chelii, & Simii in casu &c.*

VII. *An constet de eorum incursu in irregularitatem in casu &c.*

VIII. *An constet de attentatis?* & quatenus affirmative, *quomodo sint purganda in casu &c.*

Ad primum iterum proponatur. Ad secundum dilata, & ad tertium negative. Ad quartum negative. Ad quintum affirmative. Ad sextum, & septimum negative. Ad octavum affirmative per viam nullitatis restitutis tamen Chelio fructibus Prioratus.

Sess. 25. c. 19. de Regul.

TOLETANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM: Postulavit a Sacratissimo Principe nostro in integrum restitui adversus lapsum quinquenii P. Petrus Martinez Regularis Ordinis Eremitarum S. Augustini, quod vi metuque gravi adactus fuisset a Patre ad emittendam professionem in Monasterio S. Philippi Matriti. Data fuit ab Optimo Principe de hac postulatione cognitio Eminentissimis Patribus, a quibus mandata fuit jurisdictio *Archiepiscopo Administratori pro confectione processus, servata forma Constitutionis Sanctissimi Domini nostri.* Editis a P. Petro articulis, auditi fuerunt *undecim* Testes, quos inter ipse Pater, Mater, Soror, Frater, aliique Consanguinei, & quidam ipsius Ordinis Regulares. Ex his disputat nunc P. Petrus constare de vi metuque sibi illato a Patre, auctoque a Magistro Tyronum, quo adactus Professionem invitus emiserit præsente Patre ferocis, atque immitis ingenii, qui verberibus eum gravissime affecerit, antequam Monasterium ingrederetur, & imminente Professionis tempore, indixerit mortem, neve domum repeteret, si a Monasterio discederet, non emissa Professione: Agnovisse ipsum Patrem ex lacrymis effusis, arctisque amplexibus in actu Professionis aversum animum filii nec desiisse unquam ipsum P. Petrum post eam emissam declarare animum suum Regulari disciplinæ contrarium, & protestationes emittere cum Consanguineis, & Regularibus de nullitate suæ Professionis, quam in Judicium deducere non potuit, durante causa metus, quæ desiit tandem impetrata amicorum ope venia ab ipso Patre eam proponendi. Hæc summa est libelli dati a P. Petro. Neque ab Ordine, neque a *Defensore Professionis* aliquid habuimus. Dubium est.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Reliquæ non propositæ.

Sess. 24. c. 1. de Ref. Mart.

CARTHAGINEN. MATRIMONII: Cum Didacus Archayna adolescens decem, & novem annorum, & prænobili genere natus deperiret Puellam Melitonam Melendez honestissimam quidem, sed filiam miseri Fabri Lignarii, non dubitavit, posthabito generis sui splendore; sponsalia cum illa contrahere, utque eam sibi connubio jungeret, postulavit, ut publicæ denunciationes remitterentur. Cum autem id impetrare non potuisset, conspiratione animorum facta cum Parentibus, & Fratre Sponsæ, statuit Parochum, & Testes decipere. Joannes Melendez Sponsæ Frater advocavit Testes, quibus obtrusit se ducere Uxorem. Pater sponsæ exploravit, num Parochus domi suæ esset. Convenerunt omnes in domum Sponsæ, & cum relatum fuisset Parochum domi esse, accesserunt ad eum circa septimam, aut octavam noctis horam ingressi obscurum cubiculum, in quo non aliud lumen erat, quam tenue illud, quod emittebatur e lucerna, quæ ardebat in alio sequenti cubiculo, in quo erat Parochus, qui cum amicis suis sermones habebat. Melitona obducta erat Peplo Hispanico, seu ut dicitur *Mantiglia*, itaut impossibile esset, ut dignosceretur, quænam esset, immo an vir esset, an fœmi-

fœmina. Vocatus Parochus nomine Didaci Archaynæ, illico exiit e cubiculo relictis amicis, rogavitque Didacum, quid vellet; Respondit ille *Padre Curato lei sia Testimonio*, & Melitonæ manum apprehendit, ut Parochus retulit, vel ut testes matrimoniales habent -- *Una parolina Padre Curato* - *una freddura Padre Curato*. Suspicio illico injecta est Parocho Didacum velle matrimonium contrahere, & clamavit, aures suas obstringens *non sento, non sento, che bricconerìa e questa*: hoc strepitu Parochi perterrefacti Testes, Didacus, Melitona fugam arripuerunt; Parochus fugientes insequutus arripuit Melitonam Peplo, sed illa, dimisso Peplo, e manibus Parochi elabi potuit, & porta ædium Parochi egressa cursu pervenit ad Didacum, qui cum Melitona, ejusque fratre Joanne, atque uno ex tribus Testibus Matrimonii, recta pergens ad portam Civitatis, apud quam reperto, quem pridem paraverat, equo, eum inscendit una cum Melitona, omnesque Origuelam versus iter fecerunt. Sed cum in eam Civitatem venire non possent, diverterunt in hospitium, in quo pluries ex nocte Matrimonium consumarunt. Mane Origuelam perventi opem præsidiumque imploravit Didacus ab illius Civitatis Episcopo, & de Matrimonii sui validitate Theologos consuluit.

Parochus dilapsa ab ejus manibus Melitona, dimisso, ut diximus, Peplo, pro tempore ipse refert cognovisse eam esse fœminam: querelam illico detulit ad Vicarium Capitularem Sede tunc Episcopali vacante, in qua factum integre exposuit, negans agnovisse fœminam, quam fœminam esse tunc novit, cum Peplum detractum fuit in actu ejus fugæ, at superveniens Æditaus, audito Didaci nomine, statim conjecit fœminam fuisse Melitonam Melendez. Vicarius igitur decrevit inquisitionem faciendam esse da Didaco, Melitona, testibus. Duo ex his sese in locum immunem receperunt; Parentes Melitonæ in carceres conjecti fuerunt. Nuntiatum est Didacum, Melitonam, fratrem ejus, & testem esse Origuelæ; requisitus igitur fuit Vicarius Generalis Origuelæ a Vicario Generali Carthaginensi, ut rei traderentur. Traditi fuerunt, & in carceres conjecti. Constituti Didacus, & Melitona fassi sunt Matrimonium, fassi sunt protulisse verba mutuum consensum exprimentia, matrimonium consumasse, & sese gessisse pro viro, & uxore. Formiter quoque ter examinati fuerunt Parentes, & Frater Melitonæ, Parochus, testes, quorum duo sese sponte in carceribus constituerant. Tandem lata fuit sententia in Judicio criminali, & damnati fuerunt Didacus, Melitona, ejusque parentes, & frater. Appellavit ab hac sententia Melitona, sed appellatio *in devolutivo* tantum admissa fuit. Incæptum inde fuit Judicium civile validitatis, vel nullitatis Matrimonii; Didacus enim declaravit validitatem impugnare velle: iterum igitur repetiti fuerunt Didacus, Melitona, parentes, & frater Melitonæ, Parochus, & testes, neque id satis fuit, nam quinto hi omnes repetiti fuerunt, postulante Defensore Matrimonii.

Post longas moras sententiam tulit Curia Ecclesiastica Carthaginensis, in qua pronunciavit non constare de validitate Matrimonii, & damnavit Didacum ad dotem ducatorum quingentorum Melitonæ solvendam. Appellavit ab hac sententia Melitona, & Judex a Nunciatura Apostolica datus, repetito sexto examine, sententiam tulit, qua revocavit priorem Episcopi Carthaginensis, & censuit constare de validitate contracti Matrimonii. Appellavit Didacus ad ipsum Nunciaturæ Tribunal, a quo sententia lata fuit, qua revocata, sententia secundi Judicis, confirmata fuit sententia Episcopi, nisi in ea parte, quæ de dote est, quæ aucta fuit ad ducatos 2. mil. Appellavit iterum Melitona ad hoc Sacrum Tribunal, & cum Causa nunc proponatur, urget ad probandum Matrimonium vere ea nocte contractum fuisse per verba mutuum consensum exprimentia, ut narrarunt Didacus, Melitona, ejusque mater, & frater, actus omnes antecedentes, concomitantes, & subsequentes, quos singulos diligenter expendit, quique ex hactenus relata historia facile possunt

 digno-

dignofci; neque ullam rationem habendam esse contendit de testibus, quos subornatos, & corruptos a Consanguineis Didaci probare conatur. Ipsum Judicem Carthaginensem accusat, ipsumque Parochum. Longum esset in facto ita longo omnes rationes colligere, quas legent Eminentissimi Patres in ejus non brevi libello. A Didaco nihil hactenus habuimus. Dubium est.

An constet de validitate Matrimonii in casu &c.

Sess. 23. c. 19. de regul.

BRICTINORIEN. TAXÆ: Puerorum Collegium, quod vulgo Seminarium nuncupatur, Brictinorii erectum fuit an. 1708. & quia redditus non sufficiebant, taxata fuerunt omnia universæ Diœceseos Beneficia etiam Curata, a qua tamen solutione cessatum fuit, cum Seminarium suppellectili instructum esset, & redditus superessent, itaut anno 1726. emptum fuerit latifundium, cujus pretii portio in sc. 167. 27. illico soluta fuit, pro reliquo suscepto onere censuum, qui in eodem latifundio impositi fuerant, quosve successivis annis Rectores magna Seminarii ex parte redemerunt in summa sc. 336. 45. sic pariter empta fuit Domus Seminario contigua, emptum fuit prædium, & aucta domus empta. Has emptiones, & accessiones factas fuisse redditibus superextantibus Seminarii, non vero contractis debitis monstrant sententiæ Syndicatoriæ ab anno 1721. ad nostra hæc tempora, ex quibus patet singulis fere annis Rectores, qui administrarunt, debitores Seminarii declaratos fuisse. Cum tamen relatum fuerit Episcopo expensas, ducto calculo decennali, superare singulis annis acceptum in sc. 130, ipse in ultima Synodo novam Taxæ impositionem indixit omnibus Beneficiatis etiam Curatis. Obstiterunt huic indictioni Canonici, Parochi, omnesque alii Beneficiati rogantes Episcopum, ne Taxam imponeret, cum debitum Seminarii non subsisteret, & si redditus bene administrarentur, Seminarium quotannis seponere posset partem aliquam lucri. Cum nihil ab Episcopo impetrare possent, confugerunt ad hoc Sacrum Tribunal, & auditus, ut fieri solet, Episcopus respondit expensas excedere quotannis sc. 130, ut ex folio calculi ducti per decennium, quod Epistolæ suæ attexuit; Seminarium defectu Taxæ ultimis hisce decem & septem annis debita contrahere debuisse, & ni Taxa solvatur, claudendum esse.

Postularunt actores, ut libri a Seminario ederentur, ex quibus dignosci posset veritas eorum, quæ ab Episcopo afferebantur, sed frustra lata fuerunt Decreta, quæ sprevit Seminarium, donec metu *gravatoriæ* unum dumtaxat edidit librum, qui initium ducebat ab anno 1721., & definebat anno 1751., ex quo ea, quæ supra narravimus, resciri poterunt. Cum iterum postulassent actores, ut libri alii ederentur, Seminarium vero negaret eos existere, decretum fuit præstandum esse jus jurandum *non habere, nec dolo desiisse habere*, quod facile præstitum fuit a Rectore, quem de perjurio actores convincunt ex ipso libro edito, ex sententiis Syndicatoriis, aliisque Actis; ita pariter non subsistere evincunt debita illa Seminarii, erroribus plurimis inquinatum esse folium a Rationali scriptum, missumque ab Episcopo. Differunt Bona, & redditus Seminarii pessime administrari, quia non servatur forma tradita a Tridentino, & postulant, ut auctoritate Sacri hujus Tribunalis firmetur verus status Seminarii, ex qua firmatione facile poterit dignosci redditus ei satis superque esse sine necessitate imponendi Taxam, quæ remedium est subsidiarium. Causa omnis collecta fuit IX. Capitibus, quorum sola electione intelligitur status controversiæ. A Seminario nihil adhuc habuimus. Dubia sunt.

I. *An Canonici, Parochi, & Beneficiati Brictinorii, & totius Diœcesis debeant persolvere Taxam scut. duorum cum dimidio Seminario in casu &c.* & quatenus affirmative.

II. *An ad hujusmodi Taxam teneatur Mensa Episcopalis in summa sc. 36. annual.* & quatenus affirmative.

III. *An Reverendissimus Episcopus teneatur persolvere d. Taxam a tempore ultimæ Synodi in casu &c.*

IV. An

IV. *An a redditibus Parochiarum, & Beneficiorum prius detrahi debeant onera Missarum, Festivitatum Titularium, aliaque onera, & expensæ fixæ in casu &c.*

V. *An eligi debeant quatuor Deputati Seminarii, alter nempe a Capitulo, alter a Clero, & alii duo ab Episcopo ad formam Concilii?*

VI. *An in admittendis Alumnis diminui possit annua solutio sc. 25. pro Diœcesanis, & sc. 30. pro Exteris ordinata in erectione Seminarii in casu &c.*

VII. *An administratio cum sententia Syndicatoria notari debeat in libris legaliter retentis, seu potius in quinternettis volantibus?* & quatenus affirmative ad primam partem.

VIII. *An mulctandi sint Rectores pro tempore, si eorum administrationem non transcribant in iisdem libris Seminarii in casu &c.*

IX. *An credita inexacta per culpam Rectorum pro tempore debeant ipsis, seu eorum hæredibus assignari pro eorum creditis in casu &c.*

CÆSENATEN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS: Cum Parochialem suam Ecclesiam Divo Zenoni dedicatam vetustate jam dilabentem a solo sua pecunia restituere vellet Malatesta Parochus, ejusque mandato Architectus formam operis delineasset, æstimato integro opere sc. 800. Tigna vero comparata essent, conductique Fabri, & operarum Magister, rogavit idem Parochus Sodales *S. Josephi*, qui Oratorium satis aptum habent intra fines suæ Parochiæ, ut donec nova ædificaretur Ecclesia (qua in re censent Periti triennio opus esse) Oratorium ipsum ei commodarent, quo uti posset ad functiones Parochiales explendas. Censuerunt Sodales novam Ecclesiam ædificari non posse inopia pecuniarum, itaut Parochus semel in Oratorium receptus, vel numquam, vel nonnisi post fugam plurium annorum ab eo discederet, ductique hac suspicione negarunt Parocho, quod petebat, & adiverunt Tribunal A. C. Parochus syngrapham scripsit, qua sese obligatum voluit, impleto ædificationis tempore, Oratorium deserere, declarans ,, d' andar solo per modo di Provisione, e di riceverlo a titolo di ,, Precario, e commodato durante solo il tempo di detta Fabrica; ,, Fidejussores etiam hujus rei præstitit, sed flectere non potuit Sodales. Ne igitur pecunias, quas in opus faciendum seposuerat, in lite absumeret, adiit libello Sacratissimum Principem nostrum, a quo rei cognitio Eminentissimis Patribus mandata fuit. *Sess. 7. c. 8. & sess. 21. c. 7. de Ref.*

Auditus Episcopus hæc respondit ,, Ecclesia Parochialis Divi Zenonis est admodum deformis, plus rustica quam urbana, nullaque lege constructa, in pavimento humidissima, male se habens in tecto, & in parietibus &c. durante tempore necessario ad constructionem, quod sensum Peritorum potest esse circa triennium, idem Parochus nequit magis apte Sacramenta ministrare, aliasque Parochiales functiones agere, quam in dicto unico capaci Oratorio Sancti Josephi intra limites Parochialis existente &c. Dissensus Confratrum videtur irrationabilis, & injustus, eorumque timor panicus quod Parochus semel in Oratorium ingressus non amplius ab eo egrediatur, de toto evanescit, attenta obligatione de illud post dictum tempus evacuando. ,, Causa nunc proponitur, & disputat Parochus ambigi non posse Ecclesiam esse reædificandam, cum res non sit de casu, quo Parochus recuset reædificare Ecclesiam, quia deficiat præcisa necessitas; sed res sit de Parocho reædificare volente, quo casu non est probanda necessitas præcisa, ut distinguendo casus docuit *Piton. de controv. patron. allegat.* 12. *n.* 15. & tamen præcisam necessitatem reædificandi Ecclesiam, manifestam esse, cum dilabatur, se omnia parasse, seposuisse scut. 500.; quod reliquum est usque ad sc. 800. erogaturum ex uberibus Parochiæ annuis redditibus; si hi non satis sint, præstitisse Fidejussores idoneos: Jus sibi esse Parochiales functiones in qua-

quavis Ecclesia, vel Oratorio intra Parochiæ fines sito explere etiam invitis Sodalibus, aut Rectoribus, ut ex aliorum sententia distinguentium inter Functiones Parochiales, & non Parochiales tradit *Pignatell. consult. 68. vol. 6.* Oratoria hæc non permitti, nisi cum clausula *sine præjudicio jurium Parochialium*: Decreta Generalia Sac. Congregationis Rituum anno 1703. edita ad rem non pertinere, quod sint de functionibus non Parochialibus. Eo amplius vero commodandum esse Oratorium, quod res sit de casu necessitatis, non voluntatis, & Sodales tuti sint cautione de discedendo, & fidejussione præstita: Hoc casu necessitatis ita usu servari tum Romæ, tum Cæsenæ. Hæc summa est libelli dati a Parocho. A Sodalibus nihil habuimus. Duo sunt Causæ capita.

I. *An sit locus reædificationi Parochialis Ecclesiæ S. Zenonis Civitatis Cæsenæ in casu &c.?* & quatenus affirmative.

II. *An durante reædificatione d. Ecclesiæ Parochialis S. Zenonis liceat Parocho explere functiones Parochiales in Oratorio S. Josephi existen. intra limites Parochiæ in casu &c.*

Sess. 22. c. 6. & c. 8. de Ref.

JANUEN. SUBSIDII DOTALIS: Testamento Cæsaris Culumbi Sacerdotis Genuensis condito anno 1733. hæres fiduciarius scriptus fuit ejus Frater Regularis Ordinis Eremitarum S. Augustini. Hic die 8. Martii an. 1734. fiduciam declaravit in Actis, qua dixit creditum ducatorum 20428.: 18. implicitum in Locis Montium Venetiarum perpetuo esse debere in faciem, caput, & nomen Fratris testatoris. De redditibus vero eorumdem Montium ita declaravit hisce verbis, quæ longiuscula licet, necessario tamen sunt apponenda. „ Debbano perpetuamente risponderſi alla Casa, o sia Collegio de „ RR. PP. Missionarj dell' Istituto del B. Vincenzo da Pavoli della presente „ Città di Genova, quali RR PP. debbano li detti frutti, e proventi per- „ petuamente, & abbiano in perpetuo l' obligazione di farne celebrare ogn' „ anno Mesſe 360. coll' applicazione del Sacrifizio secondo l' intenzione del „ detto Testatore, e con raguagliare l' elemosina delle Mesſe a ragione di „ soldi 13. 4. moneta di Genova fuori Banco per ciascheduna, & il sopravan- „ zo, che vi sarà di detta elemosina di Mesſe, abbiano parimente l' obligo „ in perpetuo di distribuirlo a veri poveri, e mendici, o in collocazione di „ povere Zitelle pericolanti tanto nella presente Città, quanto ne luoghi, „ ove attualmente facessero la Missione, il tutto secondo la determinazione „ del Superiore di d. Collegio, e suoi Assistenti pro tempore, e con carico, „ & obligo a Distributori di detti redditi, e proventi ad avere unicamente ri- „ guardo, che vengano suffragati, e soccorsi i veri poveri, e poverelle di „ Cristo, senza attendere ad altri rispetti umani, e con proibizione espressa, „ che non possano farsi assegnazioni preventive, ma solamente con frutti, e „ redditi esatti, e dopo seguita l' esigenza. „ Quod voluit testator, servatum fuit: Redditus illorum ducatorum 20428. 18. constituunt annuam summam sc. 323. 33. monetæ Romanæ: Ex his erogantur sc. 40. annua in stipendium Sacrorum: reliqua sc. 283. 33. pauperibus distribuuntur.

Postulavit nuper a Sacratissimo Principe nostro Maria Tomassina Multedo Puella Genuensis ex honestissimo genere, atque arcto sanguinis vinculo cum Testatore conjuncta, ut ex annuis illis sc. 283. 33. Beneficio optimi Principis assignarentur annua sc. 166. in causam suæ dotis per annos 24., ut ita posset virum paris conditionis invenire. Data fuit postulationis hujus cognitio Emis Patribus. Auditus fuit, ut moris est, Archiepiscopus, qui probationes natalium, consanguinitatis, & paupertatis recepit, & Patres audivit, a quibus plures propositæ fuerunt exceptiones, quibus respondit Maria Thomasina, utrasque retulit in Epistola sua Archiepiscopus, qui concludit; „ quod attentis circumstantiis Oratricis tam circa ipsius respectivæ paupertatis, quam „ arctæ ejusdem consanguinitatis cum Testatore, indulgeri posset aliqua, non

„ ta-

„ tamen expetita summa subsidii super dictis proventibus aut fructibus a te-
„ statore relictis pro iis repartiendis inter pauperes Puellas nubendas, quæ
„ congruere videtur verosimili, seu interpretativæ menti ejusdem Testato-
„ ris, qui, si adhuc vitam ageret, propriam neptem in angustiis positam
„ absque ulla ope minime relinqueret. „ Eamdem rationem latius nunc exequitur libello suo Maria Thomasina, & plura proponit rerum in hoc Sacro Tribunali similiter judicatarum exempla, se referens ad arbitrium Eminentissimorum Patrum, ut eam summam assignent, qua virum paris conditionis invenire possit. A Patribus nihil habuimus. Dubium est.

An & pro qua summa sit consulendum Sanctissimo pro gratia in casu &c.

Die Sabbathi 7. Aprilis 1753.

SUpersunt ex *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 24. transacti mensis *Martii* priores *quinque*, quas subjicimus, Causæ, quæque proponi non potuerunt, ideoque rogamus Eminentissimos Patres, ut ad eas expediendas *Folium* illud iterum consulant.

TOLETANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM, in qua quæritur. *Sess. 25. c. 19. de Regul.*
An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Negative, & amplius.

CARTHAGINEN. MATRIMONII, in qua quæritur. *Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.*
An constet de validitate Matrimonii in casu &c.

Iterum proponatur, & scribant duo Theologi, & Canonistæ pro veritate ex officio.

BRICTINORIEN. TAXÆ, cujus IX. sunt Capita. *ut in p.* 18. *Sess. 23. c. 19. de Ref.*
I. *An &c.*
Dilata in omnibus, & interim non retardata solutione Taxæ firmetur status Seminarii.

CÆSENATEN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS, in qua duo dubia disputantur. *Sess. 7. c. 8. & Sess. 21. c. 7. de ref.*
I. *An sit locus reædificationi Parochialis Ecclesiæ S. Zenonis Civitatis Cæsenæ in casu &c.*? & quatenus affirmative.
II. *An durante reædificatione d. Ecclesiæ Parochialis S. Zenonis liceat Parocho explere functiones Parochiales in Oratorio S. Josephi existen. intra limites Parochiæ in casu &c.*

Affirmative ad utrumque juxta mentem.

JANUEN. SUBSIDII DOTALIS, in qua quæritur. *Sess. 22. c. 6. & 8. de Ref.*
An, & pro qua summa sit consulendum Sanctissimo pro gratia in casu &c.

Negative, & amplius.

AL-

Sess. 25 c. 14. de Ref.

ALBINGANEN. IRREGULARITATIS: Data fuit hæc Causa in *Folio Congregationis* habitæ *die 3.* transacti mensis *Februarii*, responditque Sacrum Tribunal *Dilata*. Nunc igitur proponitur, & Eminentissimi Patres repetita lectione ejusdem *Folii*, duo, quæ tunc proponebantur, Dubia expedire poterunt.

I. *An constet de irregularitate?* & quatenus affirmative.
II. *An sit concedenda dispensatio in casu &c.*

Ad primum affirmative, & amplius. Ad secundum arbitrio Episcopi.

Sess. 22. c. 5. de Ref.

MONASTERIEN., ET OSNABRUGEN. CANONICATUUM: Duos Canonicatus, alterum anno 1662. in Cathedrali Ecclesia Monasteriensi, alterum anno 1668. in Ecclesia Cathedrali Osnabrugensi fundarunt genere, & pietate clarissimi Henricus de Galen Pater, & Franciscus Vvilhelmus de Galen filius Archicamerarius Monasteriensis. Activum Patronatum horum Canonicatuum reservarunt Archicamerariis omnibus juxta legem datam in fundatione hujus Officii, quæ est, ut primus Archicamerarius esset Franciscus Vvilhelmus Galen, indèque Primogenitus ejus filius masculus, & deinceps Primogeniti omnes masculi descendentes, quibus omnibus deficientibus, alii substituti fuerunt, ac denique tertio loco vocatus fuit Ludovicus Theodorus de Galen ex Ermelinghoff transversalis, ejusque linea primogenialis masculina. Passivum Patronatum reservarunt Clericis sui generis eodem successionis ordine, qui præscriptus fuerat in successione Archicamerariatus. In fundatione Monasteriensi ita mentem suam explicarunt Fundatores „ Est autem „ mens, & intentio nostra, ut præsentandus semper, & in omne ævum sit „ Romano-Catholicus, actu & de facto Clericus, legitimo, & equestri tho- „ ro natus ad minimum septennis; *In Osnabrugensi vero ita sese expresserunt* - Porro præsentandus semper erit Romano Catholicus, actu Clericus, le- „ gitimo, & equestri thoro natus ad minimum septennis de familia de Galen, „ sive is ex agnatione, sive cognatione fuerit pro Archicamerarii arbitrio. „ Utrumque vero Canonicatum voluerunt esse *Domicellarem*, seu Expectantium, expresse declarantes nullum ob id impedimentum oriri posse Canonicis, ne alia etiam obtinerent Beneficia in aliis Ecclesiis Cathedralibus, & permiserunt, ut etiam absentes fructus quosdam percipere possent.

Vacarunt nuper duo hi Canonicatus morte Caroli Antonii de Galen, Vvilhelmus Ferdinandus Liber Baro de Galen filius, & nepos duorum, quos diximus, Fundatorum, ac præsens Archicamerarius Monasteriensis, eorumdem Canonicatuum Patronus cupiens præsentare Clementem Augustum suum filium *quinquennem*, preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, quibus postulavit veniam ætatis. Data fuit postulationis hujus cognitio Amplissimis Patribus, a quibus auditi Officiales Monasteriensis, & Osnabrugensis secundum eam postulationem responderunt, multa proponentes, ex quibus ad hanc gratiam indulgendam pronior esse posset Summus Pontifex. Contradictorem tamen sese præstitit huic postulationi Lotharius Franciscus Vvilhelmus de Galen ex Ermelinghoff de linea Ludovici Theodori tertio loco substituta, qui alios duos habet Canonicatus, alterum in Cathedrali Ecclesia Vvormatiensi, alterum in Ecclesia Cathedrali Mindensi æque fundatos ab iisdem Fundatoribus, & ad quos præsentatus fuit ab Archicamerario Vvilhelmo Ferdinando. Hic sibi debitam putat institutionem ex passiva vocatione, & obsistit dispensationi ætatis, quam postulat Clemens Augustus. Causa nunc igitur proponitur, prorogato jam legitimo tempore quadrimestris, quod tamen propediem deficiet. Urget Clemens Augustus rem esse de filio Patroni, qui recta descendit a fundatoribus, quique est de linea prædilecta, & primo loco in Fundatione vocata, in quibus circumstantiis solet Sancta Sedes sequendo verisimilem Fundatorum mentem, & voluntatem, ætatis veniam indulgere ut passim tradunt Doctores, & frequentissime respondit hoc Sacrum Tribunal

uti

uti antiquioribus omissis, dignosci potest ex decretis in *Melevitana* 12. *Febr.* 1735., ubi res erat de puero duorum annorum, in *Cathacen dispensationis* 11. *&* 25. *Jan.* 1738., *in Brixinen dispensationis* 1. *&* 15. *Martii eodem anno* 1738., *in Aretina* 16. *Decemb.* 1747., in qua res erat de puero trium annorum, in *Lucana Beneficii, seu Cappellaniæ* 17. *Maii* 1749., in qua res erat de puero quatuor annorum, in *Asculana Cappellaniarum super dispensatione* 22. *Augusti* 1750., in qua agebatur de puero annorum trium, & in *Salernitana dispensationis* 19. *Dec.* 1750., *&* 13. *Martii* 1751.

Neque mutare putat legem utriusque fundationis, quæ requirit, ut *præsentandus sit actu Clericus, & ad minimum septennis*, cum nihil vetet, ut ex verisimili mente Fundatorum, qui, si nunc viverent aliam legem in hac specie sancirent, derogetur fundationi, ut passim derogatur in Beneficiis actu Sacerdotalibus juxta constantem praxim, de qua testimonium perhibent *Rebuff. in prax. benef. par. 3. verb. nec non Jurispatr. n. 72. Piton. de contr. patron. alleg.* 17. *n.* 15., præsertim cum id ferat qualitas Canonicatuum, qui sunt Domicellares, & Expectantes, & ideo in supplicationibus expresse adjectum fuit decretum, ut gratia dispensationis non exequatur, nisi postquam Clemens Augustus ad septennium pervenerit, & Clericus fiat; unde facilius dispensatio indulgenda fit, quod nullum Ecclesiæ servitio detrimentum inferatur, nullumque Lothario Francisco Vvilhelmo de Galen ex Ermelinghoff contradictori, qui jam duos habet Canonicatus, qui est de linea tertio loco vocata, quique nullum habet jus sese opponendi, cum non sit in pari gradu vocationis, neque Summus Pontifex dispensando, & concedendo veniam ætatis, lædat jus ei quæsitum. Cum enim prælatio a fundatoribus data sit Clericis descendentibus, Summus Pontifex concedendo veniam ætatis Clerico descendenti, utitur jure suo, neque ullam infert injuriam alteri, qui non habet eam qualitatem descendentis, quam primo voluerunt Fundatores, ut differunt *Card. de Luca de jurepatron. disc.* 82. *num.* 5. *Carol. Anton. de Luca de linea legal. art.* 22. *num.* 5. *Piton. de controv. patron. alleg.* 100. *n.* 338.

Eoque amplius, quod, durante termino ad præsentandum, nulla habetur ratio eventualis detrimenti, quod ex concessione gratiæ evenire potest successive vocatis, qui præpedire nequeunt dispensationem ætatis ei, qui antecedenter vocatus est, ut antiquioribus relatis tradunt *Card. de Luca de jur patron. disc.* 70. *num.* 16. *Carol. Anton. de Luca ad Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 6. §. 11. *num.* 9. *& de Lin. legal. lib.* 1. *art.* 24. *num.* 12. *Piton. discept. eccles.* 12. *n.* 42. *in fin.*, *& discept. eccles.* 69. *num.* 23. *&* 300. Et cum fundatores respexerint non ad tempus *vocationis*, quo casu posterior vocatus habilis acquirere potuisset jus excludendi priorem vocatum eo tempore non habilem, sed ad tempus *præsentationis*, certi juris esse hoc casu nullum posteriori vocato quæsitum fuisse jus sive in re, sive ad rem intra tempus Patrono datum ad præsentandum, sed nudam dumtaxat spem obtinendi Beneficium, quæ nullam præstat facultatem præpediendi veniam ætatis præsentato a Patrono, ut distinguendo docent *Piton. allegat.* 1. *num.* 23. *vers. secundus est, & vers. tertius casus, & dicta discept. Eccles.* 13. *num.* 40. *&* 41. *& in Peregr. ad discep.* 17. *&* 18. *& Fargna de jurepatron. par.* 2. *cap.* 3. *cap.* 6. *num.* 8. His addit, & egregia gentis suæ facinora, & merita in Catholicam Religionem, & obstacula, quæ contradictor habere poterit, & turbas, quæ ex ejus admissione inter Germaniæ Capitula cieri possent, quæ omnia legent Eminentissimi Patres in ejus libello, & in Officialium Monasteriensis, & Osnabrugensis testimoniis.

A Lothario Francisco Vvilhelmo de Galen ex Ermelinghoff nihil adhuc habuimus. Dubium est.

An sit locus dispensationi ætatis in casu &c.

Affirmative.

VI-

Sess. 14. c. 12. de Ref.

VIGILIEN. JURISPATRONATUS: Testamento, quod condidit die 2. Januarii anno 1751. Joannes Frisarius Vigiliensis, instituto hærede Florillo Frisario, pluribusque datis Legatis Piis, hæc addidit,, vuole, che dopo sua morte il suddetto D. Fiorillo Frisarj debba fondare, come in virtù del presente Testamento fonda un Beneficio Ecclesiastico perpetuo de jurepatronatus de Domo, & familia Frisari, la di cui nomina debba sempre toccare, e spettare al suddetto Don Fiorillo erede universale, ed in futurum alli suoi figli maschi, e figli di detti maschi, e loro discendenti maschi di famiglia Frisari, da investirsi dopo la morte di esso Testatore un figlio maschio del medesimo D. Fiorillo, con esser sempre preferito in detta investitura il Sacerdote di famiglia Frisari discendente da detto D. Fiorillo, e nel caso, che non vi fosse Chierici, e Sacerdoti di famiglia Frisari da esso D. Fiorillo discendenti, in tal caso la nomina di detto Beneficio anche debba spettare sempre a chi terrà la Primogenitura di detti discendenti sempre in linea mascolina, escluse affatto le femine, con doversene stipolare dopo la morte di esso Testatore publico Istromento di detta fondazione a consiglio de' savj senza pregiudizio de' futuri chiamati, e non altrimenti.,, Testamentum hoc rogatum fuit a Dominico Mango, qui expressam adjecit reservationem sui crediti contra Testatorem his verbis,, salvis juribus contra dictam hæreditatem omnium laborum, & scripturarum pro præterito factarum, & signanter pro confectione præsentis testamenti, & non aliter.

Hanc dispositionem Testator vivens exequi voluit, ideoque die 3. Maii eodem anno 1751. publico Instrumento beneficium fundavit, & primum illius Rectorem nominavit Sacerdotem Petrum Mango fratrem Dominici creditoris his verbis,, e volendo lo stesso Don Giovanni &c. la detta pia disposizione &c. ridurre ad atto giurato irrevocabile tra vivi &c. ha stimato perciò fondare detto Beneficio perpetuo Ecclesiastico mere laicale con moderare, e spiegare la sua volontà, e per primo Rettore nomina il Signor Don Pietro de Mango di detta Città &c., e volendo &c. ex nunc in antea, in perpetuum, & mundo durante, ha istituito eretto, e fondato, siccome istituisce, erigge, e fonda detto Beneficio Ecclesiastico mere laicale de domo, & Familia Frisari, con aver sottoposto &c. per fondo, e dote di detto Beneficio detti Vignali &c., e per primo Rettore, o sia Possessore di detto Beneficio liberamente, e senza macchia veruna di simonia, ha chiamato, siccome nomina, ed elegge il detto R. D. Pietro de Mango presente, & accettante col peso di detta annua celebrazione &c., e goderselo &c., e dopo la morte dello stesso D. Pietro primo Beneficiato debba il Beneficio suddetto pervenire, e ripassare alla Famiglia Frisari &c & estinta la linea &c. la nomina di detto Beneficio, e l' investitura far si debba dal Vescovo pro tempore di questa Città &c. col peso di detta annua celebrazione &c. e subito, che sarà seguita la di lui morte, lo stesso D. Pietro nominato primo Rettore, e propria authoritate senza decreto di Giudice, o altra solennità giudiciaria, con un semplice atto di possesso per mano di Regio Notaro possa, e debba prendere il possesso di d. Beni Beneficiali &c.

Morte obita a Testatore, Petrus Mango sese in possessionem immisit, at Florillus hæres scriptus, parendo dispositioni Testamentariæ Beneficium Ecclesiasticum publico Instrumento fundavit, *salvo assensu per Ordinarium præstando*, & Marinum filium Rectorem nominavit. Mox adiit Episcopum, ut authoritatem suam decretumque erectionis interponeret; cum Episcopus renuisset, confugit ad Eminentissimos Patres, contendens nullam habendam esse rationem fundationis factæ a Testatore pubblico Instrumento dum viveret. Audito igitur Episcopo, Causa nunc proponitur, & disputat Florillus servandam esse fundationem suam, utpote legitimam, & factam in exequutionem certæ voluntatis a defuncto expressæ in suo Testamento; reiciendam vero uti nullam, & simoniæ labe, vitioque inquinatam alteram factam a Testatore, quod Dominicus Mango creditor ducatorum 130. obtulisset remissio-

sionem crediti, & liberationem, si Beneficium fratri Petro Mango tribuisset; repugnasse primum Testatorem, mox assensum præstitisse, & ita factam fuisse Beneficii fundationem. Probat id Florillus quinque Testibus, addit participem fuisse Petrum Mangum, tum quia cum fratre Dominico una in domo moratur, tum quia Petrus fuit *præsente*, *& accettante*. Ex alio quoque crimine ambitus repellendum esse Petrum, quia, utroque actu, & Testamenti, & fundationis spectato, inficiari nequeat rem esse de Beneficio Ecclesiastico cum reservatione Patronatus pro laicis, ideoque requirebatur omnino assensus Episcopi, & tamen Petrus, hoc assensu non impetrato, Bona occupaverit, & se in possessionem immiserit Beneficii. Hæc Florillus; a Mango nihil habuimus. Dubium Causæ est.

An, et quæ fundatio sustineatur in casu etc.

Sustineri fundationem factam a Joanne Frisario.

POTENTINA BENEFICII. Morte Francisci Cortese, quæ evenit transacto anno 1752. Mense Februario Sanctæ Sedi reservato, vacavit simplex Beneficium situm in Diœcesi Potentina sub titulo S. Sophiæ. Hoc Beneficium obtinuit Canonicus Januarius Cominellius; At dum parat Literarum Apostolicarum expeditionem, a Collegio, sive Seminario Potentino appositum fuit *nihil transeat* in Officiis Datariæ ex causa unionis, quam Episcopus Melendez fecerat hujus Beneficii cum Seminario, & quam, qui nunc Ecclesiæ Potentinæ præest, Episcopus, confirmaverat post vacationem ejusdem Beneficii. Postulavit Cominellius relaxationem Literarum Apostolicarum, sed placuit R. P. D. Datario Causæ cognitionem mandare sacro huic Tribunali. Urget igitur Cominellius nullam moram iniici posse gratiæ Summi Pontificis, relaxationi Literarum, quia neque unio, neque unionis confirmatio validæ sint: non unio, quia facta fuerit ab Episcopo, non servata forma Tridentini, & Benedictinæ cognitissimæ Constitutionis *Creditæ nobis*, quæ edita fuit in *Appendice ad Concil. Roman.* Uniones enim subsidiariæ sunt, neque fieri possunt, nisi eo casu, quo Taxa non sufficiat, & adhibitis quatuor Deputatis, duobus de Capitulo, duobus de Clero: nihil horum servatum fuisse; nullam esse Taxam Beneficiorum, exceptis quibusdam voluntariis Oblationibus, quas solæ Collegiatæ Ecclesiæ Seminario præstant, ut ambigi non possit nullam fuisse eam unionem, non servata forma, qua de re nuper actum est in *Vallisoletana*. Non vero confirmatio, quæ accessoria est nullæ unionis, eoque amplius, quod & ipsa nulla fuerit, cum facta sit, vacato jam Beneficio, & consequenter post jus quæsitum S. Sedi ob vacationem in Mense reservato. Hæc Cominellius. A Seminario nihil habuimus. Dubium est. *Sess. 23. c. 18. de Ref.*

An sit relaxanda supplicatio in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Die Sabbathi 12. Maii 1753.

POTENTINA BENEFICII: Causa hæc, quæ data fuerat *in Folio Congregationis* habitæ *die* 7 transacti mensis *Aprilis*, responsum accepit - *Dilata ad sequentem*. Nunc igitur eam damus obsequentes imperio Eminentissimorum Patrum, quibus grave non erit idem *Folium* iterum consulere, ut Dubium expediant. *Sess. 23. c. 18. de Ref.*

An sit relaxanda supplicatio in casu &c.

Negative.

Sess. 22. c. 5. de Ref.

RAVENNATEN, SUE FAVENTINA JURISDICTIONIS: Postquam in *Congregatione* habita *die* 18. *Aprilis anno* 1750. definita fuerunt tria Causæ hujus Capita. „ I. An liceat Curiæ Archiepiscopali Ravennæ deputare in Civitate, & Diœcesi Faventina Notarium ad recipiendas appellationes, aliosque Ministros pro exercitio suæ Jurisdictionis? II. An Ministri, sive mere laici, sive Ecclesiastici deputati ab eadem Curia pro exactione reddituum mensæ Archiepiscopalis sint exempti a Jurisdictione Ordinarii? *& quatenus affirmative*. III. An Curia Archiepiscopalis possit pro sui libito eosdem Ministros deputare, & quoad eos Jurisdictionem exercere, ut valeat transmittere Commissarios, ac Familiam armatam, fabricare Processus, & similia in Civitate, & Diœcesi Faventina, itaut Processus ultimo loco constructus contra Barbettum sustineatur in casu &c. - *Respondentibus Eminentissimis Patribus* - Ad I. Negative. Ad II. Negative. Ad III. Provisum in secundo, „ ut in *Thesaur. Resol. Sac. Congreg. Vol. XIX.* Causa iterum instante Promotore Fiscali Curiæ Archiepiscopalis proposita fuit in *Congregatione* habita *die* 9. *Septemb.* transacto anno 1752., sed Eminentissimi Patres respondendum censuerunt - *Dilata, & fiat confrontatio documentorem citata Parte coram Domino Secretario*. Nunc itaque Causa reproponitur, & expediendum est Dubium.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita.

Sess. 6. cap. 1. Sess. 7. cap. 3. Sess. 23. c. 1. de Ref.

FULGINATEN.: Data fuit hæc Causa in *Folio Congregationis* habitæ *die* 19. *Augusti* transacto anno 1752., & IV. ejusdem Capitibus, quæ erant „ I. An Parochus Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Mariæ in Cœlum Assumptæ Collis Campi Rasci teneatur residere diu, noctuque in ædibus Parochialibus ejusdem Ecclesiæ? II. An possit alternative in Dominicis celebrare Missam, aliasque Parochiales functiones exercere in Ecclesia Sancti Sebastiani existen. intra limites Parochiæ, vel potius teneatur eadem omnia peragere singulis Dominicis, aliisque diebus Festivis in Ecclesia Parochiali? III. An retinere debeat Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia Parochiali? IV. An possit sepellire Parochianos in Ecclesia Sancti Sebastiani, vel potius eosdem sepellire teneatur in Ecclesia Parochiali? *Respondit Sacrum Tribunal* ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad III. Affirmative. Ad IV. Affirmative ad primam partem quoad eligentes tantum. „ Post hæc nomine Parochialis Ecclesiæ expedito coram A. C. *monitorio super exequutione horum rescriptorum*, eoque Thomæ Gregorii Parocho *præsentato*, cum ejus Procurator mandatum procuræ non exhibuisset, lata fuit ab A. C. *per contradictas* sententia, qua pronunciavit rescripta illa esse exequenda, & hæc quoque sententia Parocho *præsentata* fuit, sed, eo tacente, authoritatem accepit rei judicatæ, cui cum Parochus non obtemperaret, petitum fuit contra eum *mandatum de gravando*.

Percussit hæc res Parochum, & ut imminentem tempestatem effugeret, excitavit Vicanos aliquos Scandularii, qui ab hoc Sacro Tribunali postularunt audiri adversus supradicta responsa, quod jura sua, & Ecclesiæ Sancti Sebastiani non proposuissent. Indulta igitur *nova audientia*, Incolæ Collis adiverunt R. P. D. Auditorem Sanctissimi, qui jussit *supersederi in exequutione sententiæ A. C. usque ad exitum Causæ in Sacra Congregatione Concilii*. Data igitur fuit epistola ad Episcopum ob novas preces Vicanorum Scandularii; Hæc autem epistola reddita non fuit Episcopo, licet Fulginiæ esset, sed Vicario Generali, qui sibi arrogans hanc facultatem respondit, inscio Episcopo, contra ejus sententiam. Causa nunc reproponitur: Incolæ Collis libellum dederunt, quo justitiam Decretorum Sacri hujus Tribu-

nalis

nalis demonſtrant : A Vicanis Scandularii nihil habuimus. Dubium eſt.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

VITERBIEN. Diſceſſit anno 1709. Joſeph Roſati e Civitate Amerina, ubi natus erat Patre Amerino, & Viterbium ſe contulit, unde matris origo erat, & in qua plurima poſſidebat materna bona, & poſtquam viginti duobus, & ultra annis in eadem Viterbii Civitate moram traxerat, & plura ſubſtinuerat munera, quæ a Civibus Viterbienſibus geri ſolent, pluraque etiam comparaverat bona immobilia, uxorem ibi duxit, ex qua plures ſuſtulit liberos. In Civitatem vero Amerinam tribus, aut quatuor dumtaxat vicibus rediit, ut negociis, rebuſque ſuis conſuleret, ſupellectilem tamen omnem, matrem, ſororem e domo paterna Ameriæ Viterbium abduxit, ædeſque ipſas locavit. Poſt fugam annorum trium ſupra quadraginta, quibus Joſeph Viterbii moram trahebat, Aloyſius ejus filius Viterbii natus poſtulavit ab Eminentiſſimo Epiſcopo Viterbienſi clericalem tonſuram, quam præſtito a Joſepho patre jurejurando ad formam cognitiſſimæ Conſtitutionis 96. Optimi Principis Innocentii XII., cujus initium eſt -- *Speculatores Domus Iſrael -- Bullar. nov. vol. 9.*, obtinuit ab Eminentiſſimo Epiſcopo. Validitatem hujus promotionis in dubium revocavit Epiſcopus Amerinus contendens ſpectandam eſſe patris originem, qui numquam Ameria diſceſſerit animo deſerendi domicilium Amerinum, & novum contrahendi in Civitate Viterbii. In hac igitur Amerini Epiſcopi dubitatione ſatius duxit Aloyſius preces Eminentiſſimis Patribus offerre, quibus poſtulabat, ut Clericalis ſua Promotio valida declararetur. *Seſs. 24. c. 4. de Ref.*

Auditi fuerunt utrique Epiſcopi : utroque juriſdictionem ſuam defendente, cum ex facto non convenirent, optimum viſum fuit alterius epiſtolam ad alterum mittere, ut ita melius facti veritas conſtare poſſet. Epiſcopus Amerinus nihil reſpondit : Eminentiſſimus Viterbienſis Epiſcopus luculenta epiſtola rem omnem in apricum protulit, rejecitque ea, quæ ab Amerino fuerant objecta. Cauſa nunc proponitur, & urget Aloyſius validam eſſe declarandam promotionem, ſive ſpectetur primus, ſive ſpectetur alter ex duobus caſibus, quos Summus Pontifex conſtituit in dicta Conſtitutione -- *Speculatores*. Cum enim ipſe naturaliter ortus fuerit in Diœceſi Viterbienſi, in qua ad Tonſuram promotus fuit, conſequens apertum eſſe validam promotionem fuiſſe : Clariorem eſſe alterum caſum, quia Joſeph Pater ex his, quæ ſupra narravimus, deſeruerit animum Ameriam redeundi, & novum domicilium contraxerit Viterbii longo quadraginta trium annorum incolatu, ita ut Civis Viterbienſis factus ſit, & ad formam Bullæ Sacramentum præſtiterit ; ideoque conſequens apertum eſſe, ut ab Eminentiſſimo Viterbienſi Epiſcopo valide ad Tonſuram ipſe fuerit promotus. Onus itaque erit Eminentiſſimorum Patrum omnibus, quæ ab utroque Epiſcopo proponuntur, diligenter, ut ſolent, perſpectis, decernere, qua ratione expediendum ſit Dubium.

An conſtet de valida promotione Aloyſii ad primam Clericalem Tonſuram in caſu &c.

Affirmative.

ROMANA MATRIMONII : Captus amore honeſtæ Puellæ Joannæ Tironi Hercules Faella Imolenſis ſponſalia cum ea contraxit, utque matrimonium etiam contraheret, poſtulavit ab Eminentiſſimo Urbis Vicario veniam illud ineundi ſine publicis denunciationibus. Cum hanc veniam non impetraſſet, curavit a Civitate Imolæ teſtificationes ſtatus liberi : rem omnem hac occaſione cognoverunt conſanguinei, & ejus frater Romam venit, *Seſs. 24. c. 1. de Ref. Matr.*

 ut eum

ut eum averteret ab hoc matrimonio, secumque Imolam reduceret. Præsenserunt amantes fratris adventum, & consilia inierunt. Re composita, acciti fuerunt die 23. Septembris anno 1744. plures Testes in domum Puellæ, & vocatus fuit Sebastianus Raggi Parochialis Ecclesiæ S. Thomæ in *Parione* Vice-Parochus, qui, Parocho tunc temporis ægrotante, Parochialia munera exercebat. Non constat ex dictis Testium, & Vice-Parochi de certitudine rei; alio enim, atque alio modo factum ab ipsis narratur. Sebastianus inquit, rogatum fuisse, ut fineret Herculem in ædibus Parochialibus habitare, donec frater ejus re infecta Imolam rediret: respondisse id fieri non posse sine Parochi assensu: discessisse igitur e domo Puellæ, aditoque Parocho, eum non solum negasse assensum, sed monuisse etiam, ne se hisce rebus misceret: regressum fuisse domum Puellæ, redditoque responso Parochi, interpellatum fuisse ab Andræa Portio uno ex Testibus hisce verbis „ E che si crede Signor Don Sebastiano, che la Signora Giovanna lo voglia il Signor „ Ercole Faella? -- *illicoque Puellam respondisse* -- lo voglio, lo voglio -- „ *ipsum vero dixisse* -- adagio, adagio, che io sono il Vice-Curato, e non „ il Curato -- *addidisse Andræam Portium* -- qui si scherza, e non ci biso- „ gna di far questo. *Ita rem narrat Vice-Parochus, Paulo aliter Andræas* „ *Portius* -- li dissi submissa voce: Signor Vice-Curato questi Signori si vo- „ gliono, quí non c'è rimedio &c. allora senza, che altri intermezzassero „ discorso, parló il Signor Conte Ercole Faella, e disse -- Certo, ó cosi é, „ ò una cosa simile Signor Vice-Curato la Signora Giovanna è mia moglie -- „ allora la Signora Giovanna rispose -- Il Signor Conte Ercole Faella è mio „ sposo -- oppure -- mio marito -- salva la verità di queste alternative &c. „ Io Testimonio allora mi voltai verso il Signor Vice Curato, e dissi -- questi figliuoli scherzano -- ed allora il Vice-Curato rispose -- queste son cose „ ridicole, perchè io non hò alcuna facoltà.

Tertius vero Testis ita rem narrat „ E subito entrato in detta stanza &c. il pri- „ mo a parlare fù il Curato suddetto dicendo -- in che devo servirli? -- allo- „ ra il primo a parlare fù il Signor Conte Faella, e disse -- la Signora Gio- „ vanna è la mia sposa -- e la prese per la mano, allora senza, che alcuno in- „ termezzasse parola, parlò la Signora Giovanna Tironi, e disse -- il Signor „ Ercole è il mio sposo -- tenendosi ancora per la mano: allora il Signor An- „ drea Porzi disse -- Eh Padre Curato credo, che la Signora Giovanna burli -- „ allora senza, che alcuno intermezzasse parola. La Signora Giovanna, ed „ il Signor Conte risposero unitamente -- non burliamo, ma diciamo da „ vero -- Allora vidi, che il Parocho fece un atto ammirativo, e se ne an- „ diede via senza far parola „. De eadem manuum conjunctione, & iisdem verbis testatur quartus Testis, solumque addit Vice-Parochum respondisse -- *Piano, che che queste cose non si possono fare: Io son Vice-Curato, e non hò questa facoltà*. Post hæc, repertus Hercules a fratre Romam deserere, & patriam revisere coactus fuit: Vice-Parochus neque in libris Parochialibus matrimonium hoc scripsit, neque de eo certiorem reddidit Eminentissimum Urbis Vicarium: non omisit tamen Puella opponere in Actis *nihil transeat*, & Apocham sponsalium edere, precesque offerre Eminentissimo Urbis Vicario, quibus omnia, quæ gesta fuerant, narrabat, Eminentissimus Cardinalis Vicarius, audito Vice Parocho, Puellæ precibus nihil rescripsit. Plures interim Puella epistolas dedit ad Herculem, plures ab eo recepit, quibus uxoris, & viri nomine sese appellabant. Inter has epistolas unam accepit Hercules cum adjuncto mandato procuræ ad contrahendum matrimonium, servatis omnibus solemnitis, rogabatque Herculem Puella, ut mandatum subscriberet, & Romam ad eam mitteret, ut matrimonium per Procuratorem contrahi posset. Literas has Puellæ nomine scripsisse testatur Franciscus Purricellius.

Agnovit tandem Puella Herculis animum longa absentia mutatum fuisse, ideoque cogitavit de lite instruenda, res itaque deducta fuit ad Tribunal Eminentissimi

tissimi

tissimi Vicarii, & Testes formiter repetiti fuerunt, non ii tantum, quos supra dedimus, sed etiam alii plures, ex quibus cognosci posset, an Parochus vere eo tempore ægrotaret, & an facultates a Parocho haberet Vice-Parochus Sebastianus Raggi, & hi pariter non conveniunt, ut legent Eminentissimi Patres. Tandem lata fuit sententia, qua pronunciatum fuit -- *non constare de asserto matrimonio*. Res ex appellatione delata ad hoc Sacrum Tribunal, disputat nunc Hercules nullum fuisse Matrimonium illud tum defectu mutui actualis consensus,, tum defectu facultatis Vice-Parochi, cui Parochus neque generaliter, neque specialiter hanc dederit veniam, ut præsens esset Matrimoniis. Longum esset rationes utriusque Partis Libelli ab Hercule dati hic exscribere; *Folium* enim in Volumen excresceret. Legent eas Eminentissimi Patres in eodem Libello, neque a Puella, neque a *Defensore Matrimonii* aliquid adhuc habuimus. Dubium est.

An constet de Matrimonio, ejusque validitate in casu &c.

Non proposita.

FAVENTINA APPLICATIONIS MISSÆ: Donavit anno 1500. Bartolus Fornarius Patribus Sancti Augustini Civitatis Faventiæ ,, unam Petiam terræ arativæ tornaturarum 17., vel circa, *dato onere* -- quod Prior, ,, & Fratres dicti Conventus, qui pro tempore fuerint, teneantur celebrare ,, in perpetuum, ac semper, & omni tempore usque ad consumationem Sæ- ,, culi singulis Dominicis, & aliis diebus Festivis, quando pro Priore So- ,, cietatis Ursulinæ de Faventia fuerint requisiti, celebrare seu celebrari ,, facere per unum ex dicti Conventus Fratribus idoneum in Ecclesia, sive ,, Oratorio Sanctæ Ursulæ Faventiæ Missam unam absque aliqua solutione vel præmio -- *Patribus autem contravenientibus præsertim requisitis, nullum esse voluit donationem, prædiumque donatum ad hæredes suos per-* ,, *tinere* -- ea etiam lege, & conditione, ut ipsi hæredes perpetuo teneantur, ,, & debeant eorum sumptibus perpetuo, ut supra, in eadem Ecclesia, sive ,, Oratorio Sanctæ Ursulæ celebrari facere dictam Missam singulis diebus, ,, quibus supra ,,. Donationem hanc Patres Sancti Augustini, agnita ejusdem utilitate, plenissimè, & servatis omnibus solemniis, agnoverunt: Onus quidem impletum ab ipsis fuit, an vero Sacra primis illis a donatione temporibus applicaverint, ignoratur. Illud certum est, nona Synodo Diœcesana coacta ab Episcopo Rossetti, generali lege constitutum fuisse ,, quod ,, Missa semper applicetur pro Anima Testatoris, vel Fundatoris Cappellæ, ,, quoties certo constat de obligatione celebrandi, licet in Legato, vel Fun- ,, datione specialiter cautum non fuerit de ipsa Sacrificii applicatione.

Sess. 22. decr. de observ. & evit. in celeb. Miss.

Sacram inde Visitationem clar., mem. Cardinalis Nigronus, qui Rossetto in Episcopatu Faventino successit, decrevit, ut Sacra a Patribus Sancti Augustini celebrata in distincto, & particulari libro adnotarentur, ea fortassemente, ut hac ratione de applicatione constare posset. Patres tamen Sacra numquam applicarunt, stipendiumque ab aliis acceperunt, ideoque clar. me. Cardinalis Piazza, dum in Ecclesia, seu Oratorio Sanctæ Ursulæ Visitationem haberet, Priori, & Patribus Sancti Augustini etiam applicationem præcepit, vetuitque, ne duplex stipendium acciperent. In irritum tamen cessit præceptum, & prohibitio. Sodales igitur ad hoc Sacrum Tribunal venerunt postulantes, ut Patres Sancti Augustini non ad celebrationem tantum, sed etiam ad applicationem Sacrorum compellerentur, utque declaretur eos teneri ad ea etiam, quæ, licet hactenus celebrata fuerint, non tamen applicata fuerunt. Auditus Episcopus secundum Sodales respondit, & censuit Patres cogi posse ad applicationem Sacrorum, quæ hactenus celebrata fuerunt *saltem a die evulgatæ nonæ Synodi Cardinalis Rosetti, qua rei malæ fidei sunt effecti*. Nunc itaque Causa proponitur, Sodalibus urgentibus Juris præsumptionem, ut Donator applicationem voluerit Sacrorum, atque

que hanc ipsam voluntatem colligunt ex conjecturis eductis ab oneris perpetuitate, a prohibitione aliud stipendium accipiendi, a pretio conspicuo rei donatæ, ab onere demum dato suis hæredibus in casu contraventionis Patrum, *ut teneantur, & debeant eorum sumptibus perpetuo celebrari facere dictam Missam*. Urgent denique Episcoporum Decreta, & Synodales Constitutiones, quæque a Patribus opponuntur, præsertim ex diuturna duorum Sæculorum contraria consuetudine refellunt, substinentes damnandos esse Patres ad Sacra applicanda ab edita nona Synodo Cardinalis Rossetti.

Contra vero Patres disputant mentem, & voluntatem Donatoris fuisse, ut commodo Sodalium prospiceret, qui possent hora ipsis aptiori Sacrum audire, non vero, ut animæ suæ suffragio consuleret, quod non solum appareat ex verbis donationis supra adductis, sed etiam *ex modo*, quo onus datum fuit -- *Quando pro Priore Societatis Sanctæ Ursulæ de Faventia fuerint requisiti* -- qui modus manifestò demonstret Donatorem ad suffragium animæ suæ non respexisse, sed ad solum Sodalium commodum, alias celebrationem non contulisset in requisitionem Sodalium, qui, si non requisivissent, aut non requirerent Sacrum, potuissent, & possent Patres celebrationem ommittere, & consequenter cessasset, & cessaret suffragium animæ Donatoris. Patere igitur apertissime commodo dumtaxat Sodalium prospicere eum voluisse, & consequenter non posse Patres etiam applicationis onere gravari, satis enim oneratos fuisse, ut pendere deberent a commodo Sodalium diebus Domini, & Festis, quibus Ecclesia Patrum numero eget majori Sacrorum. In hac autem materia juris esse non incerti, ut varianda Sententia sit ex variis circumstantiis, diversisque conjecturis eductis præsertim a mente Fundatorum, vel Testatorum, & causa finali disponendi, ideoque cum mens fuit, ut Sacrum ageretur pro commodo Populi, Monialium, Agricolarum, Artificum, Peregrinorum, constantem esse Sacri hujus Tribunalis sententiam non teneri ad applicationem, ut in „ Ferrarien. Applicationis Sacrificii 2. Junii 1729. „ in Mediolanen. Applicationis Missarum 15. Decembris 1731, in Senogallien. Missarum 20. Decembris 1732., in Lucana Applicationis Missæ quotidianæ 20. Januarii 1735.

Accedere negativam consuetudinem biscentum quinquaginta annorum, quæ, etsi res dubia esset, optima sit interpres voluntatis dubiæ, & obscuræ Donatoris, neque suaderi posse, fuga tam diuturni temporis, hæredes Fornarii, Sodales ipsos Sanctæ Ursulæ, Episcopos Faventinos, Commissarios Reverendæ Fabricæ Sancti Petri tacuisse omnes, nisi cognovissent onus hoc applicationis datum non fuisse; Eoque amplius, quia Prædium donatum non magni sit pretii, neque largos redditus præstet. Sunt & alia in libello Patrum, quibus onus hoc applicationis a Donatore datum non fuisse ipsi conijciunt. Omnibus igitur, quæ a Sodalibus, & a Patribus proponuntur, expensis, duo quæ subiicimus, Causæ Capita ab amplissimis Patribus sunt expedienda. Hæc Sodales.

I. *An Patres Conventus Sancti Augustini teneantur ad applicationem Missæ celebrandæ singulis diebus Dominicis, & Festis in Ecclesia, seu Oratorio Confraternitatis Sanctæ Ursulæ Civitatis Faventiæ?* Et quatenus affirmative.

II. *An, & a quo tempore iidem Patres cogendi sint ad satisfactionem Missarum in præteritum, ut ipsi asserunt, non applicatarum in casu &c.*

Dilata, & firmetur status.

Sess. 7. de Baptism. Can. 4.

CENETEN. Postulat Episcopus Cenetensis, ut Eminentissimi Patres dubitationes suas solvant de casu, qui nuper evenit, & quem ejusdem verbis damus „ Obstetrix rudis, & octogenaria baptizavit Infantem in mortis „ discrimine constitutum sub hac forma -- *mi te abbattezzo in nome del Padre, e del Figliuolo dello Spirito Santo* -- De hac forma factus certior „ In-

„ Infantis Parochus dubitavit, an validus fuerit Baptismus propter omissio-
„ nem particulæ ET. Consuluit Episcopum Ceneten., qui jussit Infantem
„ illum sub conditione iterum baptizari, & id non modo propter omissionem
„ particulæ ET, per quam significatur Divinarum Personarum distinctio,
„ verum etiam propter verbum illud de novo inventum ABBATTEZZO,
„ quod in vernaculo idiomate illarum Partium prorsus recens est, omnique
„ significatione carens, & si quid forte significaret, utique nihil aliud, nisi
„ Abbatem efficio, sive Abbatem gero. Quærit propterea Episcopus, num
„ propter ambas prædictas inspectiones, sive propter primam tantum, nem-
„ pe defectum particulæ ET jubere debuerit Infantem iterum baptizari.
„ Quatenus autem affirmative, quærit insuper quid agendum, & quomodo
„ consulendum circa alios, qui forsan sub prædicta forma in simili mortis di-
„ scrimine baptizati fuerunt ab eadem rudi muliercula, quæ quinquaginta
„ ab hinc annis Obstetricis munus, quamvis non admodum frequenter obi-
„ vit „ Hæc Episcopus. Ut autem Eminentissimi Patres faciliorem dare
re possint horum Dubiorum solutionem, consuli poterit *Sacratissimus Prin-
ceps noster* in Opere suo absolutissimo *de Synod. Diœces. lib. 7. cap. 4.*, *&
cap. 6.* Videant itaque.

An, & quomodo sit rescribendum in casu &c.

Scribatur juxta Mentem.

Die Sabbathi 23. Junii 1753.

DUæ priores, quas supponimus, Causæ in ultima Amplissimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 12. transacti *mensis Maii* propositæ non fuerunt; Cum itaque nunc proponantur rogamus Eminentissimos Patres, ut ad eas definiendas *Folium ejusdem Congregationis* iterum consulant.

RAVENNATEN., SEU FAVENTINA JURISDICTIONIS, cujus dubium est. *Sess. 22. c. 7. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Non proposita.

ROMANA MATRIMONII, in qua quæritur. *Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.*

An constet de Matrimonio, ejusque validitate in casu &c.

Iterum proponatur.

VIGILIEN. JURISPATRONATUS. Hæc Causa data fuit *in Foliò Congregationis* habitæ *die* 7. superioris *mensis Aprilis*; Dubioque illius -- *An, & quæ Fundatio sustineatur in casu &c.* -- Responderunt Eminentissimi Patres -- *Sustineri Fundationem factam a Joanne Frisario* -- Postulavit *Audiri* Florillus Frisarius hæres scriptus, ideoque nunc expediendum est Dubium. *Sess. 14. c. 12. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

ROMANA, SEU PISAUREN. TRANSLATIONIS ONERIS. Testamento, quod condidit, antequam Professionem emitteret in Congregatione Somascha, Michael Angelus Stephani Pisaurensis, scriptis hæredibus Colle- *Sess. 22. c. 6. de Ref.*

Collegio, & Patribus D. Nicolai, & Blasii Urbis, qui ejusdem Congregationis sunt, voluit, ut iidem hæredes tenerentur „ ogn' anno in perpetuo „ il giorno della Nunziazione della B. Vergine Maria far la Festa nella Chiesa di San Gio: Battista di Pesaro alla mia Cappella, ed il giorno seguente „ fare l' Offizio de' Morti, come è stato solito di Casa mia, dando alli Frati l' elemosina solita conforme al costume di Casa mia, conforme ancora „ al Testamento di Madonna Marzia mia Avia Paterna: Item che l'infrascritti „ miei Eredi siano obbligati nel suddetto giorno della Nunziata dar da mangiare la mattina a trenta poveri &c. „ Testatoris voluntatem impleverunt hæredes; At, cum Patres Sancti Francisci, qui Ecclesiam Sancti Jo: Baptistæ detinent, inutile sibi hoc legatum censuissent, ob tenuitatem eleemosinæ scut. 3. 33. quibus Legatum impleri debebat, illud anno 1715., servatis omnibus solemniis, repudiarunt, & renunciarunt, neque præstare amplius voluerunt Altare, in quo Sacra agenda erant, errore Testatoris, qui Cappellam suam esse putabat, itaut ad hæc usque tempora non in Ecclesia Sancti Jo: Baptistæ Pisauri, sed Romæ in Ecclesia S. Nicolai, & Blasii Congregationis Somaschæ Sacra acta fuerint, & Patres Sancti Francisci anno 1729., Altare illud, seu Cappellam, quam Testator suam esse putabat, dejecerunt. Patres igitur Sancti Nicolai, & Blasii Congregationis Somaschæ anno 1732. postularunt ab hoc Sacro Tribunali translationem hujus Legati ab Ecclesia S. Jo: Baptistæ Pisauri ad eorum Ecclesiam Sancti Nicolai, & Blasii Urbis, & auditus Episcopus Pisaurensis censuit posse illud *in Ecclesia PP. Oratorum transferri*. Præfixus fuit anno 1741. ab eodem Episcopo terminus iisdem Patribus Sancti Francisci, ut jura deducerent in hoc Sacro Tribunali contra postulationem PP. Congregationis Somaschæ, & ab Archiepiscopo Urbinate similis terminus præfixus fuit Monialibus Sanctæ Mariæ de Bella, substitutis in casu, quo relictum Sacrorum non adimpleretur. Nihil tamen hactenus sive a Patribus Sancti Francisci, sive a Monialibus propositum fuit. Urgent igitur PP. Congregationis Somaschæ postulatam translationem, quam indulgendam esse disputant, quod res non sit de mutanda substantia voluntatis Testatoris, sed de simplici mutatione loci: si enim Testator errore ductus non putasset suam esse Cappellam nunc disjectam in Ecclesia S. Jo: Baptistæ Pisauri, qui error in causa fuit, ut ipse suam determinaret voluntatem ad illum locum, verisimile fit, ut Sacra agi voluisset potius in Ecclesia Patrum hæredum, quam in aliena. Hæc Patres Congregationis Somaschæ. Dubium est.

An sit locus translationi oneris in casu &c.

Affirmative pro translatione oneris Missarum tantum.

Sess. 24. *c.* 18. *de Ref.*

MILITEN. CONCURSUS: Sexto jam labente mense a vacatione Archipresbyteralis Ecclesiæ Terræ *Casali Novi* Militensis Diæcesеos, concursum Episcopus indixit habendum die 21. Octobris 1751., & deficientibus Examinatoribus synodalibus, alios elegit idem Episcopus, quos inter fuit Archipresbyter Joseph Alemanni, qui neque Doctor, neque Licentiatus est. Duodecim fuere concurrentes: hos inter numerabantur Leonardus Piromalli Archipresbyter Feruleti, Joseph Antonius Piromalli Archipresbyter Radicenæ, & Sacerdos Dominicus Calsapietra. Collectis a Cancellario Episcopali probationibus, & monimentis meritorum concurrentium præfixus fuit omnibus trium horarum terminus, intra quem sua quisque munera expleret; soli Joseph Antonius Piromalli, & Dominicus Calsapietra longius tempus obtinuerunt indulgentia Episcopali, reclamantibus aliis. Omnibus expletis retulerunt Examinatores, nullo præcedenti præstito jure jurando: primum inter approbatos locum obtinuit Dominicus Calsapietra, secundum Joseph Antonius Piromalli; inter reprobatos fuit Leonardus Piromalli Archipresbyter Feruleti. Excepta Examinatorum relatione, Episcopus, nulla inter-

interposita mora (tertia erat noctis hora) vacantem Parochialem Ecclesiam *Casalis Novi* adjudicavit Josepho Antonio Piromalli, alteram vero Vacaturam Terræ *Radicenæ* Dominico Calsapietra. At Leonardus Piromalli nullum, & invalidum reputans hunc Concursum, & irrationabilem Examinatorum relationem, appellationem a toto Processu interposuit, quæ *in devolutivo* admissa fuit. Translatis actis Concursus, preces obtulit Sacro huic Tribunali fretus præcipue Sententia duorum Theologorum Urbis, qui omnium melius eum respondisse censuerunt. Auditus Episcopus, totus est, ut Concursum validum, & justam, ac rationabilem Examinatorum relationem defendat.

Causa nunc V. collecta Capitibus proponitur: Potiora sunt quæ de validitate Concursus, & relatione Examinatorum agunt; cætera ex his pendent. Nullum dicit Concursum Leonardus, quod ipso reclamante, longius tempus datum fuerit Josepho, & Dominico; quod inter Examinatores electus fuerit Joseph Alemanni neque Doctor, neque Licentiatus, cum quidquid sit de Examinatoribus Synodalibus, his tamen deficientibus, debeat Episcopus eos eligere, qui Doctores sint, aut Licentiati, alias Concursus nullus est, ut tradiderunt *Garz. de Benef. part. 9. cap. 2. n. 83 324. & 342. Corrad. in Prax. Benefic. lib. 3. cap. 3. num. 32. vers. At vero præmissis non obstantibus*, & hæc Sacra Congregatio apud *Barbos. de Offic., & Potest. Paroch. part. 1. cap. 2. num.* 14 Quod Sacramentum Examinatoribus delatum non fuerit ante concursum de exercendo munus suum sine partium studiis, ut tradunt *Massob. de Synod. requis. 14. dub. 1. & 2. Barbos. de Paroch. part. 1. cap. 2. num. 76. & seq.*, & Sacra hæc Congregatio *in Bisinianen. 12. Decembris 1628, & in Ilerden. Concursus 14. Martii 1629., ut in lib. Decret. 14.* Quod denique aut concursus indictus fuit pro sola Parochialis Ecclesia *Casalis Novi*, quæ vacabat, aut etiam pro Parochiali altera *Radicenæ*, si primum, & collationem Ecclesiæ Radicenæ nullam fuisse uti factam sine concursu: Si secundum, & nullum esse concursum uti indictum pro Ecclesia Parochiali *Radicenæ*, quæ non vacabat. Injustam, malamque relationem Examinatorum demonstrat Leonardus ex propriis meritis, & virtute, ac doctrina supra cæteros probata a Theologis Urbis, unde infert aut Ecclesiam *Casalis Novi* sibi uti digniori, & magis idoneo esse adjudicandam, aut novum saltem concursum in Urbe habendum esse juxta cognitissimam S. Pii V. Constitutionem 33. Hæc Leonardus, A Josepho, & Dominico nihil habuimus. Dubia sunt.

MILITEN. CONCURSUS, cujus V. sunt Capita:

I. *An constet de nullitate Concursus in casu &c.* Et quatenus negative.
II. *An constet de mala relatione Examinatorum?* Et quatenus affirmative.
III. *An Ecclesia Archipresbyteralis Terræ Casalis Novi sit adjudicanda Sacerdoti Leonardo Piromalli?* Et quatenus negative.
IV. *An sit locus novo concursui?*
V. *An sustineatur collatio Parochialis Ecclesiæ Terræ Radicenæ in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

REGIEN. DISTRIBUTIONUM. Cum deessent in Ecclesia Cathedrali Regiensi, qui Sacra Officia cum cantu agerent, huic defectui prospicere voluit Archidiaconus Calcagni, qui testamento, quo decessit anno 1506., in sua, quam extruxerat Cappella Sancti Hieronymi, Collegium, seu ut vocant *Consortium* Sacerdotum, & Clericorum Sæcularium, qui in Sacris Ordinibus constituti essent, fundavit, assignatis prædiis, quorum fructus pro modo servitii distribui deberent inter hos Sacerdotes, & Clericos Consortiales, exclusis aliis quibuscumque, etiam Canonicis, & hi redditus, seu hæ distributiones a nomine Fundatoris *della Calcagna*, seu *Communa grande* appellari cæperunt, nam Calcagnum sequutus Petrus Galani anno 1562. Te- *Sess. 21. c. 3. de Ref.*

 stamen-

ſtamento ſuo hos redditus, ſeu diſtributiones auxit, relictis *Conſortio* ſuis bonis, ea tamen lege, ut erogari redditus deberent in eos tantum Conſortiales, qui Regienſes eſſent. Cum autem hi redditus minores ſint a nomine pariter Fundatoris nomen acceperunt *la Galana*, ſeu *la Communa piccola*. His redditibus allecti plurimi Conſortio nomen dederunt, unde nimis excreto Conſortialium Sacerdotum, & Clericorum numero, modus impoſitus fuit ſolemni conventione anno 1586., cui auctoritas etiam Sedis Apoſtolicæ acceſſit, ſtatuto numero 30. Conſortialium Participantium, qui omnes eſſent Sacerdotes, admiſſis etiam Canonicis, & excluſis Clericis, licet in Sacris Ordinibus conſtitutis, facta ſingulis annis collatione ſc.150. e maſſa Canonicorum in maſſam Conſortialem.

Locum inter hos Conſortiales Presbyteros obtinuit anno 1736. Stephanus Agazzani, qui deinde anno nempe 1746. obtinuit unam ex quatuor Manſionariis ejuſdem Cathedralis Regienſis, quibus pariter ineſt onus Divini ſervitii. Paulo poſt idem Sacerdos ab Epiſcopo Regienſi electus fuit ad munus a ſecretis in aula ſua, ideoque cum non poſſet certis temporibus, præſertim abſente Epiſcopo, ſervitium utrique, Epiſcopo nempe, & Eccleſiæ præſtare, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus, tacito officio Manſionarii, poſtulavit diſpenſationem a reſidentia, ad quam uti Conſortialis tenebatur, percipiendo tamen diſtributiones Conſortiales. Auditus Epiſcopus ſecundum eum reſpondit; At cæteri Conſortiales ſeſe contradictores præſtiterunt. Quia vero res erat de quæſtione definita a jure Canonico in *cap. de cætero*, *&* *in cap. ad audientiam de cleric. non reſiden.*, & individualiſſime ab hac Sacra Congregatione in *Mutinen. 8. Februar.*1744., ubi res erat de Manſionario, & Conſortiali, placuitque Eminentiſſimis Patribus reſcribere, ut „ pro tem-
„ pore, quo inſervit Epiſcopo lucretur omnes ſuæ participationis fructus,
„ amiſſis diſtributionibus quotidianis; quod ſi fructus omnes in ipſis diſtribu-
„ tionibus conſi ſtant, vel ſi redditus Præbendæ tertiam partem diſtributio-
„ num non attingant, duas ex tribus partibus, vel Præbendæ, aut diſtri-
„ butionum inſimul cumulatarum reſpective percipiat, amiſſa tertia, quæ in-
„ ſervientibus accreſcat, „ ideo etiamſi Conſortiales jura ſua nondum deduxiſſent, reſcriptum fuit Stephani libello -- *dandum eſſe reſcriptum in Mutinen. 8. Februarii* 1744.

Poſt hoc reſcriptum decrevit Epiſcopus, ut a Conſortialibus diſtributiones tempore abſentiæ Stephano traderentur; ſed Conſortiales contendentes non deberi has diſtributiones pro tempore abſentiæ, quia Stephanus habeat Præbendam Manſionariæ, ex qua percipit fructus longe majores diſtributionibus Conſortialibus, ultra alias quoque diſtributiones Manſionariis relictas anno 1478. a Bonifacio Arlotto, iterum adiverunt Eminentiſſimos Patres. Iterum igitur auditus fuit Epiſcopus, qui iterum Conſortiales rejecit, & ſecundum Agazzanium reſpondit. Placuit reſcribere, ut Cauſa referretur in *folio*. At Agazzanius impar expenſis litis ſubeundę adiit libello Sacratiſſimum Principem noſtrum, reſcriptumque fuit ejus poſtulationi - *Pro gratia ad Triennium*. Ne reſcriptum quidem Sacratiſſimi Principis Conſortiales cohibere potuit, ideoque ipſe Pontifex Optimus juſſit, ut cauſa daretur in *folio*. Longo nunc Conſortiales libello plura proponunt, de pluribus diſputant, quæ ſi excerpererentur omnia, *folium* in Volumen excreſceret. Legent ea Eminentiſſimi Patres in eorumdem Conſortialium libello, & judicium dabunt, an jure ſubſiſtant, præſertim in conſpectu rei ſimiliter judicatæ in dicta *Mutinen.* 8. *Febr.*1744. A Stephano Agazzanio nihil adhuc habuimus. Dubium eſt.

An Sacerdos Agazzani Beneficiatus Eccleſiæ Cathedralis Regienſis uti alter ex Conſortialibus participantibus Communarum dictæ Eccleſiæ, dum actu inſervit Epiſcopo, participare debeat de diſtributionibus quotidianis lucrari, & diſtribui ſolitis inter alios Conſortiales participantes dictarum Communarum in caſu &c.

SALERNITANA CANONICATUS POENITENTIARII: Jus eligendi Canonicos, & conferendi Canonicales Præbendas in sua Ecclesia vacantes in mensibus Apostolicæ Sedi reservatis ab immemorabili tempore est apud Canonicos, Presbyteros dumtaxat, Metropolitanæ Ecclesiæ Salerni. At postquam Tridentini decretis cautum fuit, ut in omnibus Cathedralibus ex Præbendis primo vacaturis altera Lectori Sacræ Scripturæ, altera Pœnitentiario conferretur, controversia orta fuit inter Capitulum, & tunc temporis Archiepiscopum de erectione, & collatione utriusque Præbendæ. Ad hanc dirimendam controversiam Sententia Sacri hujus Tribunalis datæ fuerunt ad Archiepiscopum literæ, ut alteram ex quatuor conditionibus, quas Capitulum Archiepiscopo obtulerat, & præsertim ex duabus postremis acciperet, atque ita rem componeret. Archiepiscopus eam selegit, qua Capitulum promittebat sese quotannis soluturum Lectori, ac Pœnitentiario ducatos centum ex redditibus Mensæ Capitularis. Anno igitur 1565. controversia transactione sopita fuit, quam anno sequenti Pontificia authoritate confirmavit Sanctus Pius V., & qua Capitulares „ constituerunt, ordinarunt, & fecerunt an- „ nuum stipendium perpetuum ducatorum centum de Carolenis argenteis tam „ Theologo, quam Pœnitentiario solvendorum super omnibus, & singulis „ Bonis &c. Fratariæ, & Mensæ Capitularis. Sess. 24. c. 8. de Ref.

Vacavit anno 1608. Canonicalis Præbenda. & qui tunc Ecclesiæ Salernitanæ præerat Archiepiscopus, jactans habuisse facultatem a Summo Pontifice Paulo V. Præbendam vacantem in Pęnitentiariam erexit, servavitque sibi, suisque Successoribus jus eam conferendi etiam in mensibus Sedi Apostolicæ reservatis. Capitulum tamen, ut jura sua farta tecta servaret, monitorium coram A. C. expedivit pro observatione, & exequutione transactionis initæ anno 1565., & a Sancto Pio V. confirmatæ; neque tamen Causa acta est. Post hanc erectionem electiones Canonicorum Pęnitentiariorum, & collationes nunc a Capitulo, nunc ab Archiepiscopis factæ fuerunt; Anno siquidem 1612. a Capitulo, anno 1639. ab Archiepiscopo, anno 1656. rursus a Capitulo, anno 1657., & 1666. rursus ab Archiepiscopo collationes factæ fuerunt, donec anno 1678. res ad Judicium delata fuit, orta controversia inter provisum ab Archiepiscopo, & provisum a Sede Apostolica, & quia de veritate indulti dati, ut dicebatur, a Summo Pontifice Paulo V. non satis constare visum fuit, & si verum esset, derogatum ei fuerat regula 8. Cancellariæ Tribunal. Rotæ censuit *Literas Apostolicas esse exequendas*, ut dignosci potest ex *dec. Emerix* 360., & 540. Nova anno 1709. inter Capitulum, & Archiepiscopum orta est quæstio de collatione Canonicatus Pęnitentiarii, sed dum contendunt, elapso tempore a jure præfinito, devoluta est collatio ad Sedem Apostolicam, nullaque amplius inter Archiepiscopum, & Capitulum orta est controversia, cum Vacationes Canonicatus Pęnitentiarii evenerint in mensibus Apostolicæ Sedi reservatis.

Anno tamen 1751., morte Pęnitentiarii in mense non reservato, instaurata est controversia: studuit Capitulum rem cum Archiepiscopo amice componere, sed cum id non impetrasset, confugit ad Eminentissimos Patres, & datæ fuerunt, ut moris est, literæ ad Archiepiscopum, adjecta declaratione, ut *interim tempus, & tempora non currerent ad tres menses*. Initio superioris anni coactum fuit Capitulum, decretumque est ut lis in hoc Sacro Tribunali ageretur, sed paucis post diebus iterum coacto Capitulo ab Archidiacono, cui hoc jus esse negant Canonici, major pars censuit recedendum esse a lite, transigendum esse cum Episcopo, itaut electionem ipse haberet, collationem vero Capitulum, præstandum denique esse consensum, ut Præbenda Pęnitentiaria conferretur Josepho Viggiani Canonico Diacono, qui in concursu approbatus fuerat, & ab Archiepiscopo electus. Obstitit Pars minor, & protestationem emisit, & appellavit ad hoc Sacrum Tribunal: Sed tamen Archiepiscopus eadem die in possessionem Canonicatus Pęnitentiarii Viggianum immisit. Detulere Canonici illi numero minores hac de re querelas ad Emi-

nentissimos Patres, & novæ ad Archiepiscopum datæ fuerunt literæ, quæ nonnisi longo post tempore, superatis omnibus difficultatibus, reddi potuerunt. Respondit tandem Archiepiscopus, causamque suam defendit. Res nunc amplissimorum Patrum judicio subjicitur, & octo illi Canonici, qui in ultimo Capitulo dissenserunt, urgent jus immemorabile Capituli Salernitani eligendi Canonicos, & conferendi Præbendas Canonicales vacantes in mensibus Sedi Apostolicæ non reservatis. Urgent Constitutionem Optimi Principis Benedicti XIII., quæ in *Append. ad Concil. Roman. num.* 2. impressa fuit, & qua cavetur, ut Præbendæ Theologales, & Pœnitentiariæ, facto concursu, conferantur magis digno ab Examinatoribus renunciato.

Ex his inferunt non esse locum distinctioni, ut Episcopus electionem, & Capitulum collationem habeat, ut respondisse hanc Sacram Congregationem *die* 4. *Apr.* 1637., objicit Archiepiscopus; Poterat enim ita distingui ante Constitutionem Benedictinam; post eam electioni locum non esse, si conferri Præbenda Pœnitentiaria debet digniori in concursu approbato, & collatio facienda est a Capitulo: neque iterum objiciendum esse Indultum Pauli V., dudum in Judicio acto in Tribunali Rotæ rejectum; substineri itaque nulla ratione posse collationem factam Josepho Viggiani, præsertim cum facta fuerit attentate, & lite in hoc Sacro Tribunali pendente; spernendum esse ultimum Capitulum, in quo emissa fuit ab octo Canonicis protestatio, quia pluribus nullitatibus infectum fuerit, cum coactum fuerit nomine Archidiaconi, eo etiam ignorante, sed qui hoc Jus non habet, cum spectet ad eos Canonicos, qui *Magistri Fratariæ* vocantur: Cum ad Capitulum admissi fuerint quatuor Canonici Diaconi, qui jus suffragii non habent his in rebus, sed Canonici tantum Presbyteri: cum Primicerius procurationem duorum absentium Canonicorum susceperit contra dispositionem Synodalium Constitutionum: Cum omissa fuerint secreta suffragia; cum denique spreta fuerit protestatio emissa, quæ spectanda erat, quia, postquam antecedenti Capitulo decretum fuerat litem in hoc Sacro Tribunali agendam esse, non poterat ab hoc decreto recedi, nisi omnium consensu; Satis enim est si vel unus dissentiat. Hæc habent in suo Libello octo Canonici. A Canonico Viggiani, & Promotore Curiæ Archiepiscopalis nihil hactenus habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An, & quomodo sit facienda collatio Canonicatus Pœnitentiarii in casu &c.*

II. *An sustineatur collatio Canonicatus Pœnitentiarii facta in personam Sacerdotis Josephi Viggiani in casu &c.*

Sess. 24. *c.* 1. *de Ref. Matr.*

PISAUREN. SPONSALIUM. Anconam appulit anno 1751. Æneas Merlitti in Aprutio natus, arctamque familiaritatem, atque amicitiam contraxit cum Vicario Generali Anconitano. Jactabat cum eo Æneas nobilitatem, opesque suas, contulitque mentis suæ propositum transferendi lares Anconam, & instruendi in ea Civitate negotiationem insignem, si forte posset honestum, & utile Matrimonium contrahere. Verbis his, & jactationibus Æneæ faciles nimium aures præbens Vicarius oculos convertit ad amicum hominem Petrum Antonium Didi Jureconsultum Pisaurensem, cui Filia erat Gentilis. Datis igitur ad eum literis, quibus Æneæ divitias, nobilitatem, industriam, consiliumque transferendi lares Anconam extollebat, eum hortatus est, ut homini huic Gentilem filiam nuptui daret. Viri authoritas in causa fuit, ut Petrus Antonius Merlitto filiam sponderet, cum uterque Senogalliam nundinarum tempore convenisset. Certiorem inde Pater reddidit filiam de initis sponsalibus, sed filia ad ratihabenda sponsalia induci non potuit, nisi sub conditione, quatenus ea, quæ Æneas narrabat, & promittebat, vera essent. Tabulæ nuptiales scriptæ fuerunt, & Merlittus fabulam prosequens dotem scut. 1500. monetæ Ducalis, quam in tot censibus a Patre accepit, auxit aliis scut. 500., qua liberalitate credulum Patrem ita cæpit, ut fidejussor accesserit venditioni ratæ partis dotis, census nempe scut. 600., quem

quem emit idem Vicarius Generalis. Pecuniis hisce a Merlitto acceptis, Ancona discessit colore parandi vestes, gemmasque pro nuptiis futuris. Cum nihil inde ageretur a Merlitto, Vicarius plures ad eum dedit epistolas, sed ne responso quidem accepto, Petrus Antonius in suspicionem incidit, deditque literas ad amicum Atriensem, a quo rescivit Æneam obscuris natum esse Parentibus, & solam possidere parvam domum, atque immobilia, eaque etiam affecta hypotheca pro dote sororis, ex quibus percepit annuos duc. 14.

His cognitis, Æneas de mendacio, & pessima fide, dolove malo a Vicario Generali objurgatus resolutioni sponsalium ultro consensum præstitit: Dos tamen, quam receperat, & quam restituere, vel nolebat, vel non poterat, in causa fuit, ut tabulæ sponsalium ruptæ non fuerint; Curabat enim Æneas verba adiicere, quibus liberaretur a dotis restitutione, vel eamdem saltem protraheret: necesse igitur fuit Judicem adire. Conventus Æneas coram Vicario Generali Pisaurensi victus fuit, nam Judex nulla dixit sponsalia, & ad dotem restituendam eum condemnavit. Appellavit Æneas ad A. C. sed rescripto Sacratissimi Principis causæ hujus cognitio data fuit Amplissimis Patribus *quoad sponsalia tantum*. Audito igitur Episcopo, causa nunc proponitur, & urget Gentilis conditionem appositam in ratihabitione sponsalium, quæ cum purificata non fuerit, quia Æneas neque nobilis est, neque dives, neque lares Anconam transtulit, neque negociationem instituit, faciat, ut sponsalia licet Sacramento firmata, resoluta fuerint; addit consensum ab Ænea præstitum dissolutioni sponsalium; Addit alias legitimas causas, quibus a sponsalibus impune recedere potest. Ab Ænea nihil habuimus. Dubium est.

An sponsalia sint exequenda in casu &c.

Die Sabbathi 21. Julii 1753.

QUatuor priores, quas subjicimus, Causæ, in *ultima* Amplissimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 23. transacti *mensis Junii* dilationem obtinuerunt *ad hanc Congregationem*. Rogamus igitur Eminentissimos Patres ut repetita lectione *Folii ejusdem ultimæ Congreg.*, Dubia earum expediant.

MILITEN. CONCURSUS, cujus V. sunt Capita. *Sess. 24. c. 18. de Ref.*

I. *An constet de nullitate Concursus in casu &c.* Et quatenus negative.

II. *An constet de mala relatione Examinatorum?* Et quatenus affirmative.

III. *An Ecclesia Archipresbyteralis Terræ Casalis Novi sit adjudicanda Sacerdoti Leonardo Piromalli?* Et quatenus negative.

IV. *An sit locus novo concursui?*

V. *An sustineatur collatio Parochialis Ecclesiæ Terræ Radicenæ in casu &c.*

Ad I. III. & V. Negative, & amplius. Ad II. Affirmative, & amplius. Ad IV. Negative.

REGIEN DISTRIBUTIONUM, in qua quæritur. *Sess. 21. c. 3. de Ref.*

An Sacerdos Agazzani Beneficiatus Ecclesiæ Cathedralis Regiensis uti alter ex Consortialibus participantibus Communarum d. Ecclesiæ, dum actu inservit Episcopo, participare debeat de distributionibus quotidianis lucrari, & distribui solitis inter alios Consortiales participantes dictarum Communarum in casu &c.

Affirmative, & amplius.

SA-

Sess. 24. cap. 8. de Ref. Matr.

SALERNITANA CANONICATUS POENITENTIARII, cujus duo Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit facienda collatio Canonicatus Pœnitentiarii in casu &c.*
II. *An sustineatur collatio Canonicatus Pœnitentiari facta in personam Sacerdotis Josephi Viggiani in casu &c.*

Ad I. Electionem esse faciendam ab Archiepiscopo favore personæ magis idoneæ ab Examinatoribus renunciatæ in concursu, præsentationem vero ejusdem personæ faciendam esse a Capitulo. Ad II. Affirmative.

Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.

PISAUREN. SPONSALIUM, cujus dubium est.
An sponsalia sint exequenda in casu &c.

Negative.

Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.

ROMANA MATRIMONII: Rediit ad Judicium Eminentissimorum Patrum hæc Causa, quæ in *ultima Congregatione* paribus distracta suffragiis responsum accepit - *iterum proponatur*. Repetitio igitur *Folio Congreg.* habitæ *die* 12. *mensis Maii*, in quo species ejus omnis data fuit, expediendum erit Dubium.
An constet de Matrimonio, ejusque validitate in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess. 22. c. 7. & 9. de Ref.

PISCIEN.; Data fuit hæc Causa in *Folio Congreg.* habitæ *die* 24. superioris *mensis Martii*. Octo erant Dubia, quibus complectebatur, sed sex tantum expedita fuerunt, dilata duorum definitione. Nunc igitur duo illa Dubia reproponuntur.

I. *An, & a quo sit reddenda ratio Episcopo de bonis, & redditibus Ecclesiæ SS. Stephani, & Nicolai, ejusque ass. Capituli in casu &c.*, & quatenus ratio sit reddenda Episcopo,
II. *An aliquid exigi possit in causam, & pro labore d. redditionis rationis, seu revisionis ejusdem in casu &c.*

Ad I. Rationem reddendam esse Episcopo a Capitulo. Ad II. Ad S. Congreg. Episcoporum, & Regularium.

Sess. 7. c. 8. & Sess. 21. c. 7. de Ref.

CÆSENATEN REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS: Hæcquoque Causa data fuerat in eodem *Folio Congreg.* habitæ die 24. *mensis Martii*, sed ea die proponi non potuit. Proposita igitur fuit in *sequenti Congregatione* habita *die* 7. superioris *mensis Aprilis*. Duo erant ejus Capita.
„ I. An sit locus reædificationi Parochialis Ecclesiæ S. Zenonis Civitatis Cæsenæ in casu &c., *& quatenus affirmative*. II. An durante reædificatione
„ d. Ecclesiæ Parochialis S. Zenonis, liceat Parocho explere functiones Parochiales in Oratorio S. Josephi existen. intra limites Parochiæ in casu &c.
„ *Respondit Sacrum Tribunal* - Affirmative ad utrumque juxta mentem; *Mens*
„ *vero fuit* - quod per Parochum fiat depositum actuale scut 800., & idonea
„ præstetur fidejussio approbanda tam ab Episcopo, quam a Gubernatore de
„ solvendo pretio operis ultra dictam summam ad formam Mappæ, & facto
„ per dictum Parochum deposito, ac præstita ut supra fidejussione, præfigatur Sodalibus terminus sex mensium a die præfixionis decurren. ad effectum
„ explendi ornatus, de quibus agitur „. Non placuit Parocho hæc mens, ideoque nunc Causa reproponitur, & respondendum est.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius, & moneatur acriter Procurator Malateste.

MO-

MONASTERIEN., ET OSNABRUGEN. CANONICATUUM. Speciem omnem hujus Causæ dedimus in eodem *Folio Congreg.* habitæ *die 7. April's*, in qua proposito Dubio - *An sit locus dispensationi ætatis in casu &c.* responderunt Eminentissimi Patres - *Armative*. Cum igitur nunc Lotharius Franciscus Vvillelmus de Galen. ab Ermelinghoff pugnam instauret, repetita ejusdem Folii lectione, decernendum erit ab Eminentissimis Patribus. *Sess. 22. c. 5. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

LARINEN., SEU VULTURARIEN. DECIMARUM. Controversia orta est inter Episcopum Larinensem, & Clerum Collistorti, atque Episcopum Vulturariensem, & Clerum Oppidi Celentiæ de decimis colligendis e latifundio nuncupato *Difesa Valle*, seu *della Valle*, quod situm est prope Oppidum Collistorti Diœceseos Larinatis, & bino latere clauditur a fluminibus *Cigno*, & *Fortore*, quibus disterminatur a Diœcesibus Beneventana, & Vulturariensi. Erat dudum in hoc latifundio Ecclesia *S. Petri della Valle*, quæ Equestrem Hierosolymitanum Ordinem spectabat, sed inde translatio dominio latifundii in Barones Oppidorum Celentiæ, & Carlentini, vastitas latifundio illata fuit; intermissa siquidem soli cultura enatæ sunt sylvæ, ut unus esset redditus ex herbis, & pastu pecoris; hinc nulla umquam de decimis orta est controversia. At cum anno 1744., qui Oppidorum Celentiæ, & Carlentini Dominus erat, latifundium locasset ea lege, ut, excisis nemoribus, solum subigeretur, Episcopus Larinas, & Parochus, ac Clerus Oppidi Collistorti decimas a Colonis latifundii petierunt, & cum recusassent Coloni eas præstare, acta lis fuit in Regio Neapolitano Consilio anno 1748., sed ad causam venientibus Episcopo Vulturariæ, & Clero Oppidi Celentiæ, qui decimas sibi deberi contendebant, coloni laici, quos nihil intererat decimas uni potius, quam alteri Episcopo, & Clero præstare, a lite recesserunt, emissa obligatione eas præstandi, cui de jure deberentur, & Regium Consilium Causam inter Ecclesiasticos definiendam censuit a Judice Ecclesiastico. Adito igitur hoc Sacro Tribunali, & audito utroque Episcopo, Causa nunc Eminentissimis Patribus definienda proponitur. *Sess. 25. c. 12. de Ref.*

Res itaque in una cognitione posita est, intra cujus Diœcesis, & Parochiæ fines latifundium situm sit. Episcopus Larinas, & Parochus, ac Clerus Collistorti situm esse intra fines Diœcesis Larinatis, & Parochiæ Collistorti vetustis comprobant monimentis, & positione ejusdem latifundii, quod juxta Testes, qui utrimque dantur, ab una parte divisum est ab Oppidis Celentiæ, & Carlentini per flumen *Fortore*; ab alia parte divisum est ab Oppido Collistorti per angustam, sed publicam viam in vertice montis, quam vocant *il Regio Fratturo*: ab alia denique parte divisum est ab Oppido *Macchiæ* sito in Diœcesi Beneventana per flumen *Cigno*; unde colligitur latifundium esse in Diœcesi Larinati, quæ omni ex parte clauditur arcifiniis, seu finibus naturalibus, quales sunt flumen *Fortore*, flumen *Biferno*, Mare Hadriaticum, flumen *Rivo Majo*, montes, & flumen *Cigno*, ut patet ex tabula Topographyca, quam doctus Episcopus Tria laboriosæ suæ Historiæ Civili, & Ecclesiasticæ hujus Diœceseos attexuit *fol.* 144. Hos vero fines esse Diœceseos Larinatis probatur vetustissimo instrumento anni 1175., quo Lombardus Archiepiscopus Beneventanus, exorta inter eum, & Episcopum Larinatem controversia de Jurisdictione Ecclesiastica in Oppido *Marroni*, agnito bono jure Episcopi, liti renunciavit, Oppidumque Episcopo dimisit; utque omnis præcideretur novæ litis de finibus occasio, expressi fuerunt in instrumento limites omnis Diœceseos Larinatis, qui iidem sunt cum illis designatis in tabula Topographica.

Periit equidem autographum instrumentum, sed constat de rei veritate ex alio vetusto monimento, Bulla nempe Lucii III. Pontificis, qua anno 1181. confirmavit instrumentum illud Archiepiscopi Lombardi inserta in ipsis literis

ris Apostolicis substantia instrumenti, & expressis limitibus Dioeceseos Larinatis designatis in eodem instrumento Lombardi; Has literas Lucii III. autographas esse viri peritissimi censuerunt. His accedit Bulla Innocentii IV. data anno 1254., quæ eosdem fines tribuit Diœcesi Larinati. Tria hæc vetustissima monimenta anno 1564. edita fuerunt in Regia Camera Neapolis, & ex iis desumpta fuerunt exempla a Regiis Officialibus, ut videre est apud eumdem R. P. D. *Triam in sua Histor. lib.3. cap.5. a num.3. ad* 14. His tribus addi debet quartum, recens licet, Episcopi Caracii, quem plurimum laudat *Vghel. in Ital. Sacra volum.9. in Episcop. Larinat. pag.* 303., *& sequent. edit. ann.*1721. Is enim in *relatione Diœceseos Larinensis*, quam anno 1631. accurate diligenterque descripsit, eosdem illi limites tribuit. Authoritas denique rerum judicatarum fidem præstat vetustis monimentis, nam in controversia quadam inter Cardinalem Ursinium Archiepiscopum Beneventanum, qui deinde Pontifex Maximus renunciatus fuit, & Episcopum Larinatem, Bovini Episcopus arbiter datus secundum Episcopum Larini anno 1729. pronunciavit authoritate eorumdem veterum diplomatum; & Sacra hæc Congregatio annis 1733., & 1734. in lite acta inter Episcopum Larinatem, & Abbatem Monasterii Tremitarum de Jurisdictione in Oppido Sanctæ Agathæ, in qua hæc eadem quæstio agebatur de finibus Dioeceseos Larini, secundum Episcopum respondit fidei instrumenti Archiepiscopi Lombardi, & Bullæ Lucii III. Pontificis, ut videre est in *Larinen. Visitationis 9. Jan.*1734. definita *die* 24. *ejusdem mensis*.

Cum igitur ex his probetur latifundium *la Valle* situm esse intra fines Dioeceseos Larini, arguunt Episcopus, & Clerus Collistorti satis habere fundatam intentionem in jure colligendi decimas ex eo latifundio, licet ipsius coloni, immo ipsemet Dominus incolant Oppida Celentiæ, & Carlentini, quæ sita sunt in Dioecesi Vulturariensi. Cum enim res non sit de decimis Personalibus, aut Sacramentalibus, sed de Prædialibus, debentur Episcopo, & Parocho ad instar tributorum, onerumque realium, licet prædii possessores, vel coloni ad aliam Parochiam, & Diœcesim diversam pertineant *cap. ultim. ubi Gloss. verb. Prædiorum, & Fagnan. num.*15. *de Parochis cap. quoniam ubi Gloss. verb. eidem Ecclesiæ, & Panormit. n.*3. *& seqq. de decim. Forget eodem tract. cap.5. num.3. Card. de Luca eod. tract disc.13. num.5*, & consequenter tenentur Clerus Celentiæ, & Episcopus Vulturariensis decimas perceptas ab anno 1748. restituere ob malam fidem impressam a lite contestata. Ab Episcopo Vulturariensi, & Clero Celentiæ nihil adhuc habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An, & ad quem, seu quos spectent decimæ ex fructibus recolligen. ex Tenuta, seu Defensa Valle, seu la Valle nuncupata in casu &c.* Et quatenus spectent ad Episcopum Larinen., & ad Clerum Collistorti.

II. *An eisdem restituendæ sint decimæ per Episcopum Vulturarien, & Clerum sæcularem Oppidi Celentiæ perceptæ ab anno* 1748. *usque ad præsens in casu &c.*

Dilata, & coadjuventur probationes juxta instructionem.

Die Sabbathi 11. Augusti 1753.

Sess.22. c.7. de Ref.

RAVENNATEN., SEU FAVENTINA JURISDICTIONIS: Data fuit hæc Causa in Foliis Congreg., quæ habitæ sunt die Maii 12. & 23. transacti mensis Junii, sed proposita non fuit. Cum itaque nunc proponatur, repetita lectione Folii Congregationis diei 12. Maii, respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis in omnibus, & amplius.

RO-

ROMANA MATRIMONII: Causæ huic in ultima Congregatione habita die 21. transacti mensis Julii rescriptum fuit - *Dilata ad sequentem*. Damus itaque eam nunc, ut ejus Dubium expediatur. *Sess. 4.2 c.1. de Ref.*

An constet de Matrimonio ejusque validitate in casu &c.

Negative.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM: Testamento, quod condidit Ambrosius Fonti hæredem scripsit Sodalitium Sancti Michaelis Archangeli in Burgo, dato onere „ di far celebrare 52. Messe l' anno in perpetuo, „ cioè una Messa la settimana, e fare l' Anniversario ogn' anno in perpetuo „ nel giorno della morte del medesimo Testatore; *Pergit inde Testator aliud „ adens onus, quod redditus integræ hæreditatis absumit* - Che li Sig. Deputati, ed Officiali pro tempore di detta Venerabile Compagnia debbano con „ il frutto, ed annua entrata, che avanzerà della sua eredità, pagata la Sagrestia di dette Messe, ed Anniversario, dotare, e monacare tante zitelle „ sì Romane, come forastiere, e che saranno, ed abiteranno nel Rione di „ Ponte nate di legitimo matrimonio, e di buon Padre, e buona Madre da „ nominarsi dalli medesimi Signori Deputati, ed Offiziali con condizione, e „ dichiarazione però, che siano sempre preferite in detta nomina le zitelle, „ che saranno più vicine nella Piazza de' Banchi, dove esso Signor Testato„ re ha sempre abitato, sì Romane, come Forastiere nate di legitimo matrimo„ nio di buon Padre, e di buona Madre, quali vuole, che siano sempre pre„ ferite a tutte le altre di detto Rione, ed anche competa, ed abbino la „ prelazione quelle zitelle, che abiteranno, e saranno più antiche di abita„ zione nel recinto, e vicinato de' Banchi suddetto. *Sess. 23. c.6. de Ref.*

Omnem navarunt operam Sodales, ut voluntas Testatoris impleretur: Puellæ, quæ nominatæ fuerunt, pauperes erant, bonisque moribus imbutæ, quæ diu in loco a Testatore designato habitaverant: sed tamen Sodales his cautionibus lites fugere non potuerunt. Anno siquidem 1733. quæstio orta est de ætate Puellarum; recursus, an eæ cæteris omnibus essent præferendæ, quæ ipsam Testatoris domum, ædesque proximas habitarent; & an Officiales Sodalitii, cum Puellæ pares qualitatibus essent, eligere inter eas possent, quas vellent. Placuit optimo Principi Clementi XII. Jurisdictionem mandare *Particulari Congregationi*, quæ de his aliisque quæstionibus cognosceret. Congregatio hæc pronunciavit „ quod Officiales Societatis teneantur præferre Puellas ha„ bentes requisita contenta in testamento quondam Ambrosii Fonti, & æta„ tem annorum 18., degentes in Platea Bancorum, ut infra designan., in„ ter quas præferendas esse habentes antiquiorem habitationem in dicta pla„ tea, nulla habita consideratione ad vicinitatem, seu propinquitatem Do„ mus olim a dicto quondam Ambrosio inhabitatæ, servato arbitrio eorum„ dem Officialium præeligendi puellas magis sibi benevisas in casu æqualis „ habitationis earumdem puellarum „ & in eadem sententia designati fuerunt limites, quibus forum circumscriberetur. Post hanc novæ lites exortæ sunt, quæ definitæ fuerunt sententiis, decretisque Tribunalis A. C. juxta dispositionem testamentariam, & sententiam illam *Congregationis Particularis*.

Nova nuper exorta est quæstio a Puellis Gertruda de Pedibus, Catharina Chiarini, & Maria Francisca Torelli contendentibus in nominatione Puellarum spectandum esse dumtaxat qualitatem *antiquioris habitationis*, itaut Puellæ hanc qualitatem habentes cæteris omnibus præferri debeant, quacumque sint ætate, & licet concurrant aliæ pauperiores, orphanæ: Sodalibus contra censentibus qualitatem antiquioris habitationis tribuere quidem posse jus prælationis in casu, quo Puellæ habeant etiam alias qualitates, quas verisimile est voluisse Testatorem, non vero iis destitutæ sint, & solam eam habeant extrinsecam a personis, & antiquioris nempe habitationis. Lato ab A. C. de-

creto, fessi Sodales perpetuis litibus, quibus ipsi sine ullo hæreditario compendio implicantur, preces obtulerunt Sacratissimo Principi nostro, quibus postularunt, ut juxta verisimilem Testatoris mentem hæ quæstiones definirentur, & ita novis litibus, & controversiis occurretur. Data fuit cognitio Eminentissimis Patribus, Causaque nunc proponitur, nullo, ut credimus, Puellarum jura defendente, nam Procurator protestationem emisit, *non esse nec velle amplius esse Procuratorem*. Licet igitur Sodales nihil intersit, qua ratione quæstio expediatur, disputant tamen Testatorem ex sola pietate fructus hæreditatis voluisse, ut in subsidia dotalia erogarentur, unde colligunt ejus mentem fuisse, ut pauperes, honestæ, bonis moribus imbutæ, prognatæ bonis Puellæ nominarentur, & inter has selegi deberent pauperiores, orphanæ, miserabiles, ut differunt *Guttier. cons.26. num.11. Gratian. discept. cap.211. num.25*, & aliis collectis *Ventrigl. in prax. tom. 2. annot. 28. a n. 16. ad num.21. Amostaz de caus. pii lib.4. cap.6 num.47. Ursay discept. Eccl. tom.4. part.1. disc.10. num 15. & 16.*; Itaut qualitas antiquioris habitationis jus prælationis tribuere tantum possit in casu, quo Puellæ alias habeant qualitates, quas verisimiliter voluit Testator. Monstrant denique ad rem præsentem non pertinere sententias, & res judicatas, de quibus supra actum est, cum latæ fuerint de aliis quæstionibus. Videant igitur Eminentissimi Patres, qua juris ratione respondendum sit Dubio.

An in subsidiis dotalibus quond. Ambrosii Fonti præferendæ sint Puellæ antiquiorem, & majorem tantum habitationem habentes in casu &c.

Esse præfendas puellas antiquiorum habitationem habentes cæteris paribus.

Sess.23.c.13. de Ref.

TOLENTINA JURIS SEPELLIENDI: Tres sunt in Civitate Tolentini Pareciæ, ut dudum narravimus in *Thesaur. Resol. Sac. Congr. anni 1748.* altera Cathedralis Ecclesiæ, altera Sancti Jacobi, tertia Sancti Catervi, quæ commendata est Canonicis Regularibus Lateranensibus. Harum Paræciarum divisio non per Regiones certis limitibus circumscriptas, sed per domos, & familias a tempore, cujus nulla est memoria, facta fuit, & Parochi personis, & familiis suæ Paræciæ ecclesiastica sacramenta ministrant. Habent Ecclesiæ Parochiales sepulcreta, & Ecclesia Sancti Catervi distinctum habet sepulchrum pro Ecclesiasticis, in quo conditi semper fuerunt, qui vel familiare sepulcrum non habebant, vel sepulturam non elegerant, etiamsi Cathedralis Ecclesiæ essent Canonici. Huic Parochiali Ecclesiæ Sancti Catervi subiiciebatur domus, & familia Jo: Petri Forconi: huic inter alios erat filius Valentinus nomine, qui cum ab Episcopo Clericatu, & Minoribus Ordinibus honestatus fuit, hac de causa adscriptus fuit servitio suæ Parochialis Ecclesiæ: auctus inde sacris Ordinibus in eadem Parochiali sua Ecclesia eos exercuit. Incidit hic in morbum mense Majo superioris anni, quo tempore Tolentino aberat Parochus a Generali Lateranensium Regularium Capitulo electus Vicarius Monasterii Ariminensis. Præsto igitur ei fuit, & Sacramenta ei præbuit Vice-Curatus. Pridie, quam decederet, Tolentinum advenit novus Parochus Sancti Catervi, qui nondum Ecclesiæ suæ jura noscens, cum audivisset ab amico, & familiari defuncti Sacerdotis Valentini, ejus corpus in Ecclesia Cathedrali tumulandum esse, elatione cadaveris facta, illud ad eamdem Ecclesiam comitatus est.

Re tamen inde melius perspecta, venit in jus, & postulavit, ut corpus simul defuncti Sacerdotis, & emolumenta funeris a Cathedrali percepta restituerentur. Cum Vicarius Generalis decrevisset, ut cadaver *per modum provisionis* in Cathedrali reconderetur, Parochus ad hoc Sacrum Tribunal confugit, auditoque jam, ut fieri solet, Episcopo, Causa proponitur, disputante Parocho cadaver defuncti Sacerdotis Valentini spectare ad Ecclesiam Parochialem Sancti Caterui, cui ille in ipso ortu sui fuerat subjectus, cujus ser-

vitio

vitio addictus fuerat ab Episcopo, & ex qua vivens, ac moriens Sacramenta accepit. Ecclesiæ Cathedrali jura honorifica debita esse; ubi vero Parœciæ distinctæ sunt, sive per Regiones, sive per familias non posse eam sibi arrogare alienam Jurisdictionem, & jus Parochorum, qui intentionem habent in jure fundatam, ubi desint aut electio sepulturæ facta a defuncto, aut sepulcrum ejus familiare: qualitatem Ecclesiasticam Sacerdotis Valentini nullum Cathedrali jus tribuere, cum res non sit de Canonico, Beneficiato ejusdem servitio adscriptis, & si aliquod a Valentino præstitum ei fuit servitium, voluntarium fuisse, ex quo nullum jus acquirere potuit Cathedralis, præsertim, cum etiam in iis, qui necessarium servitium præsta e debuerunt, consuetudo secularis sit favore Ecclesiæ Parochialis Sancti Catervi, quæ eam probat suis libris. Ex his colligit Parochus restituendum esse cadaver, restituenda esse funeraria emolumenta a Cathedrali percepta, ut pluries ab hoc Sacro Tribunali definitum est. A Capitulo Cathedralis nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An cadaver Sacerdotis Valentini Forconi spectet ad Ecclesiam Parochialem Sancti Catervi Civitatis Tolentini, seu potius ad Ecclesiam Cathedralem dictæ Civitatis?* & quatenus affirmative ad primam partem, & negative ad secundam.

II. *An sit locus restitutioni ejusdem cadaveris, nec non omnium emolumentorum occasione funeris a dicta Ecclesia Cathedrali perceptorum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad II. Affirmative, & amplius in omnibus.

MELEVITANA ERECTIONIS CANONICATUS, SIVE CANTORATUS. Publico Instrumento pia mulier Margarita Bonvicini anno 1744. Canonicatum fundavit erigendum in Insigni Collegiata Ecclesia D. Pauli Apostoli Civitatis Vallectæ, & titulo donationis *mera, pura, semplice, ed irrevocabile inter vivos, da non potersi revocare per qualunque causa* constituit in dotem ejusdem Canonicatus duo prædia, ex quibus habetur annuus redditus scut. 150., & quorum alterum subest directo dominio Piæ fundationis, quæ curatur a Ven. Ærario inclyti Ordinis Hierosolymitani, & ideo assignatio, & constitutio hujus prœdii facta fuit a Fundatrice cum onere solutionis annui canonis scut. 20., & sub conditione consensus præstandi a Ven. Ærario, & si Ærarium renueret consensum præstare, Canonicatus fundatio pro infecta esset habenda. Aliud quoque onus Canonicatui adjecit, ut scut. 5. ipsa vivente, post obitum vero scut. 10 annua Sacrario Ecclesiæ solveret. Juspatronatus activum Capitulo, & Canonicis reservavit, passivum vero primo loco Jo: Baptistæ Scerri, inde filiis, & descendentibus a Thoma, & Helena Scerri conjugibus. Sequenti anno 1745. nondum oblatis ab ea precibus Capitulo, & Episcopo pro approbatione fundationis, & erectione Canonicatus alio publico instrumento eadem Margarita eamdem fundationem confirmavit, sed variavit titulum Canonicatus in dignitatem Cantoris, qua carebat Ecclesia Collegiata duas tantum dignitates habens, adjecitque, ut nisi consensus a Capitulo præstaretur, utraque fundatio irrita esset, & infecta. Tertium eodem anno 1745. eadem Margarita Instrumentum publicum fecit, quo voluit, ut Cantores, cessante pensione sc. 75., quem sibi ad vitam servaverat in primo Instrumento, & de qua facultatem disponendi favore aliorum, quoad pariter viverent, sibi quoque in eodem Instrumento servaverat, non tenerentur amplius solvere quotannis Sacrario Ecclesiæ scut. 10., sed sola scut. 5., atque etiam eligere tenerentur „ un Cappellano Corista, oppure un Chierico atto al servizio del Coro col salario „ di scudi 15. annui. *Quartum quoque Instrumentum eodem anno 1745. ab* „ *eadem Margarita actum fuit, quo voluit* -- quod nec Dominus Cantor „ &c. *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

„ &c. neque ejus successores accedant ad Canonicum Hebdomadarium, neque ad Dominos Archipresbyterum, & Præpositum, neque in Choro, neque super Altare ad illi præbendam Antiphonam, etiamsi hujusmodi functiones fuerint ritu solemni, sed in hujusmodi functionibus remaneat in ejus stallo, & Choro „. Decessit tandem Margarita, nondum facta erectione, & pensionem scut. 75., quam sibi servaverat, legavit partim filiæ suæ Ludovicæ Isabellæ Moniali, quæ ætatem agit annorum 77., & partim Rosæ Rodriquez, quæ & ipsa ætate gravis est.

Dum cunctatur Capitulum fundationem Margaritæ vel rejicere, vel laudare, & agnoscere, dumque post longas moras quos eligere Censores, qui referant, quid de ea censeant, Paschalis Azzopardus obtulit folium sine die, & Consule, quo promittebat fundationem trium Dignitatum in eadem Collegiata Ecclesia, Decanatus nempe, Cantoratus, & Thesaurariatus oneratam *decem*, *& septem* conditionibus, quas inter, ut post antiquas Dignitates Archipresbyteri, & Præpositi, quæ in Ecclesia sunt, novæ hæ Dignitates primas sedes tenerent, cæterisque Canonicis, & Dignitatibus præferrentur. Dos harum Dignitatum, quæ ex ejus fundatione erigendæ sunt, ascendere dicitur ad scut. 15. millia, ex cujus fructibus assignari debeant singulis Dignitatibus scut 100. annua, & annua pariter scut. 30. Sacrario Ecclesiæ; reliqui vero fructus multiplicari debeant pro erectione aliarum Cappellaniarum, quæ onus habeant servitii Choro, & Ecclesiæ. Nullam denique irr.tam, atque infectam voluit fundationem suam Azzopardus, si pacta omnia, leges, & conditiones appositæ non admitterentur. Anno igitur 1750., coacto Capitulo, de utraque fundatione actum est; Azzopardi oblatio omnibus suffragiis admissa fuit: Fundatio prima Margaritæ recepta, cæteræ aliæ variationes rejectæ fuerunt, & Azzopardus, ac Capitulum adiverunt Episcopum, ut authoritate sua Canonicatum juxta primam Margaritæ voluntatem, & tres Dignitates juxta oblationem Azzopardi approbaret, sed cautus Episcopus, perpensis tot conditionibus ab Azzopardo adjectis, & tot variationibus Margaritæ, rem ad Eminentissimos Patres remisit. Oblatus itaque fuit ab Azzopardo, Capitulo libellus, & data fuit, ut moris est, epistola ad Episcopum. Fessi vero hæredes Margaritæ tot cunctationibus, quibus post quinquennium voluntas Fundatricis non implebatur, egerunt judicialiter coram A. C., sed R. P. D. Auditor Signaturæ cognitionem causæ delegavit Episcopo Melitensi, sed hic iterum rem omnem ad hoc Sacrum Tribunal remisit, transmissis actis, & expressa sententia animi sui de conditionibus ab Azzopardo adjectis, quarum alias probat, alias reiicit, alia Judicio Amplissimorum Patrum relinquit. An vero Cantoratus erectio juxta secundam Margaritæ voluntatem, vel juxta oblationem Azzopardi facienda sit, definire noluit; sentit tamen, & proclivior est, ut fiat juxta voluntatem Margaritæ. Causa nunc proponitur tribus collecta Capitibus, & Capitulum disputat primam Margaritæ voluntatem fundandi Canonicatum observandam esse, non cæteras mutationes, quia post perfectam donationem non potuerit eam revocare, licet res esset integra, idest licet neque Capitulum, neque Episcopus eam ratam habuissent. Melius consultum esse utilitati Ecclesiæ, & Capituli fundatione Azzopardi, qua pinguior dos constituta fuit, annua scut. 30. Sacrario acquiruntur, Cappellaniæ ex multiplico erigi debent, cum contra e variationibus Margaritæ Sacrarium Ecclesiæ annua perdat scut. 5. Contra jus esse ultimam conditionem adjectam a Margarita, ne Cantores loco suo discedant, ne *præbeant Antiphonam*: Bona, quæ pro dote Margarita constituit, oneribus subjecta esse tum annuæ pensionis, tum canonis, neque præstitum fuisse consensum a Ven. Ærario, neque cogi posse, ut eum præstet; Lites quoque paratas esse, quibus minuatur dos, itaut vix satis esse possit pro Canonicatu: demum summam esse rationem, quæ facit pro fundatione Azzopardi, quæ clausulas habet resolutivas, itaut, ea infecta, neque Dignitates erunt, neque Cappellaniæ. Hæc Capitulum:

Con-

Contra fratres Scerrii non eum esse quæstionis statum, quem dicit Capitulum; neque enim hic agitur de donatione revocata, cum eam confirmaverit Fundatrix, sed agitur de variatione tituli Canonicatus in Dignitatem Cantoratus, salva donationis substantia. In hac quæstione placuisse omnibus distinctionem, ut si variatio qualitatis accidentalis tendat in damnum Ecclesiæ, fieri nequeat, neque adiici possint novæ qualitates. Si vero qualitas nova nullum Ecclesiæ detrimentum infert, neque est contra juris dispositionem, licet variare, & novam qualitatem adjungere *Gloss. in cap. cum dilectus verb. constitutum de consuetudin. Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 2. quæst. 4. artic. 4. per tot Vivian. eod. tract. lib. 2. par. 1. cap. 8. num. 10. Garz. de benef. par. 7. cap. 1. num. 103. Tondut. resol. benef. cap. 68. num. 12. Corrad. in prax. benefic. lib. 2. cap. 10. num. 150. & 160. Gratian. discept. cap. 177. num. 4. Fargna de jurepatron. par. 1. can. 6. casu 7. num. 9. & par. 2. can. 27. casu 4. num. 1.*, aliique frequenter. Variationem tituli Canonicatus, & novam qualitatem Dignitatis Cantoratus non esse contra juris dispositionem, augere potius decus Ecclesiæ Collegiatæ, quæ duas tantum habebat Dignitates, neque eo tempore, quo hæc variatio facta fuit a Margarita, anno scilicet 1745., in mentem venerat Azzopardo tres Dignitates fundandi. Potuisse Azzopardum aliud nomen Dignitatis seligere non Cantoratus, quam fundatam fuisse a Margarita notissimum erat, itaut non levis suspicio sit emulationibus rem actam fuisse, non vi, & motu Christianæ pietatis. Nullum quoque detrimentum Ecclesiæ intulisse hanc variationem, cum redditus annui Cantoratus sint scut. 150, quæ excedunt redditus ab Azzopardo assignatos singulis suis Dignitatibus: diminutionem annui redditus sc 5. pro Sacrario non esse substinendam, ut disputant *in secundo Dubio*; Ven. Ærarium consensum præstitisse; Gravem esse ætatem Monialis, & Rosæ, quibus a Fundatrice legata fuit annua pensio scut 75., ut brevi tempore legatum onus sit periturum: Lites extinctas esse re judicata, ut nihil proponatur, cur secunda voluntas Margaritæ servanda non sit, & a Capitulo agnoscenda. Quod si Capitulum eam agnoscere noluit nihil esse, cum possit Episcopus supplere consensum Capituli, prout fecisse patet ex ejus epistola *Ceccoper. lucubr. canon. lib. 4. cap num. 151. Piton. discept. ecclesiast. 36. num. 7. & discept. 99. num. 6. & de controv. patron. alleg 55. num. 4. 5. & seqq.*, & longe magis suppleri possit ab hoc Sacro Tribunali, ut tradunt *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 47. num. 37. & 38. Card. de Luca de canonic. disc. 1. num. 9. & 10. Ursaya discept. ecclesiast. 5. num. 150. Piton. dicta discept. 99. num. 9.*, constatque ex decretis ipsis Sacri hujus Tribunalis relatis a *Bertacchin. vot. 192. n. 3. Monacell. in formular. part. 1. tit. 2. form. 4. num. 15. Piton. dicta discept. 99. num. 53.* Denique conditionem illam, ne Cantores loco discedant, neve *præbeant Antiphonam*, contrariam non esse Ritibus, sed uniformem consuetudini Ecclesiæ, immo ipsius Cathedralis. Hæc fratres Scerri.

Libellus alter ab Azzopardo distribuitur Eminentissimis Patribus, quo de conditionibus agitur; sed Judicium erit Amplissimorum Patrum, an de his conditionibus dandum sit Dubium, cum nihil de iis sit in tribus, quæ sequuntur, Dubiis, quibus Causa omnis collecta fuit.

I. *An variatio Fundationis Canonicatus in fundationem Dignitatis Cantoratus in Ecclesia Collegiata Divi Pauli sustineatur in casu &c.*, & quatenus affirmative.

II. *An cum onere præstandi tantum annua scuta decem Sacrario, vel potius retinendi Choristam, sive Clericum annuo stipendio scutorum quindecim, & subministrandi Sacrario annua tantum scut. 5., seu quomodo?*

III. *An dicta Dignitas Cantoratus præferenda sit aliis Dignitatibus postea fundatis in eadem Ecclesia in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad III. Affirmative, & amplius in omnibus.

SENO-

Sess. 24. c. 12. de Ref.

SENOGALLIEN. JURIUM PAROCHIALIUM, ET RRÆEMINENTIARUM: Parochialem Ecclesiam Terræ Sancti Viti in Collegiatam erexit anno 1673. Summus Pontifex Clemens X. institutis in ea Archipresbyteratus Dignitate, sex Canonicatibus, & duabus Cappellaniis; Pro dote vero constitutis omnibus, & singulis juribus, fructibus, redditibus, obventionibus, emolumentis, & bonis quibuscumque antiquæ Parochalis, quæ omnia authoritate Apostolica univit, & applicavit Capitulo, data Archipresbytero cura animarum. Tribuit quoque Capitulo jura respicientia conservationem Ecclesiæ, stipendia Cappellanorum, & Æditui, regimen denique, & curam Parochiæ. Sequenti anno 1674. Episcopali authoritate compactæ fuerunt Constitutiones, quas observare deberent Archipresbyter, & Canonici, & in iis juxta Clementinam Constitutionem omnia, quæ ad antiquam Parochialem Ecclesiam spectabant, facta fuerunt communia inter Canonicos, & Archipresbyterum, sive res esset de honoribus, sive de oneribus, sive de emolumentis, aliisque juribus universis. Ita pariter omnia hæc communia declarata fuerunt in transactione, quæ post longam litem actam inter Archipresbyterum, & Canonicos, inita fuit anno 1703., & qua ad Capitulum spectabant tam onera, quam obventiones, & emolumenta, ideo anno 1690. definitum fuit neque Archipresbytero, neque Cappellanis licere aliquid sibi retinere ex incertis Curæ in detrimentum Canonicorum.

Ex dispositione igitur sive Clementinæ Bullæ, sive Constitutionum Capitularium, sive transactionis initæ inter Archipresbyterum, & Canonicos ad hæc usque tempora servata fuit consuetudo, ut nullum esset Archipresbytero jus privativum; nullæ siquidem in ambitu Parochiæ Ecclesiæ Collegiatæ actæ sunt Ecclesiasticæ Functiones sine venia Capituli, & Sodales Sanctissimi Sacramenti, qui sacras pompas, seu Processiones ducere voluerunt, non ab Archipresbytero, sed a Capitulo veniam impetrarunt, & exortis inter eosdem Sodales, & Capitulum litibus, in transactione, qua sopitæ fuerunt, non Archipresbytero, sed universo Capitulo reservatum fuit jus agendi Processiones, & Sacrum canendi. Ita pariter, si quis sepulchrum extruere voluit, non a solo Archipresbytero, sed ab universo Capitulo facultatem obtinuit; neque ipsæ Parochiales functiones in funeribus, & matrimoniis actæ semper sunt ab Archipresbytero, sed etiam a Canonicis. Hanc tamen inter Canonicos, & Archipresbyterum unitatem, & tranquillitatem turbavit nuper petita a Patribus Conventualibus facultas ducendi Processionem in honorem Sancti Antonii, quæ numquam antea ducta fuerat; Episcopus enim eam indulsit, *non essendovi cosa in contrario, e fattane parola con il Paroco*. Patres a Capitulo veniam postularunt, & obtinuerunt. Id ægre tulit Archipresbyter, qui hac de re questus est apud Eminentissimos Patres. Ex his querelis nova emerserunt controversiarum Capita, quæ omnia XIII. Dubiis complexa sunt. Horum sola lectione, quid in disputationem veniat, intelligitur. Ab Archipresbytero nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An Cura habitualis Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Petri Montis Sancti Viti resideat penes Capitulum, seu potius totaliter, & privative illa resideat conjunctim cum actuali penes Archipresbyterum in casu &c.*, & quatenus affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam.

II. *An idem Archipresbyter possit independenter a Capitulo exercere curam animarum, omniaque disponere illam respicientia in casu &c.*

III. *An sine consensu, & licentia Archipresbyteri ad formam tamen assertarum conventionum Canonici possint baptizare, matrimoniis assistere, aliaque munera Parochialia exercere in casu &c.*

IV. *An Archipresbyter possit independenter a Capitulo per se ipsum exequi rescripta respicientia licentias agendi Processiones, signanter illam Patrum Conventualium fieri solitam pro festivitate Sancti Antonii Patavini, quæ sibi ab Ordinario remittantur pro exequutione, seu*

potius

potius dependenter, & facta prius participatione Capitulo in casu &c.

V. *An præcisive a licentia Ordinarii Archipresbyter ex se ipso independenter a Capitulo impertiri valeat licentias PP. Minoribus Conventualibus peragendi Processiones extra Conventus claustra, signanter in festivitate Sancti Antonii Patavini, seu potius cum participatione, & consensu ejusdem Capituli in casu &c.*

VI. *An cum eadem participatione, & consensu Capituli ab Archipresbytero sint designandæ viæ, & prescribendus modus dictis PP. Conventualibus in Processionibus peragendis extra claustra in casu &c.*

VII. *An, & quomodo Canonici præfatæ Collegiatæ e Choro discedentes petere debeant veniam ab Archipresbytero in casu &c.*

VIII. *An Canonici præfatæ Collegiatæ lucrari possint distributiones, quoties tempore divinorum Officiorum e Choro discedunt, tam ex causa audiendi confessiones, quam ex causa celebrandi Missam privatam in casu &c.*

IX. *An Canonici, qui tenentur ex asserta fundatione audire Confessiones, lucrari possint distributiones, si tempore Divinorum Officiorum illas audiant in casu &c.*

X. *An, & qua hora diebus festivis Archipresbyter teneatur celebrare Missam Parochialem Populo in casu &c.*, & quatenus in ortu solis.

XI. *An iidem Canonici possint diebus festis celebrare Missam ante Missam Parochialem Archipresbyteri in casu &c.*

XII. *An præter unam clavem Archivi Capitularis retinendam a Canonico Camerario possit Archipresbyter retinere aliam diversam clavem ejusdem Archivi, itaut unus non possit aperire sine alio in casu &c.*

XIII. *An Archipresbyter teneatur reportare in Archivum Ecclesiæ Collegiatæ omnes scripturas, & libros ad Capitulum dictæ Collegiatæ quomodocumque spectantes in casu &c.*

VASIONEN. JURISDICTIONIS: Est in Oppido Malaucenæ Vasionensis Diœceseos vetustissimum Hospitale, cujus fundationis nulla est memoria, sed evolutis antiquis Episcopalium Visitationum actis, pro certo constat Episcopos Vasionenses in eo semper Jurisdictionem exercuisse, nam cum in locum salubriorem, & commodiorem transferri debuisset, Episcopi, postulantibus Rectoribus Hospitalis, & quandoque ipsa Communitate Malaucenæ, translationis veniam concesserunt. Hospitalis redditus, qui primum tenues erant, ex unionibus aliorum piorum operum, quæ ab Episcopis in Visitatione factæ fuerunt, incrementum habuerunt, inde aucti sunt piorum Testatorum legatis, relictisque, sed maxime hæreditate Sacerdotis Alexandri Filiol, qui Malaucenæ Parochus fuit, quique omnem fere ætatem, vitamque suam inter opera pietatis in eodem Hospitali transegit. Administratio redditum hujus Hospitalis penes ejus Rectores erat, quos inter Parochus primum locum obtinuit. Redditus erogati fuerunt, ubi Episcopis magis expedire visum est, qui præsentibus, immo aliquando postulantibus ipsis Oppidi Consulibus, & Hospitalis Rectoribus decreta tulerunt, quæ, rectam Hospitalis, ejusque redditum curam, & administrationem, vel personas, quæ aut in eo recipi, aut ab eo reiici deberent, vel eleemosynas peregrinis, mendicantibus, & verecundioribus Oppidi familiis distribuendas, vel subsidia dotalia ab Hospitali puellis præstanda, vel alienationes, aut emptiones bonorum ab Hospitali faciendas respiciebant. *Sess. 7. c. 15. Sess. 22. c. 8. de Ref.*

Quo tempore, & a quibus Hospitalis Rectores antiquitus eligerentur, ignotum est. Constat solum bona ab Exconsule Oppidi uti Rectore Hospitalis arbitratu suo anno 1796. administrata fuisse. Abusum hunc censuit, & sustulit, qui tunc temporis præerat, Episcopus, instituta pro regimine, & administratione Hospitalis Congregatione, quæ constaret Parocho, Consule, Excon-

Exconsule, aliisque, qui pridem in numero Rectorum erant, latoque simul decreto, quo vetabatur nullam solvi posse pecuniarum quantitatem, nisi mandatum a Parocho, & ab altero Rectorum subcriberetur. Confirmavit hanc Congregationem, paucis quibusdam mutatis, qui Ecclesiæ Vasionensi præerat, Episcopus anno 1714., voluitque Congregationem constitui a Parocho, primo Exconsule, & novem aliis personis a publico Concilio Oppidi quotannis eligendis; Atque hæc Congregatio appellari cæpit *le Bourreau*. Confirmata inde fuit ab alio Episcopo anno 1741., qui pluribus latis decretis, quibus administrationi Hospitalis consulebatur, numerum tantum eligendorum a publico Concilio diminuit. Nuper vero, cum Sacram Visitationem ageret, qui nunc Vasionensi Ecclesiæ præest, Episcopus, edi jussit libros Hospitalis, e quibus cognosceret, an ejus redditus bene administrarentur, an onera Pii Loci, & Testatorum voluntates implerentur. Sed eos edere negarunt nomine Communitatis aliqui Cives contendentes Hospitale laicum exemptum esse ab Episcopi Jurisdictione in iis, quæ spiritualia non respiciunt; Episcopus tamen plura tulit decreta, quæ illi spreverunt.

Neque satis visum fuit Episcopalia decreta sprevisse: Administratio, quam hactenus habuerat Congregatio *le Bourreau*, & cujus caput erat Parochus, data fuit Oppidi Concilio, a quo duæ ex professis Hospitalariis Puellis Lugduno Malaucenam accitæ fuerunt, quæ infirmis servitium præstarunt in Hospitali. Id ubi rescivit Episcopus, iis præcepit, ne in Hospitali versarentur, priusquam ipse de religione, & moribus earumdem certior fierent. Obtemperassent fortasse Puellæ, nisi Concilium prohibuisset, a quo sunt Hospitalariarum vestes deponere, ut exemptæ viderentur ab Episcopali Jurisdictione. Acta quoque Judicialia coram R. P. D Prolegato incæpta sunt contra Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Vasionensis, sed Prolegatus rem brevius confecit, expulsis non ab Oppido tantum, sed ab universa Legatione Puellis, quæ in proximam Galliæ Civitatem sese receperunt, ibique aluntur expensis Communitatis ex obligatione suscepta, cum Lugduno venerunt. Ob hoc Prolegati factum remiserunt de spiritu multum Administratores, & Cives, & agere cæperunt cum Episcopo de ejus Jurisdictione agnoscenda, servandisque decretis in Visitatione latis, si Puellarum reditum permitteret, aut saltem expensas pro iis factas debito Hospitalis cedere fineret. Flexerunt hæ preces animum Episcopi, at ubi ad rem ventum est, mutato consilio, non puduit Oppidanos illos, & Administratores nova pacta, legesque pro ineunda transactione proponere, inter quas ea erat, ut e numero Administratorum deleretur Parochus, ut eas Episcopus reiicere debuerit.

Post hæc Episcopus preces de his omnibus obtulit Sacratissimo Principi nostro, a quo omnis hujus Causæ cognitio Eminentissimis Patribus data fuit. Auditus Archiepiscopus Avenionensis nihil intactum prætermisit, ut lites componeret, sed re infecta ex Oppidanorum obstinatione, animi sui sententiam his verbis expressit „ salvam, & intactam esse debere omnimodam Ordina-
„ riam Jurisdictionem Reverendissimi Episcopi Vasionensis, œconomicam
„ vero administrationem illius Hospitalis subordinatam eidem Ordinariæ Ju-
„ risdictioni ita regulari expedire, ut explicetur majori, quæ servari pote-
„ rit, consensione Episcopi, illiusque Successorum, ac Parochi Malaucenæ
„ cum laicis Administratoribus a publico Concilio deputatis „. Audito Archiepiscopo, controversiæ omnes VIII. Capitibus collectæ fuerunt. A Communitate, & Administratoribus nondum libellum jurium habuimus. Dubia sunt.

I. *An constet de exemptione Hospitalis Malaucenæ a Jurisdictione Ordinaria Episcopi in casu &c.*

II. *An liceat Episcopo in Visitatione, & extra, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, decreta condere in casu &c.*

III. *An eidem Episcopo jus competat convocandi Congregationem dicti Hospitalis,*

lis , & in ea per se , vel per ejus Deputatum præsidendi in casu &c.

IV. *An Rectores aliique Administratores bonorum d. Hospitalis eidem Episcopo ratione reddere teneantur in casu &c.*

V. *An administratio , & gubernium ejusdem Hospitalis spectet ad Congregationem ejusdem Hospitalis denominatam* Bourreau , *seu potius ad consilium dictæ Civitatis in casu &c.*

VI. *An Parocho Civitatis Malaucenæ competat jus interveniendi dictis Congregationibus, primum locum inter Rectores occupandi , & suffragium ferendi in casu &c.*

VII. *An liceat Administratoribus Hospitalis sine consensu , & approbatione Episcopi pias mulieres introducere ad ministrandum , & inserviendum dicto Hospitali in casu &c.*

VIII. *An ad expensas factan pro introductione dictarum piarum mulierum in dicto Hospitali teneatur idem Hospitale , seu potius Communitas , seu Deputati in casu &c.*

Ad I. Negative , & amplius. Ad II. , III. , & IV. Affirmative , & amplius. Ad V. Affirmative ad primam partem , negative ad secundam , & amplius . Ad VI. Quoad primam partem arbitrio Episcopi . In reliquis affirmative , & amplius . Ad VII. Negative , & amplius. Ad VIII. Ad Mentem.

Sess.22. decr. de observ. & evit. in celeb. Miss.

PISAUREN. Supremo , quo decessit anno 1733. suæ voluntatis elogio Jo: Jacobus Leonardus Comes Montis Abbatum voluit „ che nell' Oratorio destinato vicino alla sua Casa siano celebrate le Messe tutte le Feste , e due „ giorni fra settimana , cioè il giorno della Donna (*hoc nomine designatur* „ *dies , quo singulis annis Festum Annunciationis Beatissimæ Virginis recur-* „ *rit*) ed il Sabato , ed a questo effetto sia tenuto un Cappellano amovibile „ a libito degl' infrascritti eredi con la provisione di scudi 24. all' anno , per „ quali ha assegnato il censo di scudi 300. &c. , e quando questa quantità non „ bastasse per detta Cappella , se li debbano dagl' infrascritti eredi consegna- „ re un altro censo di scudi 100. , e per quel più , che bisognasse per detta „ Ufficiatura , e mantenimento di detta Chiesa , il detto Signor Conte obli- „ ga detti eredi , ed in difetto loro la Casa contigua alla Casa del detto Si- „ gnor Conte nella strada di Porta del Sole , volendo , che in tal caso possa „ Monsignor Vescovo , che sarà pro tempore di Pesaro , assegnare a detto „ Cappellano de facto il frutto di detta Casa per detto bisogno , e che in dette „ Chiese si celebri la festa della Madonna di Loreto con Messa cantata , ed „ altre Messe il giorno , che detta festa vien celebrata da Santa Chiesa , ed „ il giorno seguente con Offizio de' Morti con il frutto di detta Casa , e con „ l' eredità di esso Testatore „ . A die obitus Testatoris sæpissimè evenit , & deinceps etiam eveniet sæpissime , ut vel die Sabathi , vel die *della Donna* Festum aliquod recurreret . Hæredes hoc casu unum tantum sacrum agi permiserunt a Cappellano . Res in dubium revocata est ab Episcopis , sed ob conjecturas voluntatis , quæ hinc inde educi possunt ex dictis verbis testamenti , nihil definitum fuit .

Qui nunc Testatoris hæreditatem possidet Comes Franciscus Leonardus , oblato libello , postulavit ab Eminentissimis Patribus , ut declararent , an hoc casu unum , vel duo sacra essent agenda . Auditus Episcopus rationes retulit , quæ hinc atque inde proponi possunt : expendit ea testamenti verba , quibus utrumque onus Testator disjungit , quibusve fundari posset onus duplicis sacri : reiicit argumentum eductum e tenuitate stipendii Cappellano assignati , tum quia tunc temporis sacrorum eleemosyna tenuissimo quinque , aut sex obulorum pretio constituebatur , tum quia datum fuit hæredibus onus augendi stipendium , si oneribus impar esset , & speciali hypotheca subjecta domus domui Testatoris contigua , cujus redditus eo casu ab Episcopo assignari deberent Cappellanis . Plurimi tamen facit argumentum , quod educitur ex

onere injuncto unico Cappellano, unde arguit Testatorem „ non respexisse „ ad multiplicitatem Missarum, sed ad simplicem celebrationem faciendam in „ illa tali die, ut Ecclesia alioquin deserta, sed adnexa ejus domui iis diebus aliquo modo officiaretur in commodum privatum illustris ejus familiæ, „ quod habetur etiam per unicam Missam „ Eoque amplius, quod onus directum fuerit a Testatore in personam Cappellani, quod tamen factum non fuit, ubi de Officio, & sacro cum cantu agendo verba habuit. Has conjecturas *præponderare contrariis* censuit Episcopus. In eadem sententia differit in suo libello Comes Franciscus. Onus erit Eminentissimorum Patrum decernere.

An sit locus celebrationi unius, vel duarum Missarum die Sabathi ac alio nuncupat della Donna recurrente in altero ex dictis diebus Festo aliquo de præcepto in casu &c.

Esse locum celebrationi unius tantum Missæ.

Die Sabbathi 1. Septembris 1753.

Sess. 24 c. 1. de Ref.

CARTHAGINEN. MATRIMONII. Proposita fuit celeberrima hæc Causa in Congregatione habita die 7. superioris mensis Aprilis, & re reducta ad cognitionem personæ Melitonæ Melendez, quam Parochus propter noctem, & obscuritatem loci, ac tegumentum, quo operiebatur, non potuit cognoscere, distractæ fuerunt paribus suffragiis Eminentissimorum Patrum sententiæ, ita ut rescriptum fuerit - *Iterum proponatur, & scribant duo Theologi, & Canonistæ pro veritatè ex officio*. His igitur electis traditi fuerunt libelli hinc inde a partibus scripti, neve in Causa diffusa a scopo aberrarent, propositum singulis fuit dubium, sive quæstio, de qua consulebantur, his verbis „ Quæritur, an validum sit Matrimonium contractum coram Parocho, qui alterutrum ex contrahentibus identifice, & individuo „ non cognovit, nec cognoscere potuit, vel propter noctem, & obscuritatem loci, vel propter tegumentum, quo operiebatur, licet adhibuerit „ omnem diligentiam, ut cognosceret, etiam cum aliquali violentia coram „ testibus, & quamvis iidem testes ad Matrimonium perducti scirent, quis „ ille esset, & Parochus non simultanee, sed successive, & post factam Ordinario relationem ejusdem matrimonii, certior factus fuerit de illius identitate ex subsequuta inquisitione „. Scripserunt itaque duo Theologi, scripserunt duo Canonistæ: Theologus alter validum hoc Matrimonium censuit, nullum vero illud esse respondendum alter Theologus, & duo Canonistæ. Horum omnium responsa Eminentissimis Patribus *distribuuntur*, ut, eorum rationibus perpensis, aliisque, si quæ a partibus addantur, quam veriorem putant, senteniam sequantur, & Causæ Dubium expediant.

An constet de validitate Matrimonii in casu &c.

Non proposita.

Sess. 23. c. 18. de Ref.

POTENTINA BENEFICII: Data fuit hæc Causa in eodem Folio Congregationis habitæ die 7. transacti mensis Aprilis, sed dilationem ab Eminentissimis Patribus obtinuit. Proposita igitur in Congregatione habita die 12. Maii, Dubio, quod erat - *An sit relaxanda supplicatio in casu &c.* respondit Sacrum Tribunal *negative*. Redit nunc ad novum Eminentissimorum Patrum judicium, & respondendum est.

An sit standum, vel recedendum in casu &c.

Dilata ad primam post aquas.

SA-

SALERNITANA CANONICATUS POENITENTIARII: Species omnis hujus Causæ habetur in Folio Congregationis habitæ die 23. superioris mensis Junii: Definita tamen non fuit dilationem Eminentissimis Patribus indulgentibus. Proposita itaque in Congregatione habita die 21. Julii, duobus Dubiis, quæ erant. „ I. An, & quomodo sit facienda collatio Canonicatus „ Pœnitentiarii in casu &c. II. An sustineatur collatio Canonicatus Pœnitentiarii facta in personam Sacerdotis Josephi Viggiani in casu &c. „ responderunt Amplissimi Patres - *Ad I. Electionem esse faciendam ab Archiepiscopo favore personæ magis idoneæ ab Examinatoribus renunciatæ in concursu: Præsentationem vero ejusdem personæ faciendam esse a Capitulo: Ad II. Affirmative*. De iisdem quæstionibus nunc iterum est cognoscendum, & expediri debet Dubium. *Sess. 23. c. 8. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis in omnibus, & amplius.

SENOGALLIEN. JURIUM PAROCHIALIUM, ET PREÆMINENTIARUM. Dedimus hanc Causam, cujus XIII. Dubia sunt in Folio ultimæ Congregationis habitæ die 11 lapsi mensis Augusti, sed proposita non fuit. Cum nunc proponatur, poterunt Eminentissimi Patres, repetita ejusdem Folii lectione, XIII. quæ sequuntur, Dubia definire. *ut videretur est in pag. 46. & 47.* *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

I. *An &c.*

Dilata ad sequentem.

ROMANA MATRIMONII: Hæc quoque Causa data fuit in eodem Folio ultimæ Congregationis habitæ die 11. Augusti, Dubioque, quod erat - *An constet de Matrimonio, ejusque validitate in casu &c.* - respondit Sacrum Tribunal - *negative*. Redit nunc ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, qui respondere debent. *Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

PISAUREN. Est in Territorio Gradariæ Diœceseos Pisaurensis Parochia ruralis Sanctæ Sophiæ, quæ distat a Terra quingentis passibus, & componitur Capitibus 354., ex quibus tamen sola 228. ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipiendum admittuntur. Duas hæc Parochia habet Ecclesias; Alteram intra Gradariam, penes quam residet, ut ab antiquissimo tempore sueverunt, Parochus, seu Archipresbyter, licet intra Terram Populum non habeat, neque ejus Jurisdictioni aliæ subiiciantur personæ, quam quæ cum eo domum incolunt Parochialem: Alteram vero in centro ipsius Parochiæ, & passibus 750. circiter a Terra dissitam, quæ e ruderibus veteris Archipresbyteralis Ecclesiæ excitata fuit, anguste licet ad Populi commodum. Anno 1743. cum morte Archipresbyteri vacaret Parochia, actum fuit in hoc Sacro Tribunali de unienda hac Parochia cum altera S. Joannis, quæ est intra Gradariam, cum onere retinendi Rectorem ruralis Ecclesiæ S. Sophiæ, qui curam animarum haberet, sed proposito die 11. Januarii anno 1744.: Dubio: *An sit locus unioni, & respective dismembrationi in casu &c.* Responsum fuit - *Negative, & scribatur Episcopo juxta instructionem* - quæ fuit, *ut provideret indemnitati animarum*; ideoque Archipresbyter, ut huic responso obtemperaret, sacrum diebus Festis sive per se, sive per alium Sacerdotem egit in Ecclesia rurali, Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ petentibus ministravit, pueros Religionis nostræ dogmata docuit. *Sess. 21. c. 4. de Ref.*

Anno 1748. de gravi crimine accusatus Archipresbyter Petrus Giovannelli, ut cau-

causam suam, in qua de privatione Parochiæ agebatur, in hoc Sacro Tribunali tueretur, Romam venit, deputato in Vicarium suum Andrea Nardio. At Curia Episcopalis Pisaurensis, amoto Nardio a munere Vicarii, *Oeconomum* deputavit Antonium Carletti, & Nardium *Cappellanum* ruralis Ecclesiæ S. Sophiæ, ut sacrum in ea diebus Festis ageret. Questus est de hoc duplici onere, ejusque inutilitate Archipresbyter apud Eminentissimos Patres, negavitque Nardio Cappellano stipendium, sed Curia Episcopalis, non expectato Sacri Tribunalis judicio, jussit Oeconomo, ut ex Parochiæ redditibus stipendium solveret Nardio, quod ab Oeconomo factum est duabus summis solutis. Postulavit Archipresbyter ab Amplissimis Patribus, ut Cappellanus amoveretur, & die 15. Aprilis anno 1752. rescriptum fuit - *quoad retentionem Cappellani ruralis ad Dominum Secretarium cum Agente Episcopi, & ad mentem* - mens vero fuit *pro omnimoda ruralis Cappellani remotione*. Remotus fuit Nardius, qui jam pridem rei exitum prænoscens a mense Januario destiterat sacra agere, & mense Julio preces obtulit Eminentissimis Patribus, quibus petebat, ut Archipresbyter compelleretur ad solutionem residui sui stipendii, sed inde, mutato consilio, Archipresbyterum in jus vocavit coram A. C. Contra Archipresbyter Signaturæ Tribunal adiit, petens, ut Nardius, qui lite in hac Sacra Congregatione pendente, exegerat stipendii partem mandatis Curiæ Episcopalis Pisaurensis, attentata purgaret, utque causæ cognitio Sacro huic Tribunali delegaretur, & quod petiit obtinuit.

Postulavit igitur Archipresbyter a R. P. D. Secretario, ut compelleretur Nardius ad purgationem attentatorum, & restitutionem quantitatis, quam ab Oeconomo exegerat, decretumque fuit - *obtinuit per viam nullitatis, & supersederi per octo, & amplius* - expedito inde mandato de restituendo, exequutum illud fuit, & summa pecuniarum penes publicum depositarium servatur. Rediit Promotor Curiæ Episcopalis ad R. P. D. Secretarium, & re iterum probe perspecta, confirmatum fuit decretum: adiit Eminentissimum Dominum Cardinalem Præfectum, & rejectus fuit: nesciens, quo se verteret, petiit, ut ei liceret audire Sacri Tribunalis sententiam. Hac itaque ei facta potestate, duo nunc dubia proponuntur, quorum primo, cum quæratur, an sustinenda sit remotio Cappellani, monstrat Archipresbyter nulla ratione Cappellanum hunc potuisse a Curia Episcopali præponi, & recte ab Eminentissimis Patribus responsum fuisse die 15. Aprilis superiore anno 1752. *pro omnimoda ruralis Cappellani remotione*. Altero vero cum quæratur, an Nardius teneatur stipendium exactum restituere, monstrat Archipresbyter deberi quidem Nardio stipendium, qui sacra egit, at deberi ab eo, qui Cappellanum præposuit; non teneri Archipresbyterum, qui hoc onus retinendi Cappellanum non habet, quique ei non mandavit, ut sacra ageret. Hæc summa est libelli dati ab Archipresbytero. A Promorore Curiæ Episcopalis nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An sustineatur remotio Cappellani, seu potius teneatur Archipresbyter illum deputare suis sumptibus pro servitio Ecclesiæ ruralis, & quomodo in casu &c.*

II. *An sit locus restitutioni salarii exacti a Cappellano Nardi, seu potius sit relaxandum mandatum pro aliis salariis decursis, & non solutis usque ad diem præstiti servitii in casu etc.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam adimpletis oneribus Parochialibus, vel per se, vel per alium. Ad II. Ad mentem.

Sess. 21. c. 5. de Ref.

ASCULANA FUNCTIONUM ECCLESIASTICARUM: Duabus constat Parochiis Arquata Terra Diœceseos Asculanæ: altera Præposituræ, altera Plebaniæ titulo decoratur: Parochiæ non limitibus, & finibus distinguuntur, sed Familiis. Parochiani partim in ipsa Terra, partim in Ter-

Territorio habitant: utreque Parochiales Ecclesiæ extra Terram sunt, Parochi vero intra Terram habitant in ædibus Parochialibus: duo sunt intra Terram Oratoria publica, alterum *S. Mariæ*, alterum *S. Nicolao* dedicatum. Primum pertinet ad Plebanum, qui in eo functiones omnes Parochiales facit, & Parochianis Sacramenta ministrat; alterum vero retroactis temporibus simplex erat beneficium, sed anno 1571. Petrus Camajanus non ignotus doctis hominibus Episcopus Asculanus, & Tridentini Concilii, & Apostolicæ Sedis authoritate Beneficium illud Collegio puerorum, seu Seminario *applicavit, univit, & incorporavit*, itaut Oratorium *S. Nicolai* ad Seminarium, a quo sacra supellectili, aliisque omnibus necessariis semper instructum fuit, ad hæc usque tempora pleno dominii jure spectaverit. Animo igitur reputans Præpositus Parochialem suam Ecclesiam a Terra distitam esse viam vero asperam, & difficilem, itaut pueri, senes, adversa valetudine laborantes, feminæ utero graves, aliisque aliis de causis, qui in Terra habitant, non posse ad Ecclesiam Parochialem hyeme præsertim accedere, ad audienda divina Officia, & Sacramenta excipienda, optimum fore censuit, si posset Oratorium illud a Seminario impetrare, ut Præpositurali Ecclesiæ uniretur, & in eo Sacramenta ministrarentur, & jura exercerentur Parochialia. Agere igitur cæpit cum Administratoribus, & Rectoribus Seminarii, qui conditiones a Præposito oblatas acceperunt, & preces obtulerunt Sacratissimo Principi nostro. Data fuit postulationis hujus cognitio Eminentissimis Patribus, & auditus fuit, ut fieri solet, Episcopus, qui vera esse respondit omnia, quæ in precibus narrabantur, incommoda Parochianorum tum ob Ecclesiæ Parochialis distantiam, tum ob viæ difficultatem recensuit, animique sui sententiam aperuit faciendæ unionis, seu aggregationis. Die igitur 22. Maii 1752. rescriptum fuit ab Eminentissimis Patribus - *arbitrio Episcopi* - latoque inde ab Episcopo cessionis, & unionis decreto, actæ fuerunt publicæ tabulæ, & tradita fuit Præposito vacua Oratorii possessio, qui eam publice nactus est, cæpitque Sacramenta ministrare, sacrum facere, Evangelium explicare, pueros rudimenta fidei docere, & jura omnia, ac functiones Parochiales in eo exercere, quæ pridem agebat in Ecclesia Parochiali.

Ægre hæc tulit Plebanus, Parochus alter ejusdem Terræ, qui cum in Festo *S. Nicolai* Titularis Oratorii suevisset solemne sacrum facere, putabat jus sibi aliquod quæsitum in eo fuisse, ideoque Præpositum in jus vocavit coram A. C., ne posset in Oratorio functiones Ecclesiasticas, & Parochiales exercere: sed Causæ cognitionem ad hoc Sacrum Tribunal pertinere censuit Signatura, & nunc duobus distincta Capitibus proponitur Eminentissimis Patribus definienda: disputatque Præpositus de unionis, seu aggregationis validitate ambigendum non esse, cum facta fuerit ab Episcopo authoritate Sacri hujus Tribunalis, consensum præstante Seminario, legitimo Oratorii domino ex antiqua unione anni 1571.: nullo obreptionis, aut subreptionis vitio infectam dici posse novam unionem, seu aggregationem, cum neque falsum aliquod expressum fuerit in precibus, neque tacitum fuerit, quod verum esset, ut Episcopus consultus respondit: nullum in Oratorio S. Nicolai jus fuisse, aut esse Plebano, cum in Terra Arquatæ Parochiarum divisio non sit per limites, sed per familias, neque jus aliquod in eo acquirere potuisse, quod die festo S. Nicolai solemne sacrum in eo facere soleret, putandum enim est id ab eo factum non jure Parochi, sed jure facultativo Seminarii, cujus Rectores cum longe abessent, eum vocarunt, vel etiam pietatis causa. Hinc subsistente unione, exclusoque jure omni Parochiali Plebani in Oratorio, nihil ab eo proponi posse, cur Præpositus, & solemne sacrum die Festo S. Nicolai, & functiones alias quaslibet Ecclesiasticas, omniaque jura Parochialia exercere non possit in eodem Oratorio: Hæc Præpositus. A Plebano sero nimis, & post hæc scripta datus fuit libellus, quem raptim legimus, & vidimus non levem *facti* variationem, ac Episcopum sese retractasse, sed urgentibus

tibus typis alia addere non potuimus. Causæ Capita hæc sunt.

I. *An sustineatur unio Oratorii S. Nicolai nuper facta Ecclesiæ Præpositurali S. Petri Terræ Arquatæ?* & quatenus affirmative.

II. *An, & cui competat jus canendi Missam solemnem in Festo Titularis, & exercendi quascumque functiones tum Parochiales, tum Ecclesiasticas in d. Oratorio S. Nicolai in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Competere Præposito.

Sess. 25. c. 1. de Ref.

ANGLONEN. JURIS DEPUTANDI VICARIUM CAPITULAREM: Exortis anno 1660. controversiis inter Episcopum Anglonensem, & Abbatem Commendatarium, ac Monachos Monasterii S. Eliæ Ordinis S. Basilii, quod situm est in Oppido Carbonis, contendente Abbate Commendatario Abbatiam esse Nullius, & cum Jurisdictione quasi Episcopali, ac Territorio separato, adita fuit Sacra hæc Congregatio, quæ respondit secundum Episcopum, *donec* tamen *per rem judicatam constiterit præfatam Abbatiam esse Nullius, & cum Territorio separato, & Jurisdictione quasi Episcopali.* Instaurata fuit Controversia anno 1709., & tribus propositis Dubiis. „ I. An sit standum, vel recedendum a decisis die 24. Januarii 1609. II. An „ constet Abbatiam S. Eliæ Terræ Carbonis esse Nullius, & habere Jurisdi- „ ctionem quasi Episcopalem, *& quatenus negative*. III., An, & quæ „ Jurisdictio competat Episcopo Anglonen. in dicta Terra Carbonis in casu „ &c. *rescripsit Sac. Tribunal* - Dilata, & dentur literæ compulsoriales, & „ remissoriales cum præfixione termini quatuor mensium „. Post longas moras die tandem 17. Novembris anno 1714 reproposita causa, expedita fuerunt tria illa Dubia responso: *Ad I. in decisis, & amplius: Ad II. Ex adductis negative*: *Ad III. proponendum esse super singulis actibus*. Vi igitur hujus responsi collectis singulis actibus, XII. Dubia proposita fuerunt in Congregatione habita die 4. Julii, & 30. Januarii anno 1717. & singula definita partim secundum Episcopum, partim secundum Abbatem Commendatarium. Inutile est singula hic referre, unum dabimus, quod ad rem pertinet, erat in Ordine XII. his verbis conceptum - *An, Abbatia vacante, possit a Clero d. Terræ eligi Vicarius Capitularis* - Cui Sacra Congregatio respondit - *Negative salvis Juribus Monachorum*.

Post hæc numquam de Causa actum est: sed defuncto nuper clar. mem. Cardinali Antonio Ruffo Abbate Comendatario, electus fuit a Monachis Vicarius Capitularis juxta antiquissimum, ut asserunt, morem Josaphat Brunetti ejusdem Monasterii Abbas, & sequendo methodum, quæ alias servata fuerat, petita fuit confirmatio a Nuncio Apostolico Regni Neapolitani, qui per epistolam illum confirmavit. At Episcopus, audita electione, longum proposuit edictum die 12. Martii, quo nullam, irritam, attentatam eam declarat, & eo usque progressus est ut ipsum P. Abbatem Josaphat Brunettum, & Monacos dixerit incursos in excommunicationem latæ sententiæ, cujus absolutio summo tantum Pontifici reservata sit, eique indicit sub eadem pœna excommunicationis latæ sententiæ sibi reservatæ, ut cesset ab exercitio Vicarii Capitularis, nullosque Jurisdictionis actus gerat „ in qualunque per- „ sona così Ecclesiastica, come secolare ad assoluta riserva solamente di quel- „ la potestà, che può giuridicamente esercitare sopra de suoi Monaci, che „ unicamente può appartenerli „. Monachi vero rem judicio definiendam censuerunt, aditoque Tribunali Nunciaturæ, petierunt confirmationem electionis, utque vetaretur Officialibus, & Ministris Curiæ Episcopalis, ne turbarent electum. Nuncius die 26. Martii præfixit terminum Promotori Fiscali, ut jura sua deduceret, & interim eidem inhibuit, ne electum Vicarium Capitularem in exercitio suæ Jurisdictionis turbaret. Episcopus ad hoc Sacrum Tribunal confugit, auditoque jam Nuncio, qui rationes suas, & Rev. Cameræ Apostolicæ in epistola recensuit, Causa nunc Eminentissimis Patribus definienda proponitur. Di-

Disputat P. Abbas dispositionem juris sibi, suoque Monasterio hanc tribuere electionem, cum certum sit Jurisdictionis exercitium, Prælato defuncto, ad Capitulum redire, ut, collectis veteribus Canonistis, tradit *Panormitan. in cap. His quæ num.2. ubi etiam Felin. pariter num. 2. de majorit. & obedien. Rotter. de re benef. lib. 1. qu. 18. num. 21. Card. de Luca de Jurisdict. disc.54. num.2. & 3.* Juri vero comitem esse consuetudinem, cum Monachi sint in hac possessione a tempore vetustissimo, ut liquet ex ipso responso Sacri hujus Tribunalis, quod supra dedimus - *negative salvis juribus Monachorum* - & ex altero Sac. Congregationis negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, & ex ultimis statibus vacationum hujus Abbatiæ, ideoque rectissime a Nuncio confirmatam fuisse electionem, rectissime vetitum Offiicialibus Episcopalibus, ne electum turbarent in exercitio jurium suorum, cum vis non sit facienda ei, qui in possessione est, neque de ea deiciendus: Turbativum esse, & nullum Episcopi edictum, qui in hac possessione eligendi Vicarium Capitularem non est, qui nullum hac in re jus habet, quique juxta notissima Basiliani Ordinis privilegia non poterat contra P. Abbatem, & Monachos agere censuris, & excommunicationibus. Hæc P. Abbas. A Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis nihil hactenus habuimus. Duo sunt Causæ Dubia.

I. *An deputatio Vicarii Capitularis ad nominationem Monachorum S. Eliæ facta a Rmo Nuncio Neapolis, illiusque decretum sustineatur in casu &c.*

II. *An Edictum latum a Rmo Episcopo Anglonensi die 12. Martii 1753. sustineatur in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Affirmative.

NEBBIEN. Cum anno 1751. habenda essent publica Comitia componendis dissidiis, quæ imperii causa Regnum Corsicæ dividunt, censuerunt Galli Proceres a Deo optimo maximo faciendum esse principium, & solemne Sacrum agendum in Ecclesia Cathedrali Nebbiensi, quod, cum abesset Episcopus, fieri voluerunt a digniori illius Ecclesiæ ruralis. Quidam Parochus, qui Pro-Vicarii Generalis munus gerebat, non distinguens jurisdictionem a Dignitate Ecclesiastica, ad solemne sacrum agendum accessit, spreto jure Archidiaconi Antonii Gentilis, qui primam Dignitatem habet in eadem Ecclesia Cathedrali. Ut igitur illatam & personæ, & Dignitati injuriam sarciret Archidiaconus, itinere arrepto adiit Episcopum, qui in Civitate *Bastiæ* extra Diœcesim residet, sed spes eum fefellit. Episcopus enim audita causa adventus Archidiaconi, eum ne videre quidem, & excipere voluit, injunxitque, ut intra spatium *vigintiquatuor horarum* ad Ecclesiam Cathedralem rediret, indicta pœna *suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ*, & multæ pecuniariæ scut. 100 monetæ Genuensis. Fessus itinere, & mœrore injuriosæ rejectionis confectus Archidiaconus in febrim incidit, & adversa valetudine præpeditus discedere non potuit, certioremque reddidit Episcopum, oblatis etiam Medicorum testificationibus, sed nihil profecit. Episcopus enim tenax propositi ei præcepit, ut illico sub indictis pœnis Nebbium repeteret. Archidiaconus igitur vim sibi inferri videns, posthabitis etiam naturæ legibus, quibus jubemur, ut vitam, corpusque nostrum tueamur, relicta prius apud acta Curiæ Episcopalis schedula appellationis ad Sanctam Sedem, cum petitione omnium Actorum, Romam venit, & preces obtulit Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, quibus omnia, quæ evenerunt, narrabat. Rescriptum fuit die 19. Novembris eodem anno 1751. „ Ordinario pro „ sollicita informatione, & veris existentibus narratis, Acta transmittat, „ soluta competenti mercede. *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

Promotor tamen Curiæ Episcopalis spreta, quam Archidiaconus ante discessum interposuerat, appellatione, institit pro compilatione Processus, quo pen-

den-

dente, cum Archidiaconus rediisset in Regnum Corsicæ, & reddidisset Episcopo epistolam S Congregationis Episcoporum, & Regularium, nihilominus acta impetrare non potuit, immo citatus fuit *ad comparendum coram Episcopo, et respondendum Processui expurgando*, vetitumque ei fuit, ne a *Bastia* discederet sine ordine *in scriptis* ejusdem Episcopi, indicta pœna 100. librarum. Promotor autem Curiæ petiit condemnari Archidiaconum ad solutionem sc. 100. indictam in præceptis de redeundo ad Ecclesiam Nebbiensem, & ad privationem dimidiæ partis fructuum unius anni, quia aberat, & utrumque facile obtinuit. Accessit alius Actor, Præpositus nempe Ecclesiæ Cathedralis Nebbiensis, qui nomine Capituli postulavit coram Vicario Generali, ut Archidiaconus condemnaretur ad distributiones quotidianas, quas eum amisisse dicebat ob intermissam residentiam, utque pariter condemnaretur ad eleemosynam Sacrorum Conventualium, quæ ipse non celebraverat, petita interim sequestratione fructuum, qui ad eum spectabant, & successiva venditione sub auctione, & hasta publica. Has omnes condemnationes ferre debuit Archidiaconus, spretis protestationibus ab eo emissis, allegatione pendentis Litis, petitione Actorum, novaque appellatione ad Sanctam Sedem. Coactus igitur fuit ad carceres, de quibus non sine ratione metuebat fugiendos primum latitare, inde Romam iterum venire, aliasque preces offerre Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, quæ spretis excusationibus Episcopi, qui tandem post tot menses responderat, in hæc verba rescripsit -
„ Scribatur Ordinario pro transmissione Actorum, & interim arbitrio Emi-
„ nentissimi Vicarii prævia absolutione ad cauthelam cum reincidentia ad
„ tres menses.

Post alios tres menses Acta tandem transmissa fuerunt, & Sacra illa Congregatio cum ex iis cognovisset res, de quibus agebatur, pertinere ad cognitionem Sacræ hujus Congregationis, rescripsit -- *Orator utatur jure suo in Sac. Congregatione Concilii, ad quam remittantur Acta ab Ordinario transmissa* -- Re igitur ad hoc Sacrum Tribunal delata, Causa omnis IV. Capitibus collecta fuit, & nunc proponitur, disputante Archidiacono jus solemne Sacrum faciendi in Ecclesia Cathedrali, Episcopo absente, sibi competere, qui dignior est in Ordine Hierarchico Ecclesiæ, licet Vicarius, aut Pro-Vicarius Generalis majorem habeat jurisdictionem, ut tradunt *DD. in cap. 2. de Offic. Archidiac. Sebast. Cæsar. de Eccles. Hierarch. part. 12. disput. 12. §. 1. num. 7. Pignatell. consul. 6. tom. 1. num. 8., & cons. 27. num 6. tom. 4. Nicol. in Floscul. verb. Archidiaconus*. Jure igitur potuisse adire Episcopum, ut injuria a rurali Parocho, qui Pro-Vicarii munus gerebat, illatam sarciret, non jure vero Episcopum indixisse pœnam suspensionis, & pecuniariam, ne præceptum discedendi exequeretur, cum vanitatem Pro-Vicarii coercere debuisset; & longe magis peccasse exequendo pœnas indictas; omni enim jurisdictione carebat, postquam Archidiaconus appellaverat ad Sanctam Sedem, & Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium manus apposuerat, eoque amplius, quod nullum crimen esset Archidiaconi, cui licitum esse debuit propria jura tueri, quique febri, & adversa valetudine detentus præcepto obtemperare non potuit, itaut Episcopus, qui ex testificationibus Medicorum certior factus fuerat, non deberet gravissima suspensionis pœna Archidiaconum afficere, & alia pecuniaria multare; Quod si Archidiaconus justam causam habuit adeundi Summum Pontificem, consequens sit, ut distributiones quotidianas lucrari potuerit, quas lucrifacere potest, qui ex justa causa abest, utque condemnandus est Episcopus ad sarciendas expensas, & damna omnia ei injuste, & contra omnem juris, & rationis tenorem illata: Hæc summa est libelli ab Archidiacono dati. A Promotore Curiæ Episcopalis nihil habuimus. Causæ Capita sunt.

I. A*n, & cui spectet celebratio Missæ Solemnis in Cathedrali Ecclesia Nebbien. absente Episcopo?*

II. A*n suspensio, & pœna per Reverendissimum Episcopum Nebbien. comminata*

ta contra Archidiaconum Gentile sustineantur? Et quatenus negative.

III. *An ipse Archidiaconus Gentile teneatur ad distributiones quotidianas tempore suspensionis?*

IV. *An Reverendissimus Episcopus teneatur ad refectionem expensarum, damnorum, & interesse in casu &c.*

Dilata ad primam post aquas etiam unica.

Die Sabbathi 22. Sept. 1753.

CARTHAGINEN. MATRIMONII: Dedimus hanc Causam in Folio ultimæ Congregationis habitæ die 1. hujus mensis, sed proposita non fuit, cum vero nunc proponatur, expediendum erit Dubium. *Sess. 24. c. 1. de Ref.*

An constet de validitate matrimonii in casu &c.

Affirmative pro validitate matrimonii, attentis facti circumstantiis in casu de quo agitur.

SENOGALLIEN. JURIUM PAROCHIALIUM, & PRÆMINENTIARUM: Dilationem in hac Causa postulante Archipresbytero, rescriptum fuit in eadem ultima Congregatione habita die 1. hujus mensis - *Dilata ad sequentem* - Damus eam igitur, ut Eminentissimi Patres XIII. ejus Dubia definiant. *ut in pag. 58. & seq.* *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

I. *An &c.*

Reliquæ non propositæ.

BASILEEN.: Pluribus exortis controversiis inter Episcopum Basileensem, & Abbatem Salemitanum Ordinis Cisterciensis Diœceseos Constantiensis, causa Monasterii Monialium in *Olsberg* ejusdem Ordinis Cisterciensis siti in Diœcesi Basileensi, proposita fuerunt a Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis XIII. Dubia Sac. huic Tribunali, quorum plura, cum vel a Constitutionibus Summorum Pontificum, vel a decretis in aliis similibus Causis latis ab hoc Sacro Tribunali jam definita fuissent, ideo Eminentissimi Patres in Congregatione habita die 3. superioris mensis Feb. citatis & legitime monitis tam P. Abbate Salemitano, quam P. Humberto Pfaundler ejusdem Ordinis rescripserunt, ut *darentur decreta in Vvormatien. Jurisdictionis 9. Julii* 1745., *& declarationes anni* 1624. *a san. mem. Urbano Octavo approbatæ*, ex quibus X. Dubia expediebantur, *quo vero ad IX. XII. & XIII. ponantur in folio, etiam unica Parte informante, citato Reverendissimo Procuratore Generali Ordinis Cisterciensium*. Omnibus itaque impletis, obsequimur nunc imperio Eminentissimorum Patrum, ut tria, quæ supersunt, dubia definiantur, quæque expediri postulat Promotor Fiscalis Curiæ Basileensis. Ut autem facilius ab Eminentissimis Patribus definiri possint, opportunum ducimus ad eorum memoriam revocare speciem hujus causæ, quæ ita se habet. *Sess. 23. c. 15. de Ref.*

Monasterium Sanctimonialium Cisterciensium in *Olsberg* Basileensis Diœceseos subiiciebatur pridem Abbati, & Monasterio Luciscellæ ejusdem Ordinis, & Diœceseos. Placuit nuper P. Abbati Generali Ordinis illud subiicere Abbati, & Monasterio Salemitano Diœceseos Constantiensis: Abbas igitur Salemitanus misit ad Monasterium in *Olsberg* P. Humbertum Pfaundler, ut Sacramentales Sanctimonialium Confessiones exciperet. Hic insalutato Episcopo Basileensi, munus suum exequi cœpit: Re comperta, Curia Episcopalis die 4. Maii anno 1752. P. Humbertum monuit, „ ne sub pœnis, & censuris

„ Ecclesiasticis ipso facto incurrendis talia deinceps attentare præsumeret, „ donec a Reverendissimo Ordinario Basileensi examinatus, & approbatus „ fuerit „. Non destitit tamen P. Humbertus, monitione posthabita, Sanctimonialium Confessiones excipere; Curia igitur Episcopalis eum suspensum, & irregularem declaravit, sed frustra. Receptis tandem Decretis Sacri hujus Tribunalis latis die 3. Februarii, quæ supra narravimus, Abbas Saleminatus eum ad claustra revocavit, & inde regimini Monasterii Olsbergensis renunciavit, & regimen ejusdem Monasterii a P. Abbate Generali collatum fuit in Abbatem Gengebacensem Ordinis S. Benedicti; Atque hac ratione mutari aliquantisper debuit Dubium XIII. Disputat nunc Promotor Fiscalis Curiæ Basileensis ex dispositione Constitutionum Apostolicarum, & ex decretis Sacri hujus Tribunalis, tria, quæ subiicimus, Dubia secundum Episcopalem Curiam esse definienda. A Procuratore Generali Ordinis Cisterciensis nihil adhuc habuimus Dubia sunt.

IX. *An P. Humbertus Psfaundler incurrerit suspensionem a Divinis, & irregularitatem ob Confessiones exceptas a Monialibus Monasterii Olsberg non obstante præcepto Curiæ Episcopalis Basileensis.*

XII. *An Ordinarius Basileensis visitare possit Moniales, & Monasterium Olsberg?*

XIII. *An Episcopus Basileensis cogere possit quoscumque Sacerdotes, sive sæculares, sive regulares tam Cistercienses, quam alterius cujuscumque Ordinis, sive deputatos, sive deputandos a Reverendissimo P. Generali Cisterciensium ad gubernium dicti Monasterii Olsberg in casibus contentis in dubiis resolutis, & respective resolvendis ab hac Sacra Congregatione per mulctas pecuniarias piis usibus applicandas, necnon etiam per Ecclesiasticas censuras in casu &c.*

Sess. 24. c. 18. de Ref.

NUSCANA ADMISSIONIS AD CONSORTIUM: Moribus receptum est in Ecclesia S. Bartolomæi Terræ Cassani Diœceseos Nuscanæ, ut ad ejus Consortium Clerici omnes, & Sacerdotes Civico jure recipiantur, ut res est frequentissima in Regno Neapolitano. An vero, qui ad Consortium recipi postulant, debeant esse nati in ipsa terra Cassani, vel satis sit originarios esse, ex iisdem moribus, & consuetudine non liquet; Negant Consortiales satis esse qualitatem originis: affirmant, qui recipi postulant. Quæstio deducta fuit ad Judicium anno 1718., cum recipi postularet Sacerdos Philippus Mancini, qui alibi natus erat, & restitissent Consortiales. Decreto Curiæ Episcopalis Nuscanæ vicit Sacerdos Philippus, & ex eo decreto possessionem nactus est. Appellarunt quidem Consortiales ad Metropolitanum Salernitanum, at cum interim Philippus Canonicatum obtinuisset in Ecclesia Terræ Montellæ, Consortium, & litem deserere debuit, nullumque a Metropolitano judicium susceptum fuit. Exemplo Philippi patrui recipi postulavit Thomas Mancini, sed rejectus fuit a Consortialibus, quod non ipse dumtaxat, sed etiam Nicolaus ejus pater nati essent in Terra Montellæ, quod ipse Thomas adscriptus esset servitio Ecclesiæ ejusdem Terræ, & ad Sacros Ordines promotus, quod nullum denique produci possit exemplum, ut ad Consortium admissi fuerint nati extra Cassanum, cum illud Philippi patrui allegari nequeat, quia decretum Curiæ Nuscanæ suspensum fuerit appellatione interposita ad Metropolitanum. Rejectus Thomas venit ad hoc Sacrum Tribunal, a quo die 29. Julii anno 1752. data fuit ad Episcopum, ut fieri solet, Epistola.

Die 1. mensis Novembris eodem anno 1752., qua die fieri solet novorum Consortialium receptio, Thomas Mancini novas obtulit preces postulans receptionem & protestationem emittens „ di aver ricorso a legitimi superiori, e di „ farsi ammettere, e ricevere con la via giuridica, e sopra tutto, che per lui „ non manca di entrare in quella mattina, e però il tempo non debba corrie-

„ re

„ re a suo danno, ma di esso Clero „ . Iterum tamen a Consortialibus rejectus fuit, qui curarunt, ut ab universitate quoque Terræ Cassani, publicis habitis Comitiis, rejiceretur. Respondit denique Episcopus, & relatis utriusque Partis rationibus, animi sui sententiam non aperuit. Causa nunc proponitur, probatque Thomas publicis monimentis familiam Mancini Civicam habuisse semper, & nunc etiam habere qualitatem Terræ Cassani, ideoque non posse eum repelli a Consortio, ad quod jure Civico recipiuntur Clerici, & Sacerdotes: Originarios non posse excludi, cum Cives sint, cum onera sustineant, cum nulla lege, statutoque repellantur, cum ita judicatum fuerit a Curia Episcopali anno 1718.; Hanc quoque esse consuetudinem aliarum Ecclesiarum Regni Neapolitani; nativitatem suam in Terra Montellæ eventualem fuisse, dum pater moram in ea faciebat, qui tamen in Terra Cassani domum suam apertam, instructamque retinebat, & sese in eam post natum Thomam restituit: Adscriptum fuisse Thomam servitio Ecclesiæ Terræ Montellæ non posse efficere, ne ipse Civis sit Cassani, quæ sola qualitas satis est, ut in Consortium recipi debeat, pluraque esse exempla Sacerdotum Cassanensium, qui Beneficia extra Diœcesim obtinuerunt, atque inde Cassanum reversi ad Consortium fuerunt admissi. His consequens esse, ut debeantur Thomæ emolumenta omnia a die repulsæ, quæ ipse percepisset, si injuste non fuisset rejectus. Hæc Thomas Mancini. A Consortialibus nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An Sacerdos Thomas Mancini sit admittendus ad Consortium, & participationem Ecclesiæ Parochialis, & receptitiæ S. Bartholomæi Terræ Cassani in casu &c.*, & quatenus affirmative.

II. *An, & a quo tempore eidem debeantur distributiones, aliaque emolumenta dictæ Ecclesiæ in casu &c.*

AMERINA INDULTI: Lunianum Oppidum est non ignobile Amerinæ Diœceseos, & Cœli puritate, ædificiis, Populi frequentia, Clericorum numero, Regularium Monasteriis, Templorum elegantia spectabile. In Templo majori, & satis amplo Collegium habet undecim Canonicorum, & unius Dignitatis, quæ Archipresbyteri titulo decoratur. Ignota est ob vetustatem Collegii hujus fundatio, & erectio, sed certissima sunt ejus monimenta jam inde a sæculo XVI., comprobata quoque Visitationibus Episcoporum, Decretis Sacræ hujus Congregationis, Actisque Datariæ Apostolicæ, quæ eamdem Ecclesiam non Collegiatam dumtaxat, sed etiam *Insignem* renunciavit. Unum Oppidi, & Ecclesiæ decori deerat, ut Canonici Insigne aliquod haberent, quo ab aliis Ecclesiasticis distinguerentur. Oblatis itaque precibus anno 1736. Optimo Principi Clementi XII., beneficium obtinuerunt, ut „ tam in Colleggiata Ecclesia, quam extra &c. etiam in Synoda- *Sess. 21. c. 5. de Ref.*
„ libus, Provincialibus, Universalibus, Generalibus Conciliis, etiam in
„ præsentia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium de latere Legatorum, Ar-
„ chiepiscoporum, Episcoporum, & Ordinarii etiam proprii quibuscumque
„ anni temporibus, ac diebus, quandocumque, ubicumque, & quotiescum-
„ que opus fuerit, Almutiam &c. deferre, & gestare, illaque uti libere, &
„ licite possent authoritate Apostolica, *adjecta etiam* clausula sublata, de-
„ cretoque irritanti „ . Sequenti anno 1737., cum Canonici Cathedralis Ecclesiæ Amerinæ eodem insigni uterentur, nec pares esse vellent Canonicis Ecclesiæ Luniani, oblatis eidem Optimo Principi precibus, in quibus narrarunt indultum Canonicis Lunanienfibus concessum, postularunt, & obtinuerunt aliud Indultum deferendi *Rocchettum cum Mozzetta Violacea*, ut hac ratione discrimen inter eos, atque illos esset. Utrumque indultum ad hæc usque tempora plene observatum fuit.

Nunc vero primum post annos 17 a Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Ameriæ indultum Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ Luniani concessum revocatur in du-

 bium,

bium, contenduntque subreptionis, atque obreptionis vitio infectum fuisse. Litis hujus origo paulo altius est repetenda. Diuturna consuetudine dicitur observatum, ut Parochi omnes Civitatis, & Diœceseos Amerinæ primis Vesperis diei festi Sanctæ Firminæ personaliter interesse, & in Ecclesia Cathedrali Choro servire teneantur. Soli Lunianenses Parochi, quorum alter est Archipresbyter Collegiatæ, alter vero Canonicus a nonnullis annis personaliter Ameriam venire renuerunt; cum Amerini Canonici urgerent, ut venirent, Lunianenses rem detulerunt ad Sacram Rituum Congregationem. Quæstio inter alias erat de modo, & ordine sedendi in Choro cum *Almutia*. Dum hæc in Sacra illa Congregatione agitur quæstio, Canonici Cathedralis questi sunt in hoc Sacro Tribunali Indultum Canonicis Lunianensibus concessum fuisse subreptitium. Die igitur 13. superioris mensis Januarii rescriptum fuit - *Supplicent Sanctissimo* - Preces obtulerunt Sacratissimo Principi nostro, quibus rescriptum fuit „ A Monsignor Segretario del Concilio, che ne par-
„ li - *prod. itque post allocuti nem rescriptum* - Ex audientia Sanctissimi die
„ 17. Martii Episcopo pro Informatione & Voto auditis &c. - *Datis igitus ad Episcopum literis, hic in responso suo censuit* universum negocium a dua-
„ bus pendere circumstantiis, quarum una in eo versatur, utrum vere aga-
„ tur de Ecclesia Collegiata; Altera, num Insignis existat, utrumque enim
„ Summo Pontifici ad obtinendum Almutiæ Indultum expositum fuisse: *Ad-*
„ *dit tamen* in pluribus actis per Capitulum gestis Insignem nominatam fuisse.

Causa nunc proponitur, & disputant Canonici Lunianenses teneri Amerinos, qui dicunt Indultum subreptitium, & obreptitium, rigidissime ostendere subreptionem, & obreptionem, cum res sit de beneficio Principis, quod in ejus sola, & nuda voluntate consistit, cum agatur de Gratia jam exequuta, & per annos decem, & septem observata, cum res denique sit de Indulto, in quo fundatum est alterum Indultum iisdem Canonicis Cathedralis concessum deferendi *Rocchettum cum Mozzetta Violacea*. Falli Episcopum, qui putat qualitatem Ecclesiæ Collegiatæ, & Insignis in causa fuisse, ut concederetur Indultum deferendi *Almutiam*: qualitas enim illa est enunciativa Summi Pontificis, non est expositiva Canonicorum Lunianensium. Quod si de his quærendum esset, in dubium revocari non posse *Collegialitatem* sexcentis monimentis comprobatam; neque de titulo *Insignis* ambigi posse, cum nulla in jure Pontificio norma tradita fuerit, qua hic titulus Collegiatis Ecclesiis tribui debeat; Omnia vero conspirare, ut Collegiatæ huic titulus hic tribui possit, Oppidi qualitas, ædificiorum nitor, populi frequentia, pluralitas Monasteriorum, Templorum elegantia, vetustas Templi majoris, qualitas Ecclesiæ a tempore immemorabili Collegiatæ, quæ etiam omnia in causa fuerunt, ut ejus Canonici nobiliori hoc *Almutiæ* Insigni honestarentur. Quod si etiam qualitas Collegiatæ *Insignis* dici posset duxisse Summum Pontificem ad Indultum concedendum, eaque non probaretur, nihil tamen inde effici posse ad Gratiæ nullitatem arguendam, cum *Almutia* concedi soleat Canonicis Ecclesiarum, quæ non sunt Collegiatæ Insignes, itaut falsa hæc expressio Gratiam nequeat inficere: subreptionem igitur, & obreptionem non probari, & ideo de vi, & validitate Indulti ambigendum non esse. Hæc Canonici Lunianenses. A Capitulo Cathedralis Ameriæ nihil hactenus habuimus. Dubium est.

An constet de subreptione, & obreptione Indulti, de quo agitur in casu &c.

Sess. 14. c. 9. de Ref.

SORANA JURIUM PAROCHIALIUM; Lites de finibus, limitibusque Territoriorum, quæ inter *Atinam*, Civitatem deinde nuncupatam, & ab Episcopatu Sorano divisam, atque *Gallinarium* agebantur, composuit authoritate sua anno 1204. Fridericus Imperator, & Rex utriusque Siciliæ, assignatis cuique limitibus, & reservata dumtaxat Civibus utriusque Terræ promiscuitate, & communione pascuorum. Hi limites, finesque unicuique

Ter-

Territorio assignati non sæcularem tantum, sed etiam Ecclesiasticam Jurisdictionem coercuerunt. *Gallinarium* namque ad Soranam Diœcesim, ut pridem, pertinuit, *Atina* ad Episcopum Aquinatem, uti Atinæ Præpositum, ejusque Diœcesim. In ipso horum Territoriorum confini, & partim in uno, partim in altero ex his Territoriis ædificari cœpit *Casale Ricinischi*. Quinque primum Familiæ agrorum colendorum causa locum hunc habitare cœperunt, mox aliæ atque aliæ ex Atina, & Gallinario convenientes, & partim in Territorio Gallinarii, partim in Territorio Atinæ consedentes locum auxerunt, omnesque Cives Ricinischi dicti sunt: qui vero ex Atina venerant, Atinatum nomen, & Civicam qualitatem retinere voluerunt onera, & Collectas solventes in Civitate Atinæ, ut factum est ab iis, qui e Gallinario venerant onera, & Collectas solventes in Terra Gallinarii. Qui in Territorio Gallinarii consederant, Atinates, eorumque Filii, & descendentes ad nostra hæc tempora in Judices suos sæculares recognoverunt Gubernatores Gallinarii, seu Alviti, & Ecclesiasticam Jurisdictionem Episcoporum Soræ, ac duorum Parochorum Gallinarii, qui Sacramenta ministrarunt incolis Casalis Ricinischi, qua parte in eorum Parochiis situm est, domibus benedixerunt Paschali tempore, & Pentecostes, defunctos in Parochialibus Ecclesiis tumularunt, aliaque jura Parochialia exercuerunt, ut pariter factum fuit a Canonicis Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ Atinæ in altera parte Casalis Ricinischi, quæ in Territorio Atinæ posita est.

Post auctum numerum populi in Casali Ricinischi, cum nimis incommodum esset ad Parochiales Gallinarii, vel Atinæ accedere, communibus incolarum impensis extructa fuit Cappella dedicata *Beatæ Mariæ de Monte Carmelo*, quæ cum ædificata fuerit in ea parte Casalis, quæ est in Territorio Atinæ, pertinere debuit ad Ecclesiam Collegiatam, & Parochialem ejusdem Civitatis, & ideo a Canonicis ejusdem Ecclesiæ deputati fuerunt Sacerdotes, seu Cappellani dictæ Cappellæ Ricinischi, in qua tamen nullum umquam retentum fuit Sacramentum, nullaque extructa sepulcra, itaut si aliquis Atinas habitans in parte Ricinischi sita in Territorio Gallinarii vellet in Ecclesia Atinæ tumulari, aut sepulturam eligeret, aut ægrotans transferebatur in alteram Ricinischi partem, vel in ipsam Atinæ Civitatem, ut moriens in Collegiata, & Parochiali Ecclesia ejusdem Civitatis conderetur; Cappellani vero Ecclesiæ, seu *Beatæ Mariæ de Monte Carmelo* jura, & functiones Parochiales in ea Casalis parte, quæ posita est Territorio Gallinarii, non exercebant, & si quando aliquod egerunt, vel necessitate, periculoque urgente, factum est, advenientibus inde Parochis Gallinarii recedebant, vel data venia a Parochis Gallinarii, qui officium suum iis delegarunt, ut evenit tempore, quo Archipresbyteratum Parochialis Ecclesiæ Gallinarii tenebat Thomas Santilli, qui cum ob gravem ætatem, qua præmebatur, non posset accedere ad Parochianos Casalis, facultates concessit Cappellanis, atque hinc factum est, ut cum Cappellani, vel ex causa necessitatis, vel ex delegatione Parochorum Gallinarii Sacramentales Confessiones incolarum Ricinischi Territorii Gallinariensis excipere deberent, facultatem petierint, & approbari debuerint a Soranis Episcopis. Sed tandem paucis ab hinc annis duo Cappellani Jo. Baptista Mangiante, & Nicolaus Policella jura omnia, & functiones Parochiales in ea parte Casalis, quæ ad Gallinarium pertinet, exercere cœperunt.

Re cognita a Parochis Gallinarii, quæsti sunt de turbata eorum Jurisdictione in Curia Episcopali Sorana. Processus inceptus fuit, receptis pluribus testificationibus testium, suspensus inde fuit ob spem conceptam Cappellanos a turbatione destituros, sed cum illi pergerent, prosequutus fuit, neque tamen perfici potuit, translato Episcopo Sorano ad Cathedram Amalphytanam; Sede igitur Episcopali diu vacata, Cappellani latius exequuti sunt officium Parochiale soluti omni metu. Ut igitur in ordinem redigerentur, satius putarunt Parochi Gallinarii ad hoc Sacrum Tribunal confugere. Auditi fuerunt

utri-

utrique Episcopi Soranus, & Aquinas; Uterque Parochorum suorum Jurisdictionem defendit: Aquinas a centum annis, immo ab immemorabili tempore quæsitum fuisse dicit Canonicis Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ Atinæ, eorumque Cappellanis jus Parochiale in incolas omnes Casalis Ricinischi, qua parte situm est in Territorio Gallinarii, vel saltem in familias, quæ ex Atina discesserunt, & jura Civica illius Civitatis retinuerunt semper, itaut de turbata Jurisdictione agi non possit: Parochos Gallinarii ædificare velle in eadem parte Casalis Ecclesiam filialem, neque id iis permittendum esse, quod ædificium fiat ex æmulatione. Causa omnis quinque Capitibus collecta fuit. Hæc ex libello Parochorum Gallinarii excepimus, nam a Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis Atinæ nondum libellus datus fuit. Causæ Capita sunt.

I. *An Cura Animarum Casalis Ricinischi partim degentium in Territorio Civitatis Atinæ, & partim in altero Terræ Gallinarii quoad omnes Familias spectet privative ad Ecclesiam Collegiatam, & Parochialem d. Civitatis, seu potius ad Ecclesiam Parochialem d. Terræ in casu &c.* & quatenus negative ad utrumque.

II. *An eadem Cura pertineat privative ad Ecclesiam d. Civitatis quoad Familias ab eadem oriundas, & respective pertineat ad Ecclesiam d. Terræ privative quoad ab ea oriundas in casu &c.*

III. *An Ecclesia S. Mariæ de Monte Carmelo sita in Territorio Atinæ sit erigenda in Parochialem filialem d. Civitatis cum deputatione Vicarii perpetui in casu &c.*

IV. *An liceat Curatis d. Terræ novam Ecclesiam ex parte ejusdem Territorii erigere in Parochialem filialem in casu &c.*

V. *An, & de quibus attentatis constet, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Sess. 22. c. 6. de Ref.

MEDIOLANEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS: Canonicatum in Ecclesia Collegiata S. Magni Terræ Legnani fundare cupiens Carolus Hieronymus Palearius ejusdem Ecclesiæ Canonicus, preces obtulit anno 1743., Sede tunc Archiepiscopali vacante, Vicario Capitulari Mediolanensi, ut conditiones, quas apponere volebat, probaret, & Canonicatum erigeret. Ex his conditionibus aliæ respiciebant se ipsum, qui sibi, dum viveret, fructus reservabat dotis Canonicatus; aliæ Juspatronatus activum, & passivum. Activum dabat, primum tantum excepta, quam sibi servabat, nominatione, Gabrieli Gattico Jurisconsulto Mediolanensi, ejusque filiis, & ab eo descendentibus masculis; linea vero masculina defecta, Præposito, & Canonicis ejusdem Collegiatæ. Passivum vero primum dabat Francisco Tramezzano, „ ed in caso, che lo stesso non accettasse detto Canonicato, o „ pure fosse provisto d' altro Benefizio, e dopo essere al possesso, morisse, „ in qualunque d' essi casi debba essere nominato da chi averà la ragione di eleggere il Chierico Carlo Pansecco, „ inde filiis, ac descendentibus ab eodem Jurisconsulto Gattico, quibus demum alios substituebat. Aliæ demum respiciebant honores, & onera novi Canonici, quem volebat habere vocem in Capitulo, & locum in Choro, cui interesse deberet „ nel modo, e giorni, che praticano gl' altri Signori Canonici, ed in oltre di celebrare ogn'anno „ Messe cinquanta secondo la mente di esso Fondatore in quella Chiesa, e giorni, che saranno benvisti al Canonico „, aliisque adjectis oneribus, quæ hic referre inutile videtur.

His precibus receptis, Vicarius Capitularis mandavit Vicario Foraneo Legnani, ut Capituli sensum, & voluntatem audiret, & si consensum præstaret, de libertate pretio, reddituque bonorum, quæ in dotem novi Canonicatus assignabantur inquireret. Capitulum fundationi, ejusque legibus, & conditioni-

nibus consensum præstitit, additis aliis, quas fundator acceptavit: Vicarius Foraneus diligenti perquisitione nihil invenit, quod obstaculo esse posset fundationi. Periti electi annuum redditum bonorum, deductis oneribus, quæ in iis erant, constituerunt in sc.43. monetæ Romanæ: atque his expletis, erectus fuit novus Canonicatus die 11. Feb. anno 1744. At quia est infirmitas humanæ naturæ, ut quæ semel placuerunt, inde displiceant, Canonicus Palearius mutavit consilium, & testamentum, quo nuper decessit, hæc scripsit „ me-
„ more io Testatore d' avere sotto il giorno 11. del mese di Febraro dell' an-
„ no 1744. eretto un secondo Canonicato nella Chiesa Collegiata di San Ma-
„ gno &c. ed avendo fatto riflesso, che per la sua tenuità della rendita asse-
„ gnatali non potrà qualunque Successore decentemente mantenersi, quindi
„ la mia precisa, inconcussa, ed ultima volontà si è, che detta erezione non
„ debba avere la sua esecuzione, ma abbiasi a ricorrere alla Santa Sede, e
„ dovunque sarà di bisogno, ad effetto, che detta erezione di Canonicato
„ venga commutata nella celebrazione di tante Messe, quante se ne po-
„ tranno celebrare con l' elemosina di soldi venti per cadauna, giusta risulte-
„ rà l' annua cavata, come sopra assegnata a detto Canonicato, oltre la
„ consueta sua manutenzione, al quale effetto ho deputato, e deputo per
„ mio Procuratore irrevocabile duraturo anche dopo la mia morte il nobile
„ Signor Dottore Causidico Collegiato Gabriele Gattico a fare qualunque
„ ricorso alla Santa Sede, e ovunque bisognerà per ottenere la commutazio-
„ ne del detto Canonicato in detta Messa.

Defuncto igitur Testatore, Gatticus hæres, & Procurator preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, quibus hanc commutationem postulabat. Data vero hujus postulationis cognitione Eminentissimis Patribus, auditus fuit Eminentissimus Archiepiscopus. Cum vero interim Sacerdos Tramezzanus, qui primo nominatus fuerat a Fundatore, de homicidio accusatus, in carceres conjectus fuisset, Clericus Pansiccus ratus locum factum fuisse nominationi suæ, postulavit Canonicatus possessionem sibi tradi. Restitit Gatticus, & Eminentissimus Archiepiscopus rem censuit suspendendam, donec expedita esset postulatio Gattici de commutando Canonicatu in officiaturam tot Sacrorum. Respondit igitur, animique sui sententiam aperuit, nihil esse mutandum, quod res sit de pacto, actuque inter vivos. de quo observando interpositum fuit jusjurandum, quæsitum fuisse jus Ecclesiæ, quod tolli non potest a Fundatore. Causa nunc proponitur, eademque urgent Canonici, & Pansiccus: addunt de tenuitate redditum nullam habendam esse rationem,
„ tum quia hujus Canonicatus, sicuti & aliorum jam existentium residentia
„ non est, nisi pro diebus festis de præcepto, tum etiam, quia plerique ex
„ antiquis Canonicatibus non habent redditus magis pingues, quam iste no-
„ vus, „ quæ verba sunt Eminentissimi Archiepiscopi. Alia etiam urgent quæ legent Eminentissimi Patres in libello jurium Capituli, quem tantum habuimus. Nihil a Gattico. Unum quæritur.

An sit locus commutationi voluntatis in casu &c.

MONTIS REGALIS NULLITATIS PROFESSIONIS: Tres filios, & inter hos Michaelem moriens reliquit sub tutela, & cura Advocati Michaelis Antonii sui Fratris Joannes Baptista Amistà. Tutor hic, & Patruus natura ferox, moribus inconditus, & ad iram, minasque proclivis Michaelem male cœpit excipere, ut Regulari alicui Ordini nomen daret. Tenuis mensa, tristæ vestes, graves minæ, verbera, labor insuetus in operibus rusticis in causa fuerunt, ut Juvenis e paternis Laribus fugere cogitaret, & nomen dare militiæ; sed præpeditus ingressus est Monasterium Montis Regalis Minorum Observantium Sancti Francisci; quia vero invito, repugnantique animo id fecerat, pluries in ipso probationis anno vestes suas repetiit, ut egredi posset, quas tamen negavit semper Tyronum Magister Patruo morem gerens.

Sess. 25. c. 19. de Regul.

gerens. Anno igitur sequenti 1729. solemnem Professionem emittere debuit, suscepto nomine Fr. Angeli Ludovici. At priusquam laberetur quinquennium, de vi metuque sibi a Patruo illatis, & de nullitate Professionis questus est, & contra eam perpetuo ad hæc usque tempora reclamavit, querelas pluries detulit ad Præfectos, Judicesque suos Regulares. Tandem anno 1742. Definitorium suæ Provinciæ judicavit „ eum libere e Religione fore „ dimittendum, prout præsentium vigore libere dimittunt, si Eminentissi„ mis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus super Congregatione Con„ cilii præpositis ita in Domino expedire videbitur „. Venit igitur eodem anno ad hoc Sacrum Tribunal, a quo mandata fuit Episcopo Jurisdictio, ut Processus conficeretur. Receptæ fuerunt plurimorum Testium testificationes de vi, & metu, de repetitione vestium tempore tyrocinii, de perpetuis protestationibus, & reclamationibus Causa tamen siluit P. Fr. Angelo Ludovico, aut morbo, aut aliis legitimis causis distento. Cum vero nunc proponatur, ea urget, quæ in Processu habentur, *A Defensore Professionis* nihil habuimus Dubium est.

An constet de nullitate Professionis in casu &c.

Sess. 24. c. 9. de Ref. Matr.

MEDIOLANEN. NULLITATIS MATRIMONII: Cum Georgeus Torti ex Decurionibus Papiensibus deperiret Antoniam Follam pauperem quidem, sed honestissimam Puellam, sponsalia cum ea contraxit die 17. Augusti anno 1741., scripta apocha inusitato, & antea inaudito sacramento confirmata, Divisque se, animamque suam devovens, si fidem falleret. Spe futuri matrimonii compressit inde virginem, eamque utero gravem reddidit; Matrimonium tamen contrahi non potuit, Parocho semper promittente, numquam tradente testificationem libertatis. Rumor interim sponsalium percrebuit, & venit ad aures Fratris Georgii, qui, ut matrimonium præpediret, & sponsalia dissolveret, curavit, ut Georgeus in Arce Civitatis detineretur, Puella vero alibi traduceretur. Rebus itaque compositis cum duobus nobilibus, & potentibus Viris Mediolanensibus amicis suis, advenere repente satellites, & magna eorum stipante caterva, arrepta Puella Mediolanum traducitur, in publica caupona detinetur, donec opera eorumdem potentium Virorum, in Conservatorium mulierum prostitutarum vulgo *dell' Asse* detruditur Infelix Puella, quem unice expetebat, assiduis lacrymis, & ejulatibus vocabat, & ab omnibus requirebat *il mio Giorgio, il mio Giorgio*, quod perpetuum erat in ejus ore carmen. Noverunt potentes Viri inanem esse spem obtinendi dissolutionem sponsalium sola custodia Antoniæ in Conservatorio, animum igitur appulerunt ad alia remedia. Negocium dederunt Causidico sagacissimo, qui socium suscepit alium hominem similis ingenii. Hi, vocata Priorissa Conservatorii, & Antonia, indixerunt Priorissæ, ne sineret Antoniam sermones habere cum aliis, quam quos ipsi mitterent, Antoniæ vero „ che non sarebbe sortita dal Conservatorio, „ se non si maritava, o monacava, e che vi era il Capitano di Giustizia, „ che si farebbe ubidire „. Ut has minas irritas redderet Antonia, curavit fugere e Conservatorio, sed frustra.

Post hæc virum quærere cepit Causidicus Antoniæ, & aurigam invenit Jacobum Prina, hominem stupidissimum: hic bis, terque ad Conservatorium accessit, ut cum Antonia ageret de Matrimonio contrahendo: Antonia *rispondeva freddamente*, & Prina urgente, *se lo prendeva volontieri, rispose basta, basta, e più, e più*: sententiam tamen animi sui aliis patefecit. Erumpebat enim sæpe in has voces „ purchè potesse sortire dal Conservatorio, ave„ rebbe preso chi fosse, ma che per marito solamente Giorgio averebbe ri„ conosciuto -- Che non voleva altro in marito, che il suo Giorgio „. Urgebat Causidicus Matrimonium, dos parata, & soluta fuit, nam ex Viris illius nobilibus, & potentibus unus Andreæ Prina Fratri Jacobi tradidit *cento*

zec-

zecchini con condizione di far subito sposare il Fratello con la detta Giovane: etiam Curia Episcopalis Papiensis testificationem *status liberi* Antoniæ (licet, ut diximus, desponsata esset Georgeo, qui hac de causa in Arce detinebatur) concesserat, & Vicarius Generalis Mediolanensis publicas denunciationes remiserat, & facultatem indulserat contrahendi Matrimonium in vesperis. Nocte igitur adventa, accesserunt ad Conservatorium Jabobus Prina sponsus, Andræas Jacobi frater, servus quidam nobilis viri, qui dotem numeraverat, Causidicus, & Parochus Conservatorii, omnes in Cappella Conservatorii restiterunt. Priorissa Antoniam advocavit, quæ in lecto recumbebat, & re audita, lacrymas, & suspiria fundere cœpit, itaut Priorissa facile agnoverit eam animo repugnanti ad aram perduci. Monuit eam igitur „ che vi pensasse bene avanti di farlo, e che avvertisse, che era un le- „ game per sempre, e che era in suo pieno arbitrio il farlo, e non farlo: „ *sed tamen Antonia* piangendo si risolse di venire abbasso, e andando pia- „ no, venne in Chiesa dicendo sú la scala il mio Giorgio, il mio Giorgio „ ut rem narrat Priorissa.

Cappellam ingressa Antonia, voluntatem ejus secreto explorare voluit Parochus, qui dicit eam respondisse, *che questo Matrimonio lo faceva di sua spontanea volontà, ne esser da alcuno obligata, ne violentata*: inde ante aram genuflexa, & rogata a Parocho, an vellet Jacobum Prina maritum accipere, respondit, ut Parochus testatur, *con voce ordinaria di sì*, contra Testes ignorare dicunt, quid ipsa responderit, & Jacobum Prina ait respondisse eam *ne il sì, ne il nò, ma solamente continuava a piangere*; deducta inde in domum Jacobi incœnata cubitum ivit, finxitque morbum, ne ab eo comprimeretur. Paucis diebus in domo Jacobi permansit explorans vias, quas ignorabat, & perpetuum carmen personans, *che non aveva inteso mai far detto Matrimonio*, nocte puellam pubertati proximam in lectulo retinebat, ut arceret Jacobum. Tandem docta vias e domo aufugit, & e Civitate, convenitque Georgeum, qui post Matrimonium Antoniæ, & Jacobi ab Arce dimissus fuerat: cum Georgeo habitavit, donec filium enixa est, qui uti filius Georgei descriptus est in libro Parochi; alios etiam ex Georgeo liberos sustulit mares, fœminasque. Romam denique venerunt Georgeus, & Antonia, ut Matrimonium, quod contraxerunt Antonia, & Jacobus, nullum irritumque probarent, & novum inter eos contraherent juxta apocham sponsalium. Precibus ab iis oblatis Sacratissimo Principi nostro, data fuit rei cognitio R. P. D. Vicesgerenti Eminentissimi Domini Cardinalis Vicarii. Auditi fuerunt Testes, receptæ probationes, tandem sententia lata est a Judice, qua pronunciatum fuit validum Matrimonium contractum inter Antoniam Folla, & Jacobum Prina in Cappella Conservatorii.

Appellarunt Antonia, & Georgeus ad hoc Sacrum Tribunal, & disputat Matrimonium illud nullum fuisse pluribus capitibus, quod vi siquidem metuque gravi contractum fuerit, ut liquet ex facto, quod supra narravimus; *quod* actualis consensus Antoniæ defuerit, cum solus Parochus dicat Antoniam affirmative respondisse, Testes vero ignorent, quid responderit. *Quod*, etsi probari possit præstitum fuisse consensum, simulatus tamen fuerit, ut e Conservatorio evaderet: *quod* denique contrahi non posset Matrimonium coram Parocho Conservatorii. Addunt rem ita definitam fuisse ab hoc Sacro Tribunali in simillimo casu disputato in *Mutinen. Matrimonii 9. Junii 1725.* cujus folia sunt in *Thesaur. Resol. Sac. Congreg. Vol. III. A Defensore Matrimonii* nondum nobis libellus datus fuit.

An constet de nullitate matrimonii in casu &c.

Die Sabbathi 17. Novemb. 1753.

Superſunt ex *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 22. tranſacti menſis *Septembris* ſeptem, quas priore loco ſubjicimus, Cauſæ, cum proponi non potuerint. Rogamus itaque Eminentiſſimos Patres, ut ad eas definiendas *Folium ejuſdem Congregationis* iterum conſulant.

Seſs. 24. c. 12. de Ref.

SENOGALLIEN. JURIUM PAROCHIALIUM, ET PRÆEMINENTIARUM, in qua XIII. Dubia diſputantur, quæ repetenda ſunt ex pag. 48.

I. *An &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam. Ad II. Affirmative. Ad III. Servetur concordia. Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam. Ad V Negative in omnibus. Ad VI. Spectare ad Ordinarium. Ad VII. Affirmative juxta Conſtitutiones. Ad VIII. Negative. Ad IX XI., & XII. Affirmative. Ad X. Arbitrio Ordinarii. Ad XIII. Affirmative exceptis libris Parochialibus.

Seſs. 24. c. 16. de Ref.

NUSCANA ADMISSIONIS AD CONSORTIUM, cujus duo Dubia ſunt.

I. *An Sacerdos Thomas Mancini ſit admittendus ad Conſortium, & participationem Eccleſiæ Parochialis, & receptitiæ Sancti Bartholomæi Terræ Caſſani in caſu &c.*, & quatenus affirmative.

II. *An, & a quo tempore eidem debeantur diſtributiones, aliaque emolumenta dictæ Eccleſiæ in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Deberi a die rejectionis.

Seſſ. 21. c. 5. de Ref.

AMERINA INDULTI, cujus Dubium eſt.

An conſtet de ſubreptione, & obreptione indulti, de quo agitur in caſu &c.

Dilata ad ſequentem.

Seſs. 14. c. 9. de Ref.

SORANA JURIUM PAROCHIALIUM, quæ quinque habet Capita, quæ repetenda ſunt ex pag. 60.

I. An *&c.*

Ad I. Negative ad utramque partem, & curam animarum ſpectare privative ad Parochos reſpectivi Territorii, in quo familiæ habent domicilium. Ad II. Proviſum in primo. Ad III. & IV. Affirmative. Ad V. Negative.

Seſs. 22. c. 6. de Ref.

MEDIOLANEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, cujus Dubium eſt.

An *ſit locus commutationi voluntatis in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem.

Seſs. 25 c. 19. de Regul.

MONTIS REGALIS NULLITATIS PROFESSIONIS, in qua quæritur.

An conſtet de nullitate Profeſſionis in caſu &c.

Negative.

ME-

MEDIOLANEN. NULLITATIS MATRIMONII, cujus Dubium est. *An constet de nullitate matrimonii in casu &c.* — *Sess. 24. cap. 9. de Ref. Mart.*

Dilata, & scribat Defensor Matrimonii.

POTENTINA BENEFICII. Postquam hæc Causa definita fuerat in *Congregatione* habita *die* 12. superioris mensis *Maii* iterum data fuit in *Congregatione* habita *die* 1. transacti *mensis Septembris*, sed Cominiello dilationem postulante, Eminentissimi Patres eam indulserunt rescripto -- *Dilata ad primam post Aquas*. Damus itaque eam nunc obsequentes imperio Sacri Tribunalis, & definiendum erit Dubium. — *Sess. 23. c. 18. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

NEBBIEN. Hæc quoque Causa data fuit in *Folio ejusdem Congregationis* habitæ *die* 1. transacti *mensis Septembris*, sed Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Nebbiensis dilationem postulante, rescriptum fuit -- *Dilata ad primam post Aquas etiam unica*; Ideoque Causam damus eidem obsequentes imperio, & rogantes Eminentissimos Patres, ut repetita lectione *Folii ejusdem Congregationis*, quatuor Causæ Dubia expediant, quæ repetenda sunt ex pag. 54. *& seq.* — *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

I. *An &c.*

Ad I. Affirmative favore Archidiaconi. Ad II. Negative. Ad III. Archidiacono deberi distributiones quotidianas. Ad IV. Teneri ad restitutionem scutorum centum; In reliquis ad D. Secretarium.

Die Sabbathi 15. Decembris 1753.

TRes, quas priori loco subjicimus, Causæ in *ultima* Amplissimi Ordinis *Congregatione* habitæ *die* 17. transacti mensis *Novembris* dilationem obtinuerunt *ad hanc Congregationem*; Rogamus igitur Eminentissimos Patres, ut *Folium Congregationis* habitæ *die* 22. *Septembris*, & *Folium ultimæ*, *Congregationis*, in quibus hæ Causæ datæ fuerunt, iterum legant.

AMERINA INDULTI, in qua quæritur. — *Sess. 21. c. 5. de Ref.*

An constet de subreptione, & obreptione Indulti, de quo agitur in casu &c.

Negative.

MEDIOLANEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, cujus dubium est. — *Sess. 22. c. 6. de Ref.*

An sit locus commutationi voluntatis in casu &c.

Negative.

POTENTINA BENEFICII, in qua respondendum est. — *Sess. 23. c. 18. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata, & extrahantur partitæ ex libris Seminarii, & firmetur status beneficiorum, quæ taxæ subjacent, citatis interesse habentibus.

Sess. 24. c. 16. de Ref.

ANGLONEN. JURIS DEPUTANDI VICARIUM CAPITULAREM: Propositis *in Congregatione* habita *die* 1. *Septembris* duobus hujus Causæ Dubiis,, I. An deputatio Vicarii Capitularis ad nominationem Monachorum S. Eliæ facta a Reverendissimo Nuncio Neapolis, illi usque decretum ,, sustineatur in casu &c. II. An Edictum latum a Reverendissimo Episcopo ,, Anglonensi die 12. Martii 1753. sustineatur in casu &c. -- *Responsum fuit* -- ,, Ad I. Negative. Ad II. Affirmative ,,. Redeunt Monachi ad novum Judicium, & respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Non proposita.

Sess. 23. c. 15. de Ref.

BASILEEN. Data fuit hæc Causa in *Folio Congregationis* habitæ *die* 22. transacti mensis *Septembris*, sed proposita non fuit. Cum nunc proponatur, repetita *Folii* illius lectione, tribus, quæ supersunt, ejusdem Causæ Dubiis respondendum erit, quæ repetenda sunt ex pag. 56.

I. *An &c.*

Dilata ad secundam post Reges.

Sess. 5. cap. 1. de Ref.

MAJORICEN. CANONICATUS THEOLOGALIS: Licet in Cathedrali Ecclesia Majoricensi usque ab anno 1363. certum constitutum fuisset stipendium Lectori Sacræ Scripturæ, anno tamen 1593. placuit Episcopo juxta Tridentini decretum erigere in eadem Ecclesia cum consilio Capituli Officium Lectoris Sacræ Theologiæ eidem perpetuo uniendo præbendam cujuscumque Canonicatus primo vacaturi, præterquam ex causa resignationis. Vacavit sequenti anno 1594. Canonicatus morte Joannis Abius in mense Sanctæ Sedi reservato, & Petrus Ensenat, qui in Curia præsens erat, de hac vacatione certior factus, preces obtulit san. mem. Clementi VIII., quibus postulabat sibi dari ,, Canonicatum, & præbendam in mense Apostolico vacatas, & ex primæva institutione per Loci Ordinarium pro adimplemen- ,, to decretorum Concilii Tridentini novissime factas Theologales ,,. Annuit Summus Pontifex, Literisque Apostolicis Capitulo exhibitis, Petrus in Aulam Capitularem inductus monitusque de onere legendi in vacuam Canonicatus possessionem immissus fuit Petro huic vita functo anno 1620. successor fuit Petrus Alemanus, qui pridem anno 1615. gratiam Coadjutoriæ cum futura successione obtinuerat. Vacavit iterum Canonicatus anno 16[illegible]. in mense reservato, eumque a san. mem. Alexandro VII. obtinuit Joannes Martorell. Renuit hic munus exequi legendi S. Scripturam, & Episcopus Sacram hanc Congregationem consuluit, qua ratione eum cogeret teste *Fagnano in cap. quia nonnullis num.* 35. *de magistr.* At Canonicus Monitorium in Tribunal A. C. super libertate ab onere legendi expedivit anno 1666.: quid inde actum fuerit ignoratur, nisi quod anno 1691. in Synodo Diœcesana Canonico Theologo tempus, & modus habendi lectiones præscripta fuerint, & in Tabellis Capitularibus Canonicatus hic Lectoralis nuncupatus fuerit. Joanni Martorell successit alius Joannes Martorell, qui filius erat fratris, quique gratiam Coadjutoriæ cum futura successione obtinuerat.

Hujus morte, quæ contigit anno 1751. in mense Ordinario, controversiæ ortæ sunt inter Episcopum, & Capitulum, cui jus est conferendi Canonicatus, præbendasque vacantes in mensibus non reservatis; Episcopus enim contendebat Canonicatum hunc esse Theologalem, & ideo sibi competere electionem personæ, cui a Capitulo facienda esset collatio, & hac de re consulti fuere Jurisperiti; sed non hæc gravior est quæstio, verum, an Canonicatus sit Theologalis, seu Lectoralis; Capitulum enim contendebat jus sibi esse illum conferendi tamquam *de libero*, quia nulla fuerit erectio anni 1593. ob vacationem Canonicatus in mense S. Sedi reservato. Episcopus, ut quæstionem diri-

dirimeret, novam fecit erectionem, ad cauthelam tamen, atque eam denunciavit Capitulo anno 1752., elegitque Nicolaum Villalonga, y Trojols consanguineum suum. Petiit hic collationem a Capitulo, cui renuenti præfixit Episcopus terminum trium horarum, licet plures adhuc dies superessent ad finem semestris, terminoque transacto, contulit ipse Canonicatum Nicolao, eumque in possessionem, quam Canonici denegarunt, immisit dispensando etiam ab incompatibilitate alterius Beneficii, seu Dignitatis, Præpositurae, quam Nicolaus habet in eadem Ecclesia Cathedrali. At Capitulum Canonicatum tamquam liberum contulit Jacobo Surveda, y Togores, eumque, spretis protestationibus Nicolai, & inhibitionibus Episcopi, in possessionem immisit. Ne vero uno eodemque tempore idem Canonicatus a duobus diverso jure detineri videretur, conventum fuit amice, ut nullus ad Ecclesiam accederet, usque dum controversia de validitate erectionum, & collationum in Romana Curia definiretur: decertatum inde est de jurisdictione Tribunalis, quod de controversia cognosceret, sed tandem re ad hanc Sacram Congregationem delata, IV., quæ sequuntur, Dubia nunc proponuntur ex iis, quæ hinc inde dantur, rationibus ab Eminentissimis Patribus expedienda.

I. *An valida fuerit erectio Canonicatus, de quo agitur, in Præbendam Theologalem usque de anno 1593. peracta in Cathedrali Ecclesia Majoricen. in casu &c.*

II. *An sustineatur erectio ejusdem Canonicatus in dictam Præbendam Theologalem nuper a Reverendissimo Episcopo peracta in casu &c.*

III. *An electio personæ, cui præfata Præbenda Theologalis conferenda est, privative spectet ad Reverendissimum Episcopum in casu &c.*

IV. *An sustineatur electio, & collatio prædictæ Præbendæ a Reverendissimo facta favore D. Nicolai Villalonga, sive potius sustinenda sit collatio facta a Capitulo favore Jacobi Surreda in casu &c.*

Ad I. Affirmative; Ad II. Provisum in primo. Ad III. Affirmative. Ad IV. Electionem factam ab Episcopo substineri, collationem vero spectare ad Capitulum, sed faciendam esse favore Nicolai Villalonga, & amplius in omnibus.

LUCERINA APPELLATIONIS: Morte Francisci Paternoster vacavit anno 1751. locus participationis in Collegiata Ecclesia Oppidi Sancti Nicandri Lucerinæ Diœceseos, & Episcopus, posthabito Francisco Conforto, cui juxta statutum uti antiquiori in Ecclesiæ servitio locus vacans deberi videbatur, illum contulit Francisco Masculo. Appellavit Confortus ad Curiam Metropolitanam Beneventanam, in qua, dum Causa penderet, obiit Masculus. Rumor percrebuit decessisse eum veneno propinato in vino, & aqua, dum sacrum faciebat & venefici dicebantur Rupertus, Mastrodominicus, & Confortus, quod uterque Masculo fuisset infensus. Defuncti consanguinei querelam in utraque Curia proposuerunt, Laicali scilicet S. Nicandri, & Ecclesiastica Lucerina. Regius Gubernator processum instruxit, & ut *de delicto in genere* constare posset, plures elegit Medicinæ, & Chirurgiæ Professores, qui secundo post obitum die bene inspecto tum extrinsecus, tum intrinsecus ope dissectionis cadavere, retulerunt obiisse eum non ex propinato veneno, sed *ex febri putrida, & ex veneno ingenito*. Processum igitur Causamque deserere debuit Regens Gubernator, deficiente delicto; sed eam non deseruerunt defuncti consanguinei, qui, oblatis Serenissimo Regi precibus, peritos pecunia corruptos fuisse dixerunt, & probationes criminis veneficii habere tum ex inimicitia, & minis, quæ præcesserant, tum ex testibus, qui veneni propinationem viderant. Data igitur cognitione Tribunali, quod *Regia Giunta de Veleni* appellatur, demandatum fuit Provinciæ *Sess. 22. c. 1. de Ref.*

Præ-

Præsidi, ut examen, & inquisitionem de hoc veneficio instauraret. Peritis iterum examinatis, idem eorum fuit judicium, & ex corporis inspectione, ex morbi principio, progressu, & fine, ex omnibus simptomatibus veneni suspicionem excluserunt: inimicitiæ, & minæ non fuerunt probatæ, testes adducti non solum negarunt vidisse propinationem veneni, sed ex eorum dictis omnis evanuit imaginarii veneni suspicio, itaut etiam ab hoc novo Judice absoluti fuerint uterque accusatus.

Longe vero sese res habuit in Curia Episcopali, in qua jurisdictio ad capiendam informationem delegata fuit Honuphrio Salerno. Hic, ut referunt ipsi testes, minis, & verberibus terruit testes, ut de venefico deponerent: Compilato processu informativo mensis silentio transactus est. Interim a Conforto vocatus fuit Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Lucerinæ ad audiendam sententiam de loco participationis in Curia Metropolitana Beneventana, in qua, ut supra narravimus, Causa pendebat. Tunc silentium abrupit Curia Ecclesiastica Lucerina in Causa veneficii, & illico citatus fuit Confortus ad informandum, dimissa domi ejus copia citationis. In jus venit Leonardus citati frater allegans fratris absentiam, quod Beneventi esset agens civilem Causam de loco participationis, sed his spretis, accusata fuit prima contumacia. Confortus re per fratrem cognita, Curiam Episcopalem, ipsumque Episcopum suspectum allegavit, expositis suspicionis causis, & arbitrorum electionem postulavit, qui capita suspicionis recognoscerent ad formam Concilii Provincialis anni 1693. *cap.* 2. *tit.* 13. *de arbitris*, exhibuitque Leonardus eodem tempore Medicorum Beneventanorum testificationes, e quibus constabat Franciscum Confortum febri laborare, postulans aliquam dilationem, cum non posset Franciscus sese judicio sistere in Civitate Luceriæ, tum propter locorum distantiam, tum propter aeris insalubritatem, tum propter ægritudinem, qua detinebatur; Frustra tamen hæc omnia, nam Curia Ecclesiastica, accusata secunda, & tertia contumacia, Confortum damnavit in ducatis 500., quæ pœna indicta fuerat in citatione ad informandum. Appellavit Confortus ad Curiam Metropolitanam etiam ex capite denegatæ justitiæ, quod ter institisset, ut arbitri eligerentur. Exhibitis literis inhibitorialibus Curiæ Metropoliticæ, Promotor Fiscalis Curiæ Ecclesiasticæ Lucerinæ querelas detulit ad hoc Sacrum Tribunal, quod in hac admittenda appellatione servata non fuerit a Curia Metropolitana forma tradita tum a Tridentino, tum ab Apostolicis Constitutionibus, petiitque, ut Curiæ Episcopali facultas daretur procedendi usque ad sententiam definitivam. Data fuit epistola ad Eminentissimum Beneventanum Archiepiscopum, sed interim ab ipso Ecclesia dimissa, rescriptum fuit a novo Archiepiscopo, qui de his, quæ gesta sunt in Curia Ecclesiastica Lucerina, nihil habet, defectu processus criminalis, cujus copiam dare renuit Episcopus. Causa nunc proponitur, & disputat Confortus sustinendam omnino esse appellationem, quam ad Curiam Metropolitanam interposuit: rationes ejus legent Eminentissimi Patres in libello, longum enim esset eas exscribere in facto tam longo. A Curia Episcopali Lucerina nihil habuimus. Dubium est.

An appellatio sustineatur, seu potius Causa remittenda sit ad Curiam Episcopalem Lucerinam in casu &c.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius.

Sess. 22. *c.* 6. *de Ref.*

CAMERINEN. SUBSIDII DOTALIS: Testamento Petri Sensini Pontoni Civis Camerinensis condito anno 1599. cautum fuit, ut defecta linea masculina Cæsaris, & Cruciani Pontoni, quo hæredes instituerat, & substituerat, bona sua hæreditaria servarentur „ affine che delli frutti, e pro- „ venti di essi, salva sempre la proprietà, si costituischino doti per dotare

„ zitel-

,, zitelle della Città, e Diocesi di Camerino, che si vorranno monacare in ,, detta Cittá ,, ac proinde fructus in æde sacra Romæ deponerentur, donec summa efficeretur scut. 200. quæ pro quolibet subsidio distribui deberet. Jus nominandi puellas certis designatis personis reliquit, de jure vero passivo hæc ait ,, che se vi saranno zitelle descendenti della linea mascolina del detto ,, Cesare in infinito, che si vogliano monacare, ed in difetto di queste, se ,, vi saranno zitelle descendenti della linea mascolina di detto Cruciano in in- ,, finito, che si vogliano monacare, ed in difetto di queste, se vi saranno ,, descendenti della linea feminina di detto Cesare, ed in difetto di queste, ,, se vi saranno descendenti della linea feminina di detto Cruciano in infini- ,, to, debbano detti Elettori preporle a tutte le altre secondo l' ordine, che ,, detto testatore ha detto ,, . Posthæc designavit testator puellas, quas præferri voluit in casu, quo ex una eademque linea prædilecta plures concurrerent, ut nempe pauperior eligeretur ex pluribus, quæ in eadem essent paupertate, viduarum filiæ præferentur, his deficientibus, ætate majores, & in pari ætate locus esset sortitioni. Addidit demum ,, In evento, che non vi ,, saranno zitelle delle suddette linee, allora si elegghino altre della medesi- ,, ma Città, e sua Diocesi, come meglio parerà a i sopradetti Elettori, ma ,, vuole, che tutte le zitelle, che eleggeranno, abbiano queste qualità: che ,, siano della Città, e Diocesi di Camerino di etá di quattordici anni, che ,, siano di buona, ed onesta vita, che siano povere &c., e nate di legitimo ,, matrimonio, e vuole, che s' intendano povere ogni volta, che li beni, e ,, facoltà di loro padre, e madre congiunti tutti insieme non arrivino alla ,, somma di scudi 1500. moneta a paoli dieci per scudo, se saranno descen- ,, denti delle sopradette linee: ma le altre, che s' intendino povere, ogni ,, volta che il loro padre, e e madre non hanno più di scudi 1000., congion- ,, to sempre il valore de beni tanto del padre, che della madre &c. Che det- ,, ta dotazione, o monacazione si faccia in uno de' Monasteri di Monache di ,, detta Cittá in quello, che più piaccia alla zitella.

Defectis lineis masculinis hæredum institutorum, pii testatoris voluntas servata, atque impleta fuit, itaut fere omnes, quæ in quinque illius Civitatis Monasteriis sunt, hoc subsidio factæ fuerint Moniales. Anno vero 1750. cum jam jam immineret puellæ electio, Comitissa Justina Pericoli, quæ per lineam fœmininam a Cruciano Pontoni descendit quæque Romæ nata in Monasterio Sanctorum Dominici, & Xisti degit, & in eo Monialis esse cupit, reputans cæteris aliis puellis sibi prælationem debere in jus vocavit coram A. C. Electores vero, spreto monitorio, Annam Savinam nominarunt; hinc etiam de purgatione attentatorum actum est. Judex attentata rejecit, & secundum Annam pronunciavit, at in alia sententia jus esse dixit Justinæ concurrendi ad subsidium dotale: hæc sententia rei judicatæ authoritatem accepit. Adiit inde Justina Sanctissimum Dominum Nostrum postulans assignationem tot subsidiorum dotalium, quot nomen dare posset, & profiteri in dicto Monasterio SS. Dominici, & Xisti in Urbe. Data fuit postulationis hujus cognitio Eminentissimis Patribus, a quibus auditus fuit Episcopus, qui Electores vocavit, & ab iis rationes excepit tum Monasteriorum, tum aliarum puellarum Civitatis, & Diœceseos, & præsertim descendentium ex lineis prædilectis, pro excludenda Justina, qui rationibus motus ipse Episcopus contra Justinam respondit. Cum nunc Causa proponatur, disputant Electores, & puellæ rejiciendam esse Justinam, quod testator in puellis eligendis duplicem voluerit qualitatem, alteram Civicam, aut Diœcesanam, alteram quod professio fiat in uno ex Monasteriis ejusdem Civitatis Camerini; his enim consulere testatorem voluisse, qui noverat ea parum habere reddituum, & propter puellarum inopiam deesse, quæ Monasteria incolerent, Moniales. Repellendam igitur esse Justinam, quæ neque Civis sit, neque Diœcesana, Patre licet Cive nata, qui ab annis 40. lares fortunasque suas Romam transtulit, neque in aliquo ex quinque Civitatis Camerini Monasteriis profiteri velit, sed in Mona-

sterio

ſterio Urbis. Videant igitur Eminentiſſimi Patres, an vere Juſtina Civicam qualitatem ſuæ originis amiſerit, & an hæ duæ qualitates requiſitæ fuerint a teſtatore etiam in puellis, quæ eſſent ex lineis prædilectis, vel dumtaxat in iis, quæ extra lineas ab Electoribus nominarentur, nos enim a Juſtina nihil adhuc habuimus. Dubium eſt.

An ſubſidium dotale relictum a quondam Petro Senſino Pontoni debeatur Juſtinæ Pericoli, etiam pro Monachatione in Monaſterio Urbis in caſu &c.

Negative pro Monachatione in Monaſterio Urbis.

F I N I S.

INDEX
CONCLUSIONUM OMNIUM,
AC
RESOLUTIONUM
Quae sub Causis anno 1753. propositis prodierunt.

C

CANONICATUS.

CANONICUS QUOAD PRIVATIONEM FRUCTUUM.

CANTORATUS.

CAPPELLANIA.

CAPPELLANUS QUOAD REMOTIONEM.

CLAVIS, CLAVES.

CLERICUS.

COMMUTATIO.

CONCESSIO.

CONCURSUS.

CON-

CONSULTATIO.

Pro rei veritate postulatur a Theologo, & Canonista, ubi agitur de re gravi, prout est matrimonii nullitas, vel validitas, ita rescripsit Sacra Congregatio in *Carthaginen. Matrimonii p.* 21.

CURA ANIMARUM ACTUALIS VEL HABITUALIS.

Cura habitualis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Montis S. Viti residet pœnes Capitulum, non autem penes Archipresbyterum *Senogallien. jurium Parochialium, & præeminentiarum ad* 1. *dub. p.* 64.

Archipresbyter Ecclesiæ Collegiatæ, potest independenter a Capitulo exercere curam animarum *Ibid. ad* 2. *dub.*

Canonici Ecclesiæ Collegiatæ juxta conventionem possunt baptizare, matrimoniis assistere, & curam animarum exercere *Ibid. ad* 3. *dub.*

Cura animarum spectat ad Parochos in quorum territorio familia habet domicilium *Sorana jurium Parochialium ad* 1. *&* 2. *p.* 64.

D

DECIMÆ.

An decimæ spectent ad Episcopum, vel Clerum, res est altioris indaginis, & ideo requiruntur probationes, ita respondit Sac. Congregatio in *Larinen.*, *seu Vulturarien. Decimarum pag.* 39. *cum seq.*

DEPUTATIO.

Vicarii Capitularis ad nominationem Monachorum S. Æliæ facta a Nuncio Neapolis non sustinetur *Anglonen. juris deputandi Vicarium Capitularem. ad* 1. *dub. p.* 54. *cum seq.*

DISPENSATIO QUOD ÆTATEM PRO ASSEQUUTIONE BENEFICIORUM.

Si fundator mandet, ut præsentandus ad beneficium, seu Canonicatum sit Clericus, & ad minimum septennis, solet dispensatio ætatis indulgeri ex verisimili mente fundatoris beneficii, ita respondit Sac. Congr. in *Monasterien. seu Osnabrugen. Canonicatus p.* 22. *cum seq.*, ubi plura quoad dispensationem ætatis referuntur exempla *Monasterien.*, *seu Osnabrugen. Canonicatus p.* 39. ubi Sac. Congreg. stetit in decisis.

DISTRIBUTIONES.

Debentur Beneficiato pro tempore, quo inservivit Episcopo, ita pro Sacerdote Agazzani Beneficiato respondit Sacra Congregatio in *Regien. distributionum pag.* 37.

Canonici Collegiatæ Ecclesiæ non lucrantur distributiones quotidianas, quoties discedunt e Choro pro audiendis confessionibus, & celebrandis Missis privatis *Senogallien. jurium Parochialium, & Præeminentiarum ad* 8. *dub. p.* 64.

Limita si ex fundatione teneantur audire confessiones *Ibid. ad* 9. *dub.*

Distributiones quotidianæ, & alia emolumenta debentur Sacerdoti in Ecclesiam consortialem admisso a die rejectionis *Nuscana admissionis ad consortium ad* 2. *dub. p.* 64.

Distributiones quotidianæ debentur Archidiacono injuste suspenso *Nebbien. ad* 3. *dub. p.* 65.

E

ECCLESIA CATHEDRALIS.

Clericus simplex non potest obtinere Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, tametsi Canonicatus sit de jurepatronatus laicorum *Senogallien. Canonicatus pag.* 1.

ECCLESIA CONSORTIALIS. ET RECEPTITIA.

Sacerdos in Ecclesia consortiali, & receptitia injuste rejectus admittendus est *Nuscana admissionis ad consortium ad* 1. *dub. p.* 65.

ECCLESIA FILIALIS.

Ecclesia S. Mariæ de Monte Carmelo sita in Territorio Atinæ potest erigi in filialem dictæ Civitatis cum deputatione Vicarii perpetui *Sorana jurium Parochialium ad* 3. *dub. p.* 64.

Curati dictæ Terræ possunt ex parte ejusdem territorii novam Ecclesiam filialem in Parochiam erigere *Ibid. ad* 4. *dub.*

ECCLESIA PAROCHIALIS.

Reædificanda est, si necessitas, & utilitas ita exigant, ita Sac. Congregatio respondit in *Cæsenaten. reædificationis Ecclesiæ Parochialis p.* 21. *&* 38. ubi stetit in decisis.

Omnes functiones in Ecclesia Parochiali diebus Dominicis, & Festivis a Parocho peragendæ sunt, non autem in Ecclesia Parochiali subjecta *Fulginaten. ad* 2. *dub. p.* 26. *cum seq.*

EDICTUM.

Episcopi Anglonensis latum contra Monachos, qui deputarunt Vicarium Capitula-

IMPO-

I

IMPOTENTIA.

Coeundi absoluta matrimonium dirimit concessa potestate uxori transeundi ad nuptias *Romana Matrimonii p.* 4.

INDULTUM.

Peragendi a Confraternitate functiones Hebdomadæ Sanctæ non obstante oppositione Parochi, in cujus limites extat Confraternitas, arbitrio Episcopi remittitur *Syracusana indulti p.* 1.

Indulti subreptio, & obreptio probanda est ab eo, qui dicit illud esse subreptitium, vel obreptitium, alias de subreptione, vel obreptione non constare pronunciandum est, ita habetur in *Amerina indulti p.* 64.

IRREGULARITAS.

Ubi incursa est, ejus dispensatio remittitur arbitrio Episcopi *Albinganen. irregularitatis p.* 22.

JUSPATRONATUS.

Erectum in vita a fundatore sustinetur, tametsi iste mandaverit in testamento erigi, & fundari post ejus obitum *Vigilien. Jurepatronatus p.* 24. *cum seq.*

L

LEGATUM.

Relictum a testatore pro alendis Cathecumenis pro gratia applicatur pro Neophitis, quia pinguius impletur voluntas testatoris *Anconitana applicationis p.* 6.

LITTERÆ APOSTOLICÆ.

Super collatione beneficii sunt exequendæ non obstante unione ejusdem beneficii facta Seminario, tum quia unio erat nulla, tum etiam quia non habuit effectum, ita Sacra Congregatio in *Vallisoletana ad* 1. *&* 2. *dub. p.* 11. *cum seq.*

M

MATRIMONIUM IN GENERE.

Exigit probationes concludentes juxta instructionem *Neapolitana, seu Castri Maris Matrimonii p.* 1.

Matrimonium ob absolutam impotentiam coeundi dissolvitur *Romana Matrimonii p.* 4. 8 *&* 51. ubi Sac. Congr stetit in decisis pro dissolutione matrimonii.

MATRIMONIUM QUOAD IMPOTENTIAM.

Dirimitur matrimonium, quando de impotentia absoluta ex defectu organico evidenter apparet *Romana Matrimonii pag.* 4. *&* 8.

Matrimonium ob absolutam impotentiam dissolvitur cum libera facultate uxoris transeundi ad alias nuptias *Romana Matrimonii p.* 4. *&* 51. ubi Sacra Congr. stetit in decisis.

MATRIMONIUM QUOAD MANDATUM PROCURÆ.

Ubi agitur de matrimonio contracto per folium in albo subscriptum causa illius differtur juxta instructionem, quæ propria est judicis, & res sit gravis *Neapolitana, seu Castri Maris Matrimonii pag.* 1.

Matrimonium per signum factum attentis circumstantiis facti validum declaratur *Carthaginen matrimonii p.* 55.

MATRIMONIUM QUOAD VALIDITATEM, VEL NULLITATEM.

Matrimonii validitas, vel nullitas pendet a probationibus, quibus deficientibus ejus resolutio differtur *Neapolitana, seu Castri Maris Matrimonii p.* 1.

MISSA, SEU MISSÆ QUOAD APPLICATIONEM.

Beneficiati in Ecclesia Cathedrali Reatina non tenentur applicare binas Missas Hebdomadales, ita respondit Sacra Congregatio in *Reatina applicationis Missarum ad* 1. *dub. p.* 10. *cum seq.*

Beneficiati in dicta Ecclesia non tenentur applicare diebus feriatis, in quibus duæ Missæ Conventuales ab ipsis celebrantur juxta disposita in litera encyclica Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. *ib. ad* 2. *dub.*

Cappellanus cum onere celebrandi Missam pro commodo populi & agricolarum non tenetur eam applicare, præsertim si prædium donatum cum hoc onere largos fructus non præstet *Faventina applicationis Missæ* §. *contra* §. *accedere p.* 30., & ideo Sacra Congregatio super hoc puncto rescripsit dilata, & firmetur status *ib. p.* 30.

Translatio oneris Missarum de uno loco ad alium justa de causa fieri potest, prout pro translatione oneris Missarum tantum respondit Sacra Congregatio in *Romana, seu Pisauren. Translationis oneris p.* 31. *cum seq.*

Pa-

Parochi rurales possunt libere peragere processiones Sanctissimi Corporis Christi, S. Marci, & Rogationum in propria Parochia *ib. ad* 1. *dub.*

PATRIMONIUM.

Clericus habens Cappellaniam in titulum patrimonii tenetur eam dimittere, si concessio Cappellaniæ facta sit sub ea lege, ut teneatur dimittere, si impetraverit beneficium, quo obtento locus est dimissioni *Cæsenaten. Cappellaniæ pag.*5.

PŒNA.

Comminata ab Episcopo Nebbien. contra Archidiaconum Gentile nulla declaratur in *Nebbien. ad* 2. *dub. p.*65.

PRÆBENDA THEOLOGALIS QUOAD ERECTIONEM.

Erectio Canonicatus in Præbendam Theologalem facta in Ecclesia Cathedrali Majoricen. de jure sustinetur, ita respondit Sacra Congregatio in *Majoricen. Canonicatus Theologalis ad* 1. *&* 2. *dub. p.*66. *cum seq.* reliqua vide in verbo electio.

PRÆLATIO.

Cantoratus prius erectus in Ecclesia præfertus aliis dignitatibus in eadem Ecclesia postea fundatis *Melevitana erectionis Canonicatus, seu Cantoratus ad* 3. *dub. p.*43. *cum seqq.*

PROCESSIO, PROCESSIONES.

Parochi rurales diebus festivitatis Sanctissimi Corporis Christi, Sancti Marci, & Rogationum processiones in propria Parochia peragere possunt *Asculana processionum ad* 1. *dub. p.*9.

Parochi rurales non tenentur, nec cogi possunt ad interveniendum processionibus, quæ dictis diebus celebrantur in terra Arquatæ *Asculana processionum ad* 2. *dub. p.*9.

Simplices Clerici, & Sacerdotes Villarum non tenentur intervenire dictis processionibus in *Asculana processionum ad* 3. *dub. p.*9.

PROFESSIO RELIGIOSA.

De nullitate Professionis per vim, & metum emissæ non constare respondit Sac. Congregatio in *Montis Regalis nullitatis Professionis p.*64.

R

REDDITIO RATIONIS.

Ratio de bonis, & redditibus Ecclesiæ reddenda est Episcopo a Capitulo, a quo fructus exiguntur *Piscen. ad* 1. *p.*38.

An pro labore redditionis rationis aliquid exigi possit *ib. ad* 1. *dub.*

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

Non datur Religioso professo ob metum reverentialem, ita respondit Sacra Congregatio in *Toletana restitutionis in integrum p.*21.

S

SEMINARIUM.

An Canonici Parochi, & Beneficiati teneantur ad taxam favore Seminarii Sacra Congregatio respondit affirmative firmato tamen statu Seminarii in *Brictinorien. taxæ p.*21.

Status Beneficiorum, quæ subjacent taxæ Seminarii firmandus est ex libris ejusdem Seminarii citatis tamen interesse habentibus, ita habetur in *Potentina Beneficii p.*65.

SEPULTURA QUOAD ELECTIONEM.

Parochiani libere possunt sibi eligere sepulturam in Ecclesiis Regularibus *Auximana, seu Lauretana funerum ad* 2. *dub. pag.*13.

Parochus tenetur sepelire Parochianos in Ecclesia Parochiali, nisi in alia Ecclesia Parochiæ subjecta sepultura electa sit *Fulginaten. ad* 4. *dub. p.*26 *cum seq.*

Parochianus sepeliendus est in Ecclesia Parochiali, tametsi uti Clericus sponte inservierit Ecclesiæ Cathedrali, eidemque Parocho restituendum est ab Ecclesia Cathedrali cadaver una cum omnibus emolumentis funeris, ita respondit Sacra Congregatio in *Tolentina juris sepeliendi p.*42 *cum seq.*

SOLUTIO.

Taxæ favore Seminarii non est retardanda, donec ejus statum firmari mandatur, ita respondit Sacra Congregatio in *Brictinorien. Taxæ p.*21.

SPONSALIA.

Ratificata sub conditione nobilitatis, ac divitiarum sponsi ea non purificata non sunt exequenda *Pisauren. Sponsalium p.*38. *ad* 1. *dub.*

STIPENDIUM.

Non debetur beneficiato pro explendo munere Hebdomadarii, si hoc onus adnexum sit beneficio, cujus fructus beneficiatus percipit *Leodien. servitii super salario §. disput. p.*7.

Stipendium debetur Beneficiato pro expleto munere Hebdomadarii, & debetur

in

FINIS.

THESAURUS RESOLUTIONUM

Sacræ Congregationis

CONCILII

Tridentini, ac Juris Canonici ſanctionum Interpretis

MUNUS

A Secretis ejuſdem Sacræ Congregationis

OBEUNTE

R^{MO} P. D. FURIETTO

PRODIERUNT

In cauſis ſub anno 1754. *propoſitis*,

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis, ac aliis in Eccleſiaſtico foro verſantibus apprimè utilis, & neceſſarius.

TOMUS XXIII.

Duplici locupletiſſimo Indice exornatus

AB ANTONIO MARIA DE NIGRIS
Juriſconſulto, & in Romana Curia Advocato.



ROMÆ MDCCLIV.

Typis, & Sumptibus Hieronymi Mainardi in Platea Agonali
Superiorum facultate, & Privilegio Sanctiſſimi.

INDEX
TITULORUM

Causarum omnium, quæ anno 1754. Sacr. Concilii Congregationi propositæ fuerunt.

So-

S

T

V

Die Sabbathi 19. Januarii 1754.

In Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.



MILITEN. CONCURSUS. Dedimus hanc Causam in folio Congregationis habitæ die 33. Junii anno nuper transacto, sed dilationem obtinuit: Proposita vero, & definita fuit in sequenti Congregatione habita die 21. Junii. Quinque erant ejus capita. „ I. An constet de nullitate concursus in casu &c.? *& quatenus negative*. II. An constet de mala relatione Examinatorum, *& quatenus affirmative*. III. An Ecclesia Archipresbyteralis terræ Casalis novi sit adjudicanda Sacerdoti Leonardo Piromalli? *& quatenus negative*. IV. An sit locus novo concursui? V. An sustineatur collatio Parochialis Ecclesiæ terræ Radicenæ in casu &c. *Respondit his Sacrum Tribunal*: Ad I. negative, & amplius. Ad II. affirmative, & amplius. Ad III. negative, & amplius. Ad IV. negative, & amplius Ad V. negative & amplius. „ Redit ad novum Judicium Archipresbyter Leonardus Piromallius, & longissimo libello contendit locum esse novo concursui, quæ disputatio erat quarti capitis: Respondendum igitur est. *Sess. 24. c. 18. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis super IV. Dubio in casu &c.

In decisis, & amplius, & ad D. Secretarium juxta mentem.

MEDIOLANEN. NULLITATIS MATRIMONII: Hæc quoque causa data fuit in folio Congregationis habitæ die 22. Septembris anno transacto, sed proposita non fuit. Iterum data fuit in folio sequentis Congregationis habitæ die 17. Novembris, & responsum accepit. -- *Dilata, & scribat Defensor Matrimonii*. Scripsit hic, & respondit capitibus nullitatis objectis ab Antonia Folla, & Georgeo Torti, quæ recensuimus in dicto folio Congregationis habitæ die 22. Septembris: recte ne, an secus, judicium erit Eminentissimorum Patrum, a quibus expediendum est Dubium. *Sess. 24. c. 9. de Ref. Matr.*

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Affirmative.

HADRIEN. Ædicula erat in districtu Civitatis Hadriæ S. Mariæ Gratiarum dedicata, quam vocant *la Cona del Poggio*. Ejusdem custodiæ, & servitio Eremitas præponere antiquitus solebant Episcopi, ut constat ex monimentis ab anno 1651. ad annum 1703. Ab hoc anno ad hæc usque tempora non ab Episcopis, sed a Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis electi, & præpositi fuerunt Eremitæ; Eo quidem anno Dominicus Carosinus Eremita cum partim ea propriis bonis, & partim ex collecta stipe veteri ædicula disiecta, novam longe ampliorem atque elegantiorem ædificasset, novisque ac- *Sess. 21. c. 9. de Ref.*

accessionibus auxisset, angustam illam veterem domum, in qua habitabant Eremitæ, morte urgente, testamentum scripsit hærede instituta Æde, quam reædificaverat, in eaque Sacrum qualibet hebdomada agi voluit, & metuens, „ che per mancanza di assistenza, e di custodia di detta Chiesa, e di abitazione in quella non vadino in rovina la medesima Chiesa, le Cappelle, le „ case, la fabrica, i suppellettili, i mobili, li stabili *deprecatus est* il Reverendissimo Capitolo, e Signori Canonici ad eleggere sempre per Cappellani, per Priori, per Procuratori, e per Eremita persone dabbene, e „ discrete, che a loro pareranno più a proposito „. Capitulum igitur testamentariæ hujus dispositionis titulo ab anno illo 1703. ad hæc usque tempora tum Cappellanos, aliosque ministros, tum Eremitas elegit independenter ab Episcopis, qui in alia Civitate Pennensi degunt, solo in Civitate Hadriæ existente Vicario Generali, qui unus semper fuit ex Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Hadriensis.

Qui vero nunc Ecclesiæ illi præest Episcopus, cum anno 1752. Visitationem ageret, rescivit Eremitas Ædis S. Mariæ Gratiarum eligi a Capitulo, edixitque, „ ut per Vicarium Generalem quæratur ratio ab omnibus Eremitis degentibus in Territorio Hadrien. ejusque Diœcesis de exhibenda in Episcopali Cancellaria eorum fide Baptismatis, Confirmationis vitæ & morum, „ satisfactionis præcepti Paschalis, de non habita inquisitione in eorum foro, & de bono servitio, si in aliis Eremitoriis extiterint, quæ si non probaverint, expellantur a respectivis Domibus Eremiticis, ac in posterum „ sine descriptis requisitis in Curia exhibendis nemo admittatur pro servitio cujuscumque Ecclesiæ. „ Obtemperarunt huic edicto reliqui omnes Eremitæ, duobus exceptis, qui sunt in Æde Sanctæ Mariæ Gratiarum; Capitulum enim læsum reputans jus suum, monitorium super observatione, & exequutione testamenti Dominici Carosini expedivit coram A. C., Causaque acta in possessorio Judicio, victus fuit Episcopus, lata a Judice sententia, qua pronunciatum fuit, edictum moderandum esse quoad Eremitas S. Mariæ Gratiarum, & custodiendam esse possessionem Capituli nominandi, approbandi, & confirmandi Eremitas, eisque tradendi Literas Patentes independenter ab Episcopis. Adito post hanc sententiam Tribunali Signaturæ, datus ab eo fuit alter Judex, sed Episcopus, ut impendia longæ litis fugeret, preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, a quo Causæ hujus cognitio data fuit Eminentissimis Patribus.

Disputat nunc Episcopus edictum, quod ipse tulit, sustinendum esse quia res non sit de Eremitis tria solemnia vota emittentibus, neque de iis, qui in aliqua vivant Congregatione, sed vel de iis, qui ab Episcopis vestes suscipiunt Eremiticas, & servitio certæ ædis addicuntur, vel de iis, qui hoc illuc vagantur, ideoque ad Episcopum spectet inquirere de moribus eorum Religione, vita, iisque facultatem dare stipem colligendi, ut post *Fagnan. in cap. nullus n.61. de For. compet. Monacell. Formul. leg tom.1. tit.6. annot. ad form.13. num.4. Barbos. dec. Apost. collect. 324. verb. Eremitæ Pignatell. consult.1. num.14. tom. 8. Card. Petra tom. Constit. unic. Alexand. II. num.3.* aliosque constituit san. mem. Benedictus XIII. in *Append. ad Concil. Rom. c.1. num.21.* Alia addit Episcopus, quæ Eminentissimi Patres legent in ejus libello. A Capitulo & Canonicis nihil habuimus. Causa tribus Dubiis collecta est.

I. *An, & ad quem pertineat Eremus, & Ecclesia Ruralis sub titulo S. Mariæ Gratiarum nuncupata* la Cona del Poggio *cum suis adnexis posita in pertinentiis Civitatis Hadriæ ejusdemque Eremi, & Ecclesiæ directio, etiam œconomica, ac receptio redditionis rationis ab Eremitis in casu &c.*

II. *An edictum e Reverendissimo Episcopo Hadrien. relaxatum in Sacra Visitatione quoad Eremitas d. Ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum sustineatur, itaut revisio, & approbatio requisitorum, concessio habitus, & tradi-*

ditio literarum Patentium eisdem Eremitis ad effectum quaestuandi spectet ad d. Reverendissimum Episcopum, seu potius ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis in casu &c.

II. *An electio, & nominatio Eremitarum d. Ecclesiae facienda sit a Capitulo Ecclesiae Cathedralis coram Ordinario; seu potius illorum electio libere spectet ad Reverendissimum Episcopum in casu &c.*

Ad primum spectare ad Episcopum. Ad secundum affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad tertium iterum proponatur.

POSNANIEN. Vetustissimam Ecclesiam S. Michaeli primum, inde S. Joanni dedicatam cum adjuncto Hospitali Peregrinis, Infirmisque excipiendis, extra Urbem Posnaniae sitam a Moscione Poloniae Duce, & Rodovano Posnaniensi Episcopo reparatam, donatam, ditatamque fuisse constat ex veteribus monumentis. Eluxit praecipue Rodovani pietas, qui eam *de quibusdam Decimis, rebus, & possessionibus Ecclesiae Posnaniensis dotavit*, ut recipi & ali possent Pauperes, & Peregrini. Moscionis, & Rodovani pietatem, & libertatem aemulati successores Duces, Episcopi, Reges in ea ditanda, & redditibus augenda certarunt. Longum esset omnes Regum, & Episcoporum donationes, privilegia, libertates, immunitates eidem concessas referre; eas dicemus, quae ad rem pertinere possunt. Paulus Episcopus cum consensu Capituli ratas habuit donationes omnes a Praedecessoribus suis in eam collatas, eamque praesertim, quam ,, de Praebenda Canonicali in Ca- *Sess. 7. c. 25. & sess. 21. c. 8.*
,, thedrali Posnaniensi *fecerat Arnoldus secundus*, ita tamen, ut quidquid
,, de expensis Vicarii, quam statuetis, ibidem contigerit superesse, per ma-
,, num vestram in subsidium transeat Infirmorum, *quod factum evenit anno*
,, 1218. *Vladislaus Dux anno* 1238. *confirmavit, & ipse suas, & Praede-*
,, *cessorum suorum donationes, ita tamen*, ut ibidem divinum Officium ce-
,, lebretur, & Peregrinis, atque Pauperibus secundum facultates subvenia-
,, tur: si quid vero superfluum fuerit ad subsidium Terrae S. Domini Hospita-
,, lis Hierosolymitanae transmittatur. *Rex Casimirus anno* 1360. *praeter alias*
,, *liberalitates concessit etiam* Ecclesiam Parochialem in Villa Radzin in per-
,, petuo cum omni jure patronatus, in qua quidem Ecclesia praedicti Fratres
,, aliquem Fratrem sui Conventus ponere pro Rectore, sive quevis modo alio
,, de ipsa disponere liberam habeant potestatem.

Administrarunt hanc Ecclesiam, & Hospitale Teutonici Milites, & Templarii; his vero funditus deletis, Hospitalarii, qui nunc Melitenses nuncupantur. Hi in ea Commendam erexerunt, quam alicui ex militibus conferre consueverunt, assignata certa fructuum quantitate, certisque bonis Praeposito seu Parocho, qui Ecclesiae, & animarum curam gerebat. Perpetua fuit inter Commendatarios, & Praepositos de bonis hisce, & fructibus controversia, Commendatariis auferentibus, Praepositis repetentibus bona, fructusque, sed tamen potior Commendatariorum pars Praepositos non turbavit, onera quoque, quibus ex legibus fundationis, & donationum obstringebantur, sive ea respicerent congruam Praeposito praestandam, sive Pauperum, & Infirmorum curam, & sustentationem, sive deputationem Vicarii, ejusque installationem in Choro Ecclesiae Cathedralis, congruum ejusdem stipendium, prout decebat, servarunt. Divinum quidem Officium negligebatur, sed huic negligentiae occurrit anno 1733. Commendator Michael Dymbrovusk, assignatis annuis sc. 30. monetae Romanae, quorum 10. Praeposito pro recitatione quotidiana cum cantu Officii B. Mariae Virginis, alia 10. ei, qui Organum pulsaret, alia denique sc. 10. pro Sacro cum cantu singulis diebus Festis agendo. Hic rerum status fuit ad annum usque 1741. quo Commendam hanc obtinuit Eques Ignatius Bartolomaeus Sthechi, qui fere omnia, quae vel in Regum, & Episcoporum donationibus praescripta fuerunt, vel a praecedentibus Commendatariis fuerant constituta, negligere caepit, Praeposito

fructus, & quædam bona denegavit, Fabricam Ecclesiæ, & Hospitalis non reparavit, Pauperum, & Infirmorum curam posthabuit, Vicarium, qui Cathedralis servitium præstaret, non retinuit.

Capitulum igitur Cathedralis Ecclesiæ eum anno 1747. in jus vocavit coram Nuncio Apostolico, lataque tandem sententia, pronunciatum fuit -,, Commendatorem obstrictum esse juxta formam &c. in erectione, & confirmationibus præscriptam præstare Episcopo Posnaniensi Vicarium, qui Ecclesiæ ipsi Cathedrali in Divinis peragendis deserviat, petereque solemniter juxta inveteratum usum sui installationem, & introductionem sub pœna, quatenus ulterius negligat, restitutionis omnium fructuum ex eadem Commenda percipiendorum,,. Non appellavit ab hac sententia Commendatarius, sed, cum parere negligeret, mandatum exequutivum contra ipsum & relaxatum; & exequutum fuit. Tunc igitur Vicarium deputavit, constituto eidem annuo stipendio florenorum 300. Poloniæ, sed neque stipendium solvit, neque petiit installationem, neque solita Capitulo emolumenta præstitit. Episcopus interim Posnaniensis in Visitatione Sacrorum Liminum Ecclesiæ, & Dioecesеos suæ statum retulit, atque, hac occasione, labentem Hospitalis Fabricam, Pauperum, & Infirmorum neglectam curam, significavit, additque Commendatarium ,, contraveniendo decreto S. Nunciaturæ nec stallum in Ecclesia Cathedrali in Choro occupare, nec constitutum Vicarium salariare tuendo se in omni exceptione Jurium,,. Certior de his factus Eminentissimus Magnus Magister Ordinis mandatum dedit, quod *Bullam* vocant, cuicumque Ecclesiasticæ Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ, ,, ut personaliter accedendo, & vocato Commendatario, vel ejus legitimo Procuratore, diligenter inquireret, si Commendatarius ipse Posnaniensis memoratum Hospitale nostrum Posnaniense in omnibus, & per omnia ad terminos fundationum, prout tenetur, manuteneat. *Hanc* Bullam *Sac. hæc Congregatio ad Episcopum Posnaniensem misit*, ut posset Fideciarium Equitem, cui Hospitalis Procuratio incumbit, adigere ad ea, quæ sui sunt muneris, secundum fundationis normam fideliter adimplenda.

A Visitatione Hospitalis delegatus Episcopus initium fecit, ,, & ad describendum statum Hospitalis, & investigandas fundationes pro subsidio, & substentatione Pauperum geminos Commissarios deputavit,,. Post hanc deputationem venerunt in jus coram Episcopo Procurator Capituli Cathedralis, qui petiit, ut Commendatarius adigeretur ad observandam sententiam Nunciaturæ, quam supra retulimus, Procurator Vicarii, qui petiit solutionem stipendii annui sibi, ut narravimus, constituti, Præpositus demum, qui petiit restitutionem fructuum, & bonorum, necnon solutionem annuæ præstationis sc.30. constitutæ pro officio Beatæ Mariæ Virginis, Organo, & Sacris cum cantu. Decrevit Episcopus, ut Commendatarius his responderet, eo excipiente hanc cognitionem non pertinere ad Episcopum, qui facultatem haberet cognoscendi de his dumtaxat, quæ in fundationibus constituta fuerant. Exceptionem rejecit Episcopus, quod satis habere putaret Jurisdictionis ex *Bulla* Eminentissimi Magni Magistri, & ex Epistola Sacræ hujus Congregationis. Statum interim Hospitalis descripserunt Commissarii eo perducti, ut ,, tota structura cum tecto, claustris, foribus, fenestris, ut prudenter æstimare potuimus, vix adæquet pretium 200. florenorum Polonicalium alias viginti scuta Romana: *sex in eo pauperes erant*, *quibus necessaria quidem subministrabantur*, nam expensa pro omnibus sex mendicantibus efficit summam flerenorum Polonicalium 470., qui redacti in scuta Romana efficiunt sc. 47.,,: Contra vero Commendæ redditus, ut a conductoribus in jus vocatis rescitum fuit, ascendunt *ad sc.* 1200 *monetæ Romanæ ultra importantiam Villarum Maniersо, & Ranzin*. Post hæc Episcopus jussit, ut Commendatarius ad audiendam sententiam citaretur, sed ille, qui pridem appellaverat ob excessum, ut censebat, jurisdictionis, fugit judicium Episcopi, & Romam venit, itaut nullam Episcopus sententiam tulerit.

Post-

ostquam Romam venit Commendatarius, preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, quibus per errorem narravit Episcopum cognovisse suppositis literis Sacræ hujus Congregationis: precibus rescriptum fuit,, Al Cardinal Prefet-,, to del Concilio, che ordini a Monsig. Vescovo la trasmissione degl' atti,, della sua Visita fatta alla Commenda,,. Datis itaque ad Episcopum literis, transmissus ab eo fuit actorum Processus. Appellavit inde Commendatarius a sententia Nunciaturæ expedita coram A. C. Appellatione, sed a Tribunali Signaturæ moderata fuit inhibitio, & Causæ cognitio data Sacro huic Tribunali, a quo fuerat præventum. Atque hæc a Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis, & a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Posnaniensis narrantur: Paulo aliter Commendatarius, qui onus Parochi esse dicit curam Hospitalis, & Pauperum. Quinque igitur Capitibus controversiæ omnes collectæ fuerunt: Capita sunt.

An constet de facultatibus Rmi Episcopi Posnaniensis se intromittendi in cognitionem litis introductæ contra Commendatorem a Capitulo Cathedralis Posnaniensis, & Parocho S. Joannis, itaut illius acta sint circumscribenda in casu &c.

I. *An Commendator Posnaniensis teneatur ad manutentionem Hospitalis?* Et quatenus affirmative.

II. *An sufficienter hucusque ejusdem Hospitalis, & Pauperum manutentioni satisfactum fuerit?*

V. *An idem Commendator teneatur petere Installationem in Choro a Rmo Capitulo Posnaniensi, eique solvere solita emolumenta pro eadem installatione ad formam judicati in casu &c.*

An idem Commendator teneatur præsentare Rmo Episcopo Vicarium, qui ejus nomine Ecclesiæ Cathedrali deserviat in Divinis, eique opportunum emolumentum subministrare ad formam prædicti judicati Rmi Nuncii Apostolici Poloniarum in casu &c.

Ad primum non esse locum circumscriptioni actorum. Ad secundum affirmative, & amplius. Ad tertium dilata, & scribatur Nuncio Apostolico juxta instructionem. Ad quartum affirmative. Ad quintum affirmative.

APRUNTINA MATRIMONII: Nullum dicit Elisabeth Vincentii e Terra Notarisci matrimonium, quod contraxit cum Cæsare Presbytero e Terra Laureti, aut si matrimonium validum sit, negat cogi posse ad cohabitandum cum viro. Nullitatis causæ duæ sunt, prima vis, & metus saltem reverentiæ, quibus a Patruo, in cujus tutela curaque erat, adacta fuit ad contrahendum Matrimonium cum homine ignoto, & quem numquam vidit; altera defectus formæ, quia non constet de consensu Cæsaris. Rem ita narrat; initio anni 1750. Sacerdotem Titium Patruum eam insciam despondisse Cæsari Presbytero, certiorem inde fecisse Puellam, quæ egrè tulit, sed Patruo renuere non audens, curavit tantum, ut Matrimonium in longum protraheretur, temporis aucupando beneficium, sed Patruus ita rem ursit, ut constituta fuerit ad matrimonium contrahendum dies 25. Martii eodem anno, tanta vero festinatione Matrimonium actum fuisse, ut nulla licet impellente causa unica præmissa denunciatione die 22. ejusdem mensis, quæ erat Dominica Palmarum, biduo ante ipsam constitutam diem contractum fuerit, die nempe 23. ejusdem Mensis Martii. Testes habet Elisabeth de contraria voluntate sua hisce nuptiis, tractamque ad Matrimonium fuisse, sed cum his testibus non conveniunt, qui in contestes vocantur. Hæc primum nullitatis caput quod est de vi metuque illato, respiciunt: ex facto, quod narrare pergimus, oritur alterum, quod est de formæ defectu. Die igitur illa 23. Martii convenerunt in domum Puellæ Parochus, Testes, & quidam Cirus Amorotti, qui sese Cæsaris absentis Procuratorem asserebat. Adventa, sive, ut ipsa dicit, tracta Puella, postulante Parocho a Ciro Procuratore mandatum Cæsaris, *Sess. 24. c. 1. & 9. de Ref.*

Ci-

Cirus Parocho chartam tradidit complicatam. Chartam hanc neque Parochus, neque Testes, neque alius ullus ex iis, qui aderant, aperuit, aut legit, itaut nemo conscius esse potuerit de veritate, & validitate mandati, de persona Procuratoris, de voluntate, & consensu Cæsaris, atque ita Matrimonium contractum fuit.

Tanta inde negligentia Parochus ille usus est, ut vel per errorem quia re ipsa ignoraret, quisnam fuisset sponsus, quisve Procurator, in libris Parochialibus scripserit Matrimonium contractum fuisse a Ciro, non a Cæsare, itaut Cæsar, qui sponsus erat, descriptus fuerit Procurator Ciri, & Cirus, qui Procurator fuit, descriptus fuerit sponsus Elisabeth: Atque hic error irrepsit etiam in libris Ecclesiæ Matris in quibus describuntur Matrimonia, licet in aliis Ecclesiis Parochialibus contracta: neque hic finis est negligentiæ Parochi. Mandatum procuræ, quod Parocho traditum fuit, omnibus licet adhibitis diligentiis, repertum non fuit, neque autographum ipsum alligatum fuit, ut opus erat libro Matrimoniorum, neque exemplatum in libro, itaut etiam nunc ignoretur, an vere mandatum fuerit, an vere Cirus fuerit Procurator constitutus, an Cæsar consensum præstiterit, idque an pure, an conditione aliqua adjecta. Hisce nuptiis contractis, neque puella ad viri patriam quindecim mille passibus dissitam traducta fuit, neque vir ad eam accessit, itaut Matrimonium consumatum non fuerit. Interim vero parabantur vestes, gemmæ, mundus muliebris, omnia hæc ad Elisabeth mittebantur, conscriptæ etiam fuerunt inter eam, & Cæsarem, Socerumque Epistolæ: sed repente exorta est diffamatio quædam domus Presbyteri in Terra Notarisci, quæ in causa fuit, ut gravissimæ inter utramque familiam orirentur inimicitiæ, & ad arma deventum fuisset, nisi provido Serenissimo Regis jussu coacti fuissent utriusque partis consanguinei, & affines ad quartum usque gradum cautionem præstare *de non offendendo*. Constans igitur Elisabeth in voluntate sua cohabitandi cum inviso viro preces obtulit mense Decembri anni 1751. Sanctissimo Domino nostro, quibus petebat *dispensationem Matrimonii rati, & non consumati:* rescriptumque fuit - *utatur jure suo* - de causa tamen cognoscere noluit Episcopus Apruntinus, quod certo non constet, an terra Notarisci sit de Diœcesi.

Iterum igitur adiit Elisabeth Sanctissimum Dominum Nostrum, a quo die 3. Martii anno 1752, rescriptum est - *recurrat ad Sac. Congregationem Concilii quoad prætensam nullitatem tantum* - Datæ igitur fuerunt literæ ad Episcopum Apruntinum, ut moris est; sed magis magisque excreverunt inimicitiæ, ut Pars utraque mutuo consensu non sine injuriis, & contumeliis per publica instrumenta restituerit, quod ab altera acceperat, & consensum præstiterit dissolutioni Matrimonii, & dispensationi impetrandæ. Processum fecit Episcopus, coram quo Cæsar, qui in alia Diœcesi Pinnensi est, non venit, & ad hoc Sacrum Tribunal misit; plura refert in epistola, quæ licet fortasse seorsim sumpta, nullitatem Matrimonii probare nequeant, *conjuncta, & coacervata gravissimæ tamen sint ponderationis*, & si etiam satis non sint, censet *Sanctitatem Domini Nostri solita ejus Clementia huic matrimoniali contractui posse dispensare*. Causa nunc proponitur, &, datis libellis, pugnant hinc inde Elisabeth, & Cæsar: Elisabeth nullitatem substinet Matrimonii, Cæsar validitatem: Addit Elisabeth, ut si forte Eminentissimi Patres censeant Matrimonium illud validum fuisse, *consulant saltem Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consumati*, cum ad hanc dispensationem satis esse debeant causæ, quæ ad probandam nullitatem proponuntur. *A Defensore Matrimonii* nihil habuimus. Duo sunt Causæ Dubia.

I. *An constet de nullitate Matrimonii?* & quatenus negative.

II. *An juris remediis, ac etiam per censuras cogenda sit Elisabeth de Vincentiis præstare obsequia matrimonialia Cæsari de Presbyteris in casu &c.*

Reliquæ non propositæ.

TRI-

TRIDENTINA INVESTITURÆ. Cum Villa Aldoni proprium Parochum non haberet, sed subesset Parochiæ Terræ Cimonii, Episcopus Tridentinus anno 1708., ut incommodis omnibus, quæ ex locorum distantia, & itinerum difficultatibus oriebantur, prospiceret, facultatem dedit in Sacra visitatione novam in Villa Parochiam erigendi. Hac facultate motus Jacobus Antonius Baldus testamento, quo anno 1709 decessit, jussit, ut extincta descendentia sua masculina, & fæminina, ex bonis hæreditatis suæ cura animarum constitueretur in Ecclesia SS. Viti, Zenonis, & Modesti ejusdem Villæ, dato jure eligendi Parochum descendentibus a Petro Baldo, & Matthia Augustinio, hisque omnibus defectis, Universitati Villæ. Defecit an 1714. descendentia Testatoris, & Baldus atque Augustinius, quibus patronatus jura data fuerant, preces obtulerunt Episcopo Tridentino, ut cura animarum erigeretur in Villa, & Sacerdos Joannes de Georgeis, quem elegerunt, approbaretur. Episcopus, servatis omnibus, quæ servanda erant, anno 1717. Parochiam novam erexit, reservato Jurepatronatus familiæ Baldi, & Augustini; approbavit etiam Joannem de Georgeis, adjecta clausula - *Juribus tamen nostris, Successorum nostrorum, & Ecclesiæ Tridentinæ semper salvis, & expresse reservatis* - eumque in possessionem immisit. Sed inde orta inter familias Baldi, & Augustinii, ac Universitate Aldeni quæstione de jure patronatus, Joannes de Georgeis possessioni renunciavit, & Episcopus „ pro bono pacis, & ad bonum finem, & effectum captam per ipsum possessionem dicti Beneficii Baldo revocavit, annullavit, & irritavit, salvis „ juribus Partium.

is tandem transactione sopita fuit, pactoque convenerunt ut, jus activum ad Communitatem spectaret, passivum ad Sacerdotes de familia Baldi, & in horum defectum de familia Augustini. Transactionem confirmavit Episcopus, „ salvo tamen semper jure Reverendissimi Officii spiritualis, & sine minimo „ ejusdem præjudicio etiam in puncto approbationis cujuscumque Curati, qui „ pro tempore fuerit. „ Communitas igitur Curatum elegit Petrum Baldi; Hunc interpellavit Curia Episcopalis, ut *investituram* ab eadem Curia reciperet. Obstitit Communitas, & Causa in Consistorio Tridentino acta, pronunciatum fuit „ teneri R D. Petrum Baldo Beneficii Curati Aldeni possessorem ad recipiendam investituram dicti Beneficii Baldo, & ejus successores Curatos eadem lege adstrictos esse. „ Appellavit Communitas, & appellationis Causa delata fuit ad hoc Sacrum Tribunal, disputatque Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis *investituram*, sive ea accipiatur pro institutione, sive (ut communiter placet) pro immissione in actualem possessionem Beneficii, & ad Episcopum pertinere, non ad Laicum Patronum, non ad Archidiaconum, mutata a sæculo Christi X. veteri disciplina, & abrogata penitus omni Archidiaconorum Jurisdictione, & potestate, quæ ad Episcopos rediit, a quibus proveniebat, idque ex Juris dispositione apertum esse, & ex reservationibus adjectis a Curia Episcopali in omnibus actibus approbationum juxta verba, quæ supra retulimus. A Communitate Aldeni nihil habuimus. Dubium est.

An Curatus pro tempore Villæ Aldeni teneatur recipere Beneficii Curati Baldo investituram a Curia Episcopali Tridentina seu potius a Patronis ejusdem prætensi Beneficii in casu &c.

Sess.14. c.13. de Ref.

GNESNEN. MATRIMONII. Post decennalem cohabitationem cum Sigismundo Lakinski viro, & post plures susceptos ex eo liberos, quorum duo adhuc vivunt, nullitatem matrimonii, quod cum eo contraxit, propo. suit Catharina Zabteki, nullitatis causa adducta, quod vi metuque a patre illato illud contraxerit. Dato igitur defensore Matrimonii, & editis ab utraque Parte articulis, ut mos est earum Regionum, plures testes auditi fuerunt, ex quibus constat de contraria voluntate Catharinæ tum ante Matrimonium,

Sess.24. c.9. de Ref. Matr.

nium, tum ipso Matrimonii tempore, tum post initum matrimonium. Qui enim sponsalibus præsentes fuerunt, dicebant Patrem a reluctante Filia, quæ lacrymas fundens protestabatur *nubere nolle*, consensum extorsisse minis privationis nempe *Paternæ Benedictionis*, & *Dotis*, addunt abjecisse annulum, quo desponsata fuit; qui matrimonio fuerunt præsentes, dicebant lacrymis, & suspiriis replevisse domum, antequam rhedam inscenderet, qua ad Ecclesiam perducta fuit, *noluisse eam accedere ad Altare*, *neque Sacerdoti interroganti respondere voluisse*, itaut *Sacerdos reposuerit Rituale in Altari*, & cum jam jam discederet, Pater filiam increpando eam *manu trusit*, unde ipsa non sine lacrymis solemnia consensus verba protulerit: Alii Testes de fletibus, rixis, discordiis, jurgiisque post Matrimonium testificationem fecerunt. Sententiam tulit Officialis, qua nullum declaravit hoc Matrimonium. Causa nunc delata ad hoc Sacrum Tribunal, eadem nullitatis ratio urgetur a Catharina, quæ disputat vehementem dicendam esse vim a Patre illatam, cum res sit de fœmina imbelli. Contra *Defensor Matrimonii* negat ex his satis probari eam vim, quæ consensum auferre potuerit, cum Pater animo potius jactandi, quam cogendi minatus fuerit privationem *Benedictionis*, & *Dotis*. Repugnantiam, lacrymas, silentium, & si quæ alia gesta sunt sponsalium, & matrimonii tempore, virgineo pudori tribuenda esse non vero deliberatæ voluntati, quæ contraria esset huic Matrimonio; Quod Pater eam *manu truserit* nihil esse, cum *trudere* non sit *percutere*, præsertim cum Testes non conveniant de loco corporis, quo Pater eam *trusit*. Hæc Defensor: Dubium est.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Sess. 22. c. 5. de Ref. NARNIEN. CAPPELLANIÆ: Testamento; quo anno 1691. decessit Lucia Montarellia jussit, ut in Parochiali Ecclesia S. Mariæ in *Pensulis* erigeretur Cappellania, assignatis in dotem 13. Locis Montium. Primum Cappellanum ipsa testatrix nominavit nepotem suum Paulum Mezzani musicum; Jus vero Cappellanos successores nominandi legavit Episcopis Narniensibus, qui tamen nominare tenerentur „ essendovi Parenti di essa Testa„ trice uno de' suoi Parenti, che voglia attendere ad essere Ecclesiastico. „ *Onera vero, quibus Cappellanos adstrictos voluit, his verbis expressit*: „ con peso, che detto Cappellano sia tenuto celebrare, o far celebrare in „ detta Chiesa una Messa al giorno, fin tanto che sarà consolidato e riunito „ coll' eredità, e sua proprietà l' infrascritto usufrutto riservato a favore „ di Giosеppe Parasini suo marito, oppure quando ricaderà a favore della sua „ Eredità una possessione donata da essa Testatrice alli Signori Adriano Ge„ raldini, e Paola Gansacchi conjugi d' Amelia con le conditioni in essa do„ nazione espresse, e dopo il suddetto Cappellano sia tenuto solo celebrare „ cinque messe la Settimana in perpetuo in detta Chiesa, con questo, che „ sempre celebri, o faccia celebrare detta Messa in giorni festivi di Precetto, „ e di più, che detto Cappellano come sopra nominato sia tenuto andare „ nella Chiesa Cathedrale di Narni a cantare in choro & organo con la cotta „ ne' giorni soliti a cantarsi in musica, o a Cappella: „ Post hæc usumfructum suæ hæreditatis legavit Josepho Parisini viro, quem constituit in annuis sc.20., ac denique heredem universalem instituit.

Hæres scripta fuit Ecclesia S. Mariæ in Pensulis, „ e per essa il Rettore pro „ tempore, volendo che detto Rettore non possa applicare per se medesimo „ cosa alcuna, nè della proprietà, nè del frutto della mia eredità, ma il „ frutto si debba applicare in benefizio, e servizio della Chiesa, supelletti„ li, lavori, con peso perpetuo di due Messe la Settimana in giorni feriali, „ quando tornerà l' usufrutto lasciato a Giuseppe, oppure la possessione do„ nata alli Signori Geraldini, e Paola, quali due Messe si debbano celebrare „ nella suddetta Chiesa ne' giorni da concordarsi col suo Cappellano, ad ef-

„ fet-

„ fetto, che ogni giorno vi si celebri la Messa, e per elemosina di dette „ Messe detto Rettore possa prenderli bajocchi 47. e mezzo, come è stato „ tassato nelli oblighi perpetui „. Morte obita a Testatrice, non longe post obiit etiam Paulus Mezzani primus Cappellanus ab ipsa nominatus, & Franciscus Mezzani defuncti frater, qui in ea succedere volebat, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus petebat, ut sacrorum numerus reduceretur, quod fructus Locorum Montium impares essent oneribus Cappellano datis. Auditus Episcopus vera esse respondit, quæ a Francisco proponebantur, addidit Parochum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Pensulis teneri Cappellaniam erigendam „ de suppellictilibus Sacris, aliisque necessariis in celebratione „ providere, quo casu eleemosyna in hac Diæcesi solet taxari in obulis 10. „ pro qualibet Missa, *censuitque demum reductioni locum esse posse, quod* „ sibi videretur nimis grave onus assistendi Choro, quoties musice canitur in „ Cathedrali, quod solet fieri in omnibus diebus festis, & sub ritu duplici, „ cum ex dictis locis Montium, solutis expensis necessariis pro exactione „ fructuum, remaneant ad favorem dicti Cappellani vix scuta tria. *Sacra* „ *igitur hæc Congregatio die* 21. *Junii* 1692. *precibus Francisci rescripsit, ut* „ *Episcopus*, veris existentibus narratis, & vocatis si qui fuerint vocandi, „ ac deleto onere assistendi in Choro, & decantandi, onus præfatum juxta „ proportionatam extantium redditum quantitatem ad rationem eleemosynæ „ perpetuæ inspecto Regionis more, pro suo arbitrio, & conscentia mode„ raretur, & reduceret.

Voluit Episcopus post hoc rescriptum Cappellaniam erigere, sed obstitit Capitulum Ecclesiæ suæ Cathedralis, a quo denegabatur assensus *deletioni oneris assistendi in Choro, & decantandi*, ideoque Franciscus Mezzani novas hac de re preces obtulit Sacro huic Tribunali. Iterum igitur auditus Episcopus momenta rationum retulit, quibus Capitulum renuebat, ut onus illud deleretur; ea erant quod Cappellanus pro sacrificiis nihil egeret, cum & suppellectilibus aliisque necessariis satis consultum fuisset a Testatrice; quod Cappellanus ab onere duorum Sacrorum levaretur, ubi ususfructus a Testatrice legatus Josepho Parisini Viro sexagenario cessaret, aut bona donata Hadriano, & Paulæ conjugibus Geraldinis ad hæreditatem reverterentur; quod denique Capitulum paratum esset *musicæ rationis peritum invenire, qui dictam Cappellaniam omnibus cum Testatricis oneribus amplecteretur*. His tamen rationibus spretis, Sacrum Tribunal die 20. Septembris eodem anno 1692. censuit: „ Servandum & exequendum esse decretum diei 11. Junii proximè „ præteriti, addita clausula quod purificatis enunciatis conditionibus in te„ stamento appositis, tunc proportionabiliter augeri deberent onera juxta „ redditum augmentum, & ad formam testamenti; *Atque ita tandem Epi*„ *scopus Cappellaniam erexit*, onusque assistendi choro, & decantandi de„ levit cum onere celebrandi ex fructibus Locorum Montium Missas ad ratio„ nem perpetuæ nempe ad rationem obulorum 17. ÷ pro qualibet per d. Sac. „ Congregationem reduct. ad formam prædictorum rescriptorum „; Cappellaniam vero obtinuit Franciscus Mezzani, eoque inde defuncto, cum nullus ex consanguineis testatricis existeret, collata fuit ab Episcopo tunc temporis Matthiæ Scolari, addito contra rescripta Sacri hujus Tribunalis onere canendi in Choro, & Organo, ut disposuerat Testatrix.

Onus hoc implevit Matthias, quamdiu Narniæ moram traxit, sed cum paulo postea Civitatem illam deseruisset, & sese contulisset in Castrum *Pieve Torine* Diœceseos Camerini, in quo per triginta & ultra annos vixit, Cappellaniæ quidem possessionem retinuit, onus vero non implevit. Hic nuper decessit, & Paulus Mezzani tamquam de genere vocatorum Institutionem postulavit ab Episcopo, sed Episcopus renuit ea ratione, quod cum ipse in Ecclesia Spoletana Canonicatum obtineret, non posset onus canendi in choro, & organo Ecclesiæ Cathedralis Narniensis subire: obstitit Paulo etiam Capitulum ejusdem Cathedralis; ideoque res ad judicium Sacri hujus Tribunalis dedu-

cta fuit. Urget Paulus decreta anni 1692., quæ supra retulimus, quibusque hoc onus deletum fuit: contra vero Capitulum, morte Josephi Parasini cessasse usumfructum, & defunctis quoque Hadriano, & Paula conjugibus Geraldinis sine filiis, bona donata ad hæreditatem Testatricis reversa fuisse, ideoque locum esse augmento onerum juxta reservationem factam ab hac Sac. Congregatione in secundo decreto anni 1692.: posse igitur cogi novum Cappellanum ad canendum in choro, & Organo ad formam testamenti Fundatricis. Respondit Paulus falli Capitulum, nam si morte Josephi cessavit ususfructus, si morte conjugum Hadriani, & Paulæ Geraldini bona donata reversa sunt ad hæreditatem compendia hæc non cedunt lucro Cappellanorum, sed lucro hæreditatis, quæ data fuit a testatrice Parochiali Ecclesiæ S. Mariæ in Pensulis, non vero Cappellaniæ, & consequenter, non auctis Cappellaniæ redditibus, locum esse non posse augmento oneris. Hæc summa causæ est. Dubium vero expediendum.

An, stante purificatione conditionum in testamento appositarum, sit locus augmento onerum celebrationis Missarum quinque pro qualibet Hebdomada, & cantus ad formam supradicti testamenti in casu &c.

Die Sabbathi 9. Februarii 1754.

QUatuor, quæ sequuntur, Causæ, in ultima amplissimi Ordinis Congregatione habita die 19. transacti mensis Januarii proponi non potuerunt, ideoque rogamus Eminentissimos Patres, ut ad eas definiendas Folium ejusdem Congregationis iterum consulant.

Sess. 24. c. 1. & 9. de Ref. Matr.

APRUNTINA MATRIMONII, cujus duo sunt capita.

I. *An constet de nullitate matrimonii?* & quatenus negative.

II. *An juris remediis, ac etiam per censuras, cogenda sit Elisabeth de Vincentiis præstare obsequia matrimonialia Cæsari de Presbyteris in casu &c.*

Ad primum negative, ad secundum Affirmative, & amplius.

Sess. 14. c. 13. de Ref.

TRIDENTINA INVESTITURÆ, in qua quæritur.

An Curatus pro tempore Villæ Aldeni teneatur recipere prætensi Beneficii Curati Baldo investituram a Curia Episcopali Tridentina, seu potius a Patronis ejusdem prætensi Beneficii in casu &c.

Dilata ad primam post Cineres.

Sess. 24. c. 9. de Ref. Matr.

GNESNEN. MATRIMONII, cujus dubium est.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes juxta instructionem.

Sess. 22. c. 8. de Ref.

NARNIEN. CAPPELLANIÆ, in qua quæritur.

An stante purificatione conditionum in Testamento appositarum, sit locus augumento onerum celebrationis Missarum quinque pro qualibet hebdomada, & cantus ad formam prædicti Testamenti in casu &c.

Negative, & amplius.

Me-

MEDIOLANEN. NULLITATIS MATRIMONII: Hæc quoque causa data fuit in Folio ultimæ Congregationis, dubioque ejus, quo quærebatur - *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* - respondit Sacrum Tribunal - *Affirmative* - Redit nunc ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, & respondendum est. *Sess. 24. c. 16. de Ref. Matr.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

NEBBIEN.: Proposita fuit hæc causa in Congregatione habita die 17. Novembris anno nuper transacto: quatuor erant ejus Capita „ I. An, & „ cui spectet celebratio Missæ solemnis in Cathedrali Ecclesia Nebbien. absente Episcopo? II. An suspensio, & pœna per Reverendissimum Episcopum Nebbien. comminatæ contra Archidiaconum Gentile substineantur? „ *& quatenus negative*. III. An ipse Archidiaconus Gentile teneatur ad distributiones quotidianas tempore suspensionis? IV. An Reverendissimus „ Episcopus teneatur ad refectionem expensarum damnorum, & interesse in „ casu &c. *Responderunt Eminentissimi Patres* - Ad I. Affirmative favore „ Archidiaconi: Ad II. negative: Ad III. Archidiacono deberi distributiones quotidianas: Ad IV. Teneri ad restitutionem scut 100., & in reliquis „ ad Dominum Secretarium „ . Judicium hoc retractari postulat Promotor Fiscalis, & nunc expediendum est Dubium. *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius, & quoad restitutionem scutorum centum ad D. Secretarium juxta mentem.

BASILEEN. Causa hæc, quæ data fuerat in folio Congregationis habitæ die 22. mensis Septembris anno nuper elapso, nec tamen fuerat proposita, iterum data fuit in folio Congregationis habitæ die 15. Decembris, responditque Sacrum Tribunal *Dilata ad secundam post Reges*. Imperio igitur Eminentissimorum Patrum obsequentes eam nunc damus, ut repetita lectione Folii Congregationis habitæ die 22. Septembris, tria, quæ supersunt, ejusdem Causæ dubia expediantur. *Sess. 23. c. 15. de Regul.*

XI. *An P. Humbertus Pfaundler incurrerit suspensionem a Divinis, & irregularitatem ob Confessiones exceptas a Monialibus Monasterii Olsberg non obstante præcepto Curiæ Episcopalis Basileensis.*

XII. *An Ordinarius Basileensis visitare possit Moniales, & Monasterium Olsberg?*

XIII. *An Episcopus Basileensis cogere possit quoscumque Sacerdotes, sive sæculares, sive regulares tam Cisterciensis, quam alterius cujuscumque Ordinis, sive deputatos, sive deputandos a Reverendissimo P. Generali Cisterciensium ad gubernium dicti Monasterii Olsberg in casibus contentis in dubiis resolutis, & respective resolvendis ab hac Sacra Congregatione per mulctas pecuniarias piis usibus applicandas, necnon etiam per Ecclesiasticas censuras in casu &c.*

Ad XI. Affirmative, & amplius. Ad XII. Affirmative ad formam Constitutionum Apostolicarum, & præsertim Gregorii XV., & Clem. X., & amplius. Ad XIII. Affirmative ad formam Constitutionum Apostolicarum.

ELVEN. Latifundia possidet Abbas Ullissiponensis Monasterii S. Benedicti de Salute prope Villam *Alandroal* in Elvensi Diœcesi Milliariis 75. a Monasterio dissita, in quibus vineta plantavit, domumque extruxit, præposito omnibus Ordinis sui Regulari, cujus commodo consulere cupiens prope Domum Ecclesiam ædificari curavit, inconsulto tamen Elvensi Episcopo, quæ du- *Sess. 22. Decr. de Obser. & Evit. in alib. Miss.*

duplicem habet portam, alteram interiorem e Domo, quam incolit Regularis, externam alteram, publicamque. Adſtat Eccleſiæ Turris Campanaria: Opere impleto, Eccleſiam benedixit Abbas, inconſulto Epiſcopo, adſcitis nonnullis Eccleſiaſticis proximæ Villæ, qui Sacra egerunt in nova Eccleſia etiam diebus Feſtis, Populoque Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrarunt. Certior de his omnibus factus Epiſcopus Elvenſis Eccleſiam interdicto ſuſpendit, proceſſum inſtituit adverſus Sacerdotes tum ſæculares, tum Regulares, qui in eadem Eccleſia Sacra egerant. Appellavit Abbas ad Tribunal Nunciaturæ, & poſt appellationem novo muro Eccleſiam omnem circumcluſit, ea fortaſſe mente, ut Eccleſiam faceret privatam; Novus tamen hic paries Januam habet, quæ Januæ Eccleſiæ reſpondit. At Epiſcopus, adito Sanctiſſimo Domino noſtro, poſtulavit, ut audito Nuncio, Cauſam ipſe definiret.

Datis igitur ad Nuncium Apoſtolicum literis, auditus fuit Epiſcopus, auditus fuit Abbas. Proponebat Abbas, urgebatque Ordinis ſui Privilegia, ſed Nuncius animi ſui ſententiam aperuit ſecundum Epiſcopum. Poſt hanc Nuncii opinionem auditam, cognitio Cauſæ data fuit Sacro huic Tribunali, Abbate jam monito a Nuncio Apoſtolico, ut jura ſua Emis Patribus proponeret, *ſin minus reſolutionem in ejus contumaciam captum iri*. Nonus jam labitur menſis, neque Abbas in jus adhuc venit. Poſtulat igitur Epiſcopus Elvenſis, ut ab Emis Patribus tria, quæ ſubiicimus, Dubia definiantur, urget enim juris diſpoſitionem, ex qua nulli licet Eccleſias ædificare ſine conſenſu Epiſcopi, nulli licet, Epiſcopo inconſulto, Eccleſias benedicere, & in iis Sacramenta miniſtrare: Id Juris cuſtodiendum eſſe, licet res ſit de Regularibus; Privilegia enim, quæ Regularibus data ſunt a Summis Pontificibus, interpretati debent *ſine præjudicio Jurium Epiſcopalium*. Hinc arguit ſubſtinendum eſſe Interdictum: neque mutare, quod res ſit de Eccleſia privata, non publica, cum non licuerit Abbati Eccleſiam, quæ publica ædificata fuerat, privatam reddere novo muro circumducto, licet ne ita quidem privata facta fuerit, cum murus exterior portam habeat januæ Eccleſiæ reſpondentem: Addit in idem recidere, etiamſi res eſſet de Eccleſia, ſeu Oratorio privato, nam ſine Privilegio Apoſtolico, & ſine Epiſcopi deſtinatione vetitum eſt in Oratorio privato Sacra agere, ideoque poſſit Epiſcopus de jure procedere contra Sacerdotes ſive Sæculares, ſive Regulares, qui in eo Sacra egerunt, & Sacramenta miniſtrarunt. Hæc Epiſcopus Elvenſis. Dubia ſunt.

I. *An licuerit Abbati S. Benedicti de Salute Civitatis Liſbonæ Eccleſiam ruralem ædificare in Villa de Alandroal, inſcio Epiſcopo Elvenſi, eamque ſolemniter benedicere, Sacra peragere, & Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare in caſu &c.* & quatenus negative.

II. *An ſubſtineatur Interdictum latum ab eodem Epiſcopo, itaut poſſit etiam prout de Jure procedere contra Sacerdotes Sæculares, & Regulares, qui inibi celebrarunt, aut celebrant in caſu &c.*

III. *An murus exterior fabricatus poſt promulgationem dicti interdicti circum dictam Eccleſiam, & habens Januam correſpondentem alteri Januæ ejuſdem Eccleſiæ conſtituat illam Cappellam, aut Oratorium privatum in caſu &c.*

Ad primum negative ad ſecundum Affirmative.

Seſs. 24. c. 12. de Ref. SORANA: Duæ in nobili, frequentique Oppido S. Donati Soranæ Diœceſeos vetuſtis temporibus erant Parochiales Eccleſiæ diſtinctum Populum, ambitumque diſtinctum habentes, altera dedicata S. Donato, quæ ab Abbate Curato regebatur, altera deditata S. Mariæ & S. Marcello, cui præerat Archipreſbyter. Utraque erat receptiva, & quilibet ex Civibus in Sacris Ordinibus conſtitutus ad participationem fructuum illius Eccleſiæ Parochia-

chialis, cui subjectus erat, admittebatur; portio integra Sacerdotibus, dimidia Diaconis, & Subdiaconis tribuebatur. Parochialem S. Mariæ, & S. Marcelli, cujus tenues redditus erant, anno 1569. alteri Parochiali Ecclesiæ Sancti Donati univit Episcopus Gilius. Hunc æmulati successores Episcopi, ut ejusdem Ecclesiæ, suique Cleri redditus augerent, tum simplicia Beneficia, tum Cappellanias, tum denique plurima Bona, suppressis quibusdam Sodalitiis, in eam contulerunt frequentibus unionibus, sed cum neque his consultum satis viderent numerosis Participantibus, tandem Episcopus Salomonius anno 1594., dum Sacram ageret Visitationem, ex postulatione ipsius Capituli decrevit „, sine præjudicio eorum, qui ad præsens vi-
„ vunt, fore, & esse præfigendum numerum, prout præfigit decem tan-
„ tummodo Sacerdotum videlicet Archipresbyterum, & Abbatem, & octo
„ alios Sacerdotes, qui in posterum participare debeant de omnibus, & sin-
„ gulis fructibus, & redditibus Bonorum ejus Capituli, quibus singulis Sa-
„ cerdotibus obeuntibus pro tempore succedant alii in Sacerdotio existentes
„ antiquiores, & magis idonei.

Numeratam Ecclesiam Episcopus Joannellius anno 1610., editis in Sacra Visitatione pluribus decretis de recitatione divini Officii in Choro, declaravit „
„ esse Collegiatam, eique inservire Archipresbyterum, Abbatem, & octo
„ Canonicos, & mandavit Officium nedum recitari in Choro, sed fieri li-
„ brum punctatorum, *& rursus nova Visitatione anni* 1615. *iterum* decla-
„ ravit, & erexit Ecclesiam prædictam in Collegiatam cum Abbate, Ar-
„ chipresbytero, & octo aliis Canonicis, quorum duo ultimi inservirent pro
„ Diacono, & Subdiacono, & mandavit fieri librum punctatorum, vacan-
„ tias non debere decedere mensem, prout in Cathedrali Soræ, succedente
„ obitu Canonicatus, Præbendas providere juxta Regulas Cancellariæ „.
Alia quoque eumdem Episcopum in aliis posterioribus Visitationibus decrevisse de Officii recitatione, de Sacro solemni agendo, & similibus narrat, qui nunc Soranæ Ecclesiæ præest, Episcopus; Sed an hæc decreta exequuta fuerint, ignoratur. Illud certum est anno 1709. in provisione Archipresbyteratus facta a Sede Ecclesiam nuncupatam fuisse Parochialem, & Archipresbyteratum collatum fuisse tamquam *perpetuum simplex Beneficium Ecclesiasticum*; Octo vero Loca, ubi eorum vacatio contigit, solo consensu, & beneplacito Episcoporum impleta fuisse ab antiquioribus in Ecclesiæ servitio Sacerdotibus. Cum vero nuper Sacram ageret Visitationem Soranus Episcopus, Antecessorum suorum vestigia premens novit negligi in ea Ecclesia recitationem divini Officii, decrevitque, ut ejus Sacerdotes *quotidie in Choro recitarent horas matutinas, & non vespertinas*, certa indicta poena in contumaces. Ægre tulerunt hoc Decretum Archipresbyter, Abbas, aliique octo Sacerdotes, & decreverunt ab eo appellare, sed cum Tabellio eamdem Appellationem non Promotori Fiscali, ut debebat, sed ipsi Vicario Generali tradidisset, in carceres conjectus fuit, & Capitulum novam in Tribunali A. C. appellationem interposuit.

Rescripto Tribunalis Signaturæ Causæ cognitio Eminentissimis Patribus data fuit. Auditus Episcopus totus est in demonstranda justitia decreti: Ait rem esse de Ecclesia Collegiata, licet non Insigni, & de veris Canonicis, talem eam demonstrare uniones ab Episcopo Gilio ejusque successoribus ea mente factæ, ut Ecclesiam illam Parochialem redderent Collegiatam, congruique ipsi redditus essent, quibus dignitati Canonicorum consuleretur, talem designari a reductione, & præfixione numeri Sacerdotum, qui redditus integros perciperent, talem demonstrare declarationes Episcoporum in Visitationibus, denominationes Populi, & in actibus publicis præsertim vero in Literis Apostolicis, signum commune communem Arcam, librum Conclusionum Capitularium, aliaque indicia, & argumenta, e quibus qualitas Collegialitatis solet educi: Hinc dubitari non posse Capitulum, & Canonicos teneri ad horas in Choro persolvendas, præsertim, cum hoc onus dudum subierint,

rint, ut patere ait ex decretis Episcopi Joannellii: Hæc atque alia plurima Episcopus. Contra Sacerdotes S Donati disputant Episcopale decretum neque substineri, neque exequi posse: tenues esse redditus, onera plurima, neque hoc etiam addendum esse, quod neque a lege fundationis, neque a statuto, neque a consuetudine, neque a Juris dispositione datum fuit: Ecclesiam esse Collegiatam non probari, nullum enim edi sive expressum, sive præsumptum S. Sedis Privilegium: quæ ab Episcopo proponuntur, simplici etiam Sacerdotum Congregationi convenire: Si res non sit de Collegiata insigni, ut fatetur Episcopus, jam consequens esse, decretum non substineri, quod habere locum dumtaxat debet in Cathedralibus, aut Collegiatis Insignibus: Decreta Episcoporum nullum effectum habuisse: denominationes esse contrarias, cum in literis Apostolicis Parochialis dumtaxat Ecclesia hæc dicta fuerit: Archipresbyteratum, & Abbatiam non esse Dignitates definitum fuisse ab hoc Sacro Tribunali: Consuetudinem denique contrariam esse, cum numquam horæ Canonicæ persolutæ fuerint. Hæc atque alia Archipresbyter, Abbas, cæterique Sacerdotes. A Promotore Fiscali Curiæ Soranæ nihil adhuc habuimus, Dubium est.

An decretum factum in Sacra Visitatione sustineatur, & sit exequendum in casu &c.

Dilata ad primam post Cineres.

Die Sabbathi 16. Martii 1754.

DUÆ; quas primo loco subiicimus, causæ, in ultima Amplissimi Ordinis Congregatione habita die 9. transacti mensis Februarii dilationem obtinuerunt ad hanc Congregationem: damus itaque nunc eas obsequentes imperio Eminentissimorum Patrum, eosque rogantes, ut ad illas expediendas Folium dictæ ultimæ Congregationis iterum consulant.

Sess. 14. c. 13. de Ref.

TRIDENTINA INVESTITURÆ, cujus Dubium est.

An Curatus pro tempore villæ Aldeni teneatur recipere prætensi Beneficii Curati Baldo investituram a Curia Episcopali Tridentina, seu potius a Patronis ejusdem prætensi Beneficii in casu &c.

Affirmative ad primam partem, & negative quoad secundam, & amplius.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

SORANA, in qua quæritur.

An decretum factum in Sacra Visitatione sustineatur, & sit exequendum in casu &c.

Dilata, & exhibeantur documenta parti adversæ.

Sess. 21. c. 9. de Ref.

HADRIEN.; Proposita fuit hæc Causa in Congregatione habita die 19. superioris Mensis Januarii. Tria erant ejus Capita „ I An & ad quem „ pertineat Eremus, & Ecclesia ruralis sub Titulo S. Mariæ Gratiarum, „ nuncupata la Cona del Poggio cum suis adnexis posita in pertinentiis Civitatis Hadriæ, ejusdemque Eremi, & Ecclesiæ directio etiam œconomica, „ ac receptio redditionis rationis ab Eremitis in casu &c. II. An Edictum a „ Rmo Episcopo Hadrien. relaxatum in Sacra Visitatione quoad Eremitas „ dictæ Ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum sustineatur, itaut revisio, & appro-

„ batio

„ batio requisitorum, concessio habitus, & traditio literarum Patentium „ eisdem Eremitis ad effectum quæstuandi spectet ad dictum Rmum Episcopum, seu potius ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis in casu &c. III. An „ Electio, & nominatio Eremitarum dictæ Ecclesiæ facienda sit a Capitulo „ Ecclesiæ Cathedralis coram Ordinario; seu potius illorum electio libere „ spectet ad Rmum Episcopum in casu &c. - *Respondit his Sacrum Tribunal* - „ Ad I. spectare ad Episcopum: Ad II. Affirmative ad primam partem, & „ negative ad secundam: Ad III. Iterum proponatur „. Postulat nunc Capitulum retractari definitionem dictorum priorum Capitum; Tertium definiri: respondendum igitur est.

I. *An sit standum, vel recedendum a Decisis quoad I. & II. dubium in casu &c.*

II. *An Electio, & nominatio Eremitarum dictæ Ecclesiæ facienda sit a Capitulo Ecclesiæ Cathedralis coram Ordinario, seu potius illorum electio libere spectet ad Reverendissimum Episcopum in casu &c.*

Ad I Prævio recessu a decisis spectare ad Capitulum, salvo jure Episcopi petendi redditionem rationis a Capitulo. Ad II. In decisis, & amplius. Ad III. Electionem faciendam esse a Capitulo, approbationem ab Episcopo.

Sess. 24. c. 9. de Ref. Matr.

BAREN. NULLITATIS MATRIMONII: Captus illecebris Annæ Brunæ Chiaramonti nuptæ Modesto Sacchetti Incolæ Terræ Canneti Joseph de Staso Civis vicinæ Terræ Motroni eam frequentissime adibat, promisitque se eam Uxorem ducturum, cum Modestus, qui perpetuo ægrotabat, mortem obiret. Decessit Modestus anno 1734., & cautus Joseph numquam Cannetum petiit, numquam Annam revisit; Sed parum ei sua cautio profuit, fraudibus enim Annæ cum Cannetum venisset, in carceres conjectus fuit a Curia Baronali in qua Anna querelam illati stupri proposuerat. Carceres erant fœtidi, & teterrimi, perpetuum in ejus aures carmen insonabant Servi, & Satellites Baronis, aut ducendam esse Annam Uxorem, aut in carceribus moriendum. Constantissime tamen Joseph respondebat mori potius velle, quam Annam ducere. Squallorem, fœditatem, & duritiem carcerum, compedumque sustinuit Joseph plus quam quadraginta diebus, sed cum nosceret impossibile esse diutius in eo statu vivere, statuit Curiam, & Annam decipere simulando consensum in nuptias. Ubi id rescivit Baro, educi e carceribus Josephum jussit. Eductus fuit vinctus manibus, & stipatus Lictoribus in Aulam Palatii Baronis, quam subtus carceres erant. Circumdatus iisdem Lictoribus, solutus fuit vinculis tunc, cum advenit Parochus, qui eum cum Anna matrimonio junxit. Vix contracto matrimonio, fugit Joseph, & Motronum repetiit, inde in Ditionem Ecclesiasticam sese recepit; laresque suos fixit in Terra S. Laurentii Diœceseos Terracinæ, ubi conscius nullitatis matrimonii cum Anna contracti aliud iniit matrimonium anno 1747. cum Catharina Giannetti, e qua duos sustulit filios, re tamen comperta, separati fuerunt hi Conjuges anno 1750., donec nullitas prioris matrimonii a suis Judicibus declararetur.

Curavit igitur Joseph, ut suo nomine in Curia Archiepiscopali Barensi proponeretur querela nullitatis matrimonii vi metuque cum Anna Bruna contracti in Aula Palatii Marchionis Canneti. Sexies præfixus fuit ab illa Curia terminus Annæ ad jura sua proponenda, sed numquam venire voluit in jus, atque hisce terminorum repetitionibus duo anni absumpti fuerunt. Tandem superiore anno 1753. instructus, & completus fuit Processus Judicialis, examinatis Testibus juxta Articulos datos a Josepho, e quibus hausimus ea, quæ supra narravimus. Anna coram Vicario Foraneo, Sacerdotibus, & Notario solemnem emisit declarationem, qua fatebatur Matrimonium cum Josepho contractum nullum fuisse vi metuque ei a Curia Baronali Canneti illatis: Archiepiscopus tamen pronunciare noluit, & Causæ cognitionem detulit ad hoc Sacrum Tribunal. Oblatis itaque a Josepho precibus, data fuit, ut fieri solet,

let, epistola ad Archiepiscopum, qui iterum Annam interpellavit, ut sua jura proponeret, sed cum obstinate renuisset, præfixit terminum duorum mensium, ut ea in hoc Sacro Tribunali proponeret; ipse in epistola sua ea narrat, quæ in Processu sunt, abstinet tamen ab aperienda sententia animi sui. Lapso termino duorum mensium Annæ præfixo, omnibusque paratis, ut causa proponeretur, agnoverunt Josephi Defensores nullitatem Processus acti coram Archiepiscopo, cum citatus non fuisset Promotor Fiscalis, Defensor matrimonii deputatus non fuerit, nec servata fuerit forma constituta in novissima Constitutione Sanctissimi Domini nostri. Preces igitur ipsi oblatæ fuerunt, quibus postulabatur vel derogatio Constitutionis, vel ut res arbitrio Sacræ hujus Congregationis ageretur, datis omnibus facultatibus necessariis &c. Rescriptum fuit - *Proponatur Causa in Sacra Congregatione, & postea Orator, quatenus opus sit, iterum recurrat.*

Causa nunc proponitur, & disputat Joseph nullum fuisse matrimonium ab eo contractum cum Anna, vi metuque illato a Curia Baronali Canneti, a qua in durissimos carceres conjectus fuit, & perpetuo carmine personabatur vel ducendam esse Annam, vel in carceribus moriendum: dissensum Josephi manifestum fuisse e longa, quam sustinuit carceratione, & ex testibus, quibus animum suum aperuit, etiam antequam Annam duceret: Consensum ab eo præstitum coram Parocho spernendum esse, cum simulatus fuerit ad carceres, & mortem fugiendam, & cum non fuerit liber: Vinctus enim ipse, & stipatus lictoribus ductus fuit in Aulam Palatii Baronalis, neque solutus fuit, nisi ubi Parochus advenit: Argumentum autem voluntatis omnino contrariæ huic matrimonio vehementissimum esse, quod ipse, vix eo contracto fugerit, & animum suum declaraverit non verbis tantum, sed etiam facto, aliud scilicet matrimonium contrahendo: His addendam esse solemnem Annæ declarationem coram Notario, Sacerdotibus, & Vicario emissam. Hæc Joseph. A Defensore matrimonii nihil adhuc habuimus. Revocamus autem ad memoriam Eminentissimorum Patrum Causam *Triventina nullitatis matrimonii*, quam dedimus in Folio Congregationis habitæ die 30. Aprilis 1746., quæque uno Eminentissimorum Patrum consensu definita fuit die 14. Maii eodem anno, ut videre est in *Thesau. Resol. Sac. Congreg. Vol. XV.* Species enim simillima est. Dubium expediendum est.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Ad Eminentissimum Pro-Auditorem cum Sanctissimo juxta mentem.

Sess. 23. c. 1. de Ref.

TUDERTINA PAROCHIALIS SUPER PRIVATIONE: Factum hujus Causæ longos nos esse facit, dum breves esse laboramus. Oppidum est in Diœcesi Tudertina, quod *Aquila* nuncupatur: ejus Parochiam obtinuit superioribus annis Dominicus del Sette, eoque titulo ad Sacerdotium promotus fuit. Parochia satis uberes redditus habet, sed novus Parochus, neglecta bonorum cultura, eos plurimum diminuit. Pari negligentia usus est in cura Animarum, venationi siquidem deditus, ludis, & choreis etiam cum fœminis, licet Sacerdotibus sub pœna suspensionis vetitis, sæpe visus est tum extra, tum intra Oppidum sine vestibus clericalibus, sæpe rixare, sæpe infirmorum visitationem negligere. Inter hos mulier fuit, quam integro biennio, ne in Paschate quidem, Sacra Eucharistia refecit. His ab Episcopo cognitis, Parochum per aliquot dies in Civitate loco carcerum retinuit, inde absolvit, injuncto præcepto, ut a ludis, & venationibus abstineret in habitu, & tonsura incederet, ac bis singulis annis de Parochiæ administratione rationem redderet. Vix in Parochiam reversus Parochus in nova crimina prolapsus est. Ipso siquidem die festo Dominicæ Nativitatis, nullo relicto Sacerdote, qui sacrum faceret, Parochiam deseruit, & Assisium ivit, itaut plurimi Sacrum audire non potuerint. Certior de his redditus Episcopus Vicario suo mandavit, ut Processum instrueret. Licet autem animus Parochi satis

tis dignofceretur ex epiftolā ab eo data ad Amicum, in qua fignificabat *d'aver posta la chiave sotto la porta, e d' aver abbandonata la mia Cura per sempre*, plures tamen examinati fuerunt Teftes, qui de abfentia Parochi, & mala Curæ adminiftratione teftificationem fecerunt.

Poft hæc Oeconomus Parochi fumptibus Ecclefiæ deputatus fuit, & lapfo bimeftri Parochis a Tridentini indulgentia conceffo, trinæ per edictum monitiones præmiffæ fuerunt, ut Parochus ad Curam rediret. Hæc, non infcio Parocho, acta fuerunt, fed ille maluit potius Sacrum hoc Tribunal adire, & Proceffus circumfcriptionem petere, quam ad Parochialem redire. Audito, ut fieri folet, Epifcopo, Parochi poftulatio rejecta fuit. Nihil intactum reliquit Epifcopus, ut Parochum a contumacia removeret, eumque ad Parochiam revocaret: repetitæ plures fuerunt Judiciales, & extrajudiciales monitiones, novi termini ad redeundum præfixi, & renovati; tandem cum omnia in irritum ceffiffent, Sententia lata fuit a Vicario, qua pronunciatum fuit Dominicum del Sette incidiffe in pœnam privationis Curæ, eamque vacare, itaut de Parocho providenda effet. Appellavit Parochus ad hoc Sacrum Tribunal, dataque fuit ad Epifcopum epiftola, ut Acta tranfmitteret. Paruit Epifcopus, fed rem Judicio Emorum Patrum relinquens noluit litem fufcipere, itaut folus Parochus dubia obtulerit, actaque omnia egerit. Tudertum quoque petiit receptus in Nofocomio S. Crucis non uti Peregrinus, fed uti Confanguineus Fœminæ cujufdam, quæ infirmorum curam habebat: Hic graviffimorum Virorum literis commendatitiis adjutus Epifcopum convenit. Non recufavit Epifcopus eum redintegrare ad Parochiam, dummodo per aliquot dies exercitiis Spiritualibus vacaret; Renuit primo Parochus, & Tuderto difceffit, mox reverfus voluntati Epifcopi fatisfecit, & exercitiis operam dedit.

His expletis, melior factus non fuit, nam reftitutione fructuum, & reddituum Parochiæ non contentus, & dilatione oblata ad folvendas decimas menfæ Epifcopali, quarum a pluribus annis debitor erat, ac denique remiffione omnium expenfarum, quæ cefferant in folutionem onerum Cameralium, duo præcipuè poftulavit ab Epifcopo, ut ad Curam rediret, alterum, ut Epifcopus fua pecunia ftipendium folveret Oeconomo, alterum, ut revocaret præceptum, quo venatione, & ludo interdicebatur. Graviter commotus Epifcopus preces rejecit, Parochus vero, dato libello Emis Patribus, poftulavit reintegrationem ad Curam. Reintegrationi affenfum præftitit Epifcopus hoc unum poftulans, ut firmum remaneret præceptum. Decretum igitur latum fuit a R.P.D. Secretario „ Attento confenfu per Reverendiffimum Epifcopum „ præftito, mandavit Parochum del Sette citatum redire ad fuam Parochiam, „ & obedientiam ejufdem Epifcopi, & utramque partem ab expenfis abfo- „ lvit „. Verum ne hoc quidem decreto Parochus ad Curam redire, voluit, caufatus præftandum effe confenfum ab Epifcopo fpeciali mandato. Ubi hoc fpeciale mandatum advenit, poftulavit Parochus; ut Epifcopus liti renunciationem in actis emitteret, cum expreffa declaratione nullitatis, & invaliditatis Proceffus. Victa his patientia Epifcopi agi litem mandavit a Promotore fuæ Curiæ. Caufa nunc proponitur, & duo in controverfiam veniunt: Alterum eft privatio Parochiæ: Alterum eft fupplementum Patrimonii Sacri, ad quod in cafu validæ privationis, teneri Epifcopum Parochus contendit.

Privationem validam juftamque fuiffe difputat Promotor, quia res fit de Parocho non refidente, quo cafu ex difpofitione Tridentini immutato veteri jure, liberum eft Epifcopis, vel gradatim contra non refidentem procedere, fequeftrando fcilicet, & fubtrahendo fructus, inde privationem infligendo, vel ftatim, lapfo tempore præftituto, immediate ad privationem Parochiæ procedere, ut explicant *Fagnan. in cap. ex tuæ a num. 29. ad 35. de Cleric. non resid. Lotter. de re Benefic. lib. 3. quæst. 27. num. 68. Barbos. de offic., & potest. Paroch. par. 1. cap. 8. num. 37. Pignatell. consult. 17. num. 8. tom. 4.* Neque cogendum effe Epifcopum ad Patrimonium Sacrum conftituendum, vel

vel Ecclesiasticum Beneficium conferendum Parocho huic privato, quando ex his, quæ supra narravimus, constat ipsum culpa sua, & voluntario facto non residendi causam dedisse privationi Parochiæ, & consequenter amissioni sui Beneficii, ad cujus Titulum promotus fuerat ad Sacerdotium, ut ea *Text. in cap. Tuis quæstionibus de Præbend.* tradunt *Lotter de re Benefic. lib. 1. quæst. 2. num. 5. Barbos. de Offic., & Potest. Episcop. part. 2. alleg. 20. num. 11.* Hæc atque alia Promotor Fiscalis. A Parocho nihil habuimus: duo sunt Causæ dubia.

I. *An Privatio sustineatur?* & quatenus affirmative.

II. *An Episcopus teneatur supplere de proprio Patrimonium Sacrum in casu &c.*

Ad I. Ad Dom. Secretarium etiam quoad damna, & interesse. Ad II. provisum in primo.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

TYBURTINA MEDIÆ ANNATÆ: Constitutione san. mem. Benedicti XIII., cujus initium est: *Pius, & misericors* impressa post Concilium Romanum cautum fuit „ Ut in posterum provisi de Parochialibus una cum „ incertis annuum redditum scutorum Centum monetæ Romanæ excedenti- „ bus, & de Canonicatibus, & Beneficiis tam residentialibus, quam non „ residentialibus, & simplicibus sitis extra Ecclesias Collegiatas, cujuscum- „ que valoris existant, teneantur, solvere, & respective deponere mediam „ annatam pro fabrica Ecclesiæ Cathedralis „. Ex hac Constitutione Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Tyburis contra Parochum seu Archipresbyterum Castri Sambuci, qui a Vicario Generali Tyburtino damnatus fuit ad mediam annatam solvendam, appellavit Archipresbyter ad A. C., &, ut evaderet apertam Benedictinæ Legis dispositionem, excepit Parochialem suam, deductis oneribus, & expensis, non præstare annuum redditum scut. 100. Replicabat Capitulum onera, & expensas non esse detrahendas: contra Archipresbyter deducenda esse substinebat, & hanc esse legitimam Benedictinæ Constitutionis interpretationem. Constituit A. C. onera, & expensas esse deducendas, & ideo absolvit Archipresbyterum, revocata Sententia Vicarii Generalis Tyburtini. Hæc Sententia animum, atque arma præstitit Parochis aliis Dioeceseos, ut mediam Annatam Capitulo denegarent. Capitulum igitur adiit Emum Dominum Pro-Auditorem Sanctissimi Domini nostri, qui Causam quoad Dubium *in genere* tantum proponi jussit in hoc Sacro Tribunali. Disputant nunc igitur Parochi Dioeceseos rem dudum fuisse definitam Decretis hujus Sacræ Congregationis *in Nepesina 17. Augusti 1726. in Tudertina 7. Junii 1727. in Maceraten. 28. Januarii 1730.* quæ tamen in *Thesauro Resol. Congregationis* non invenimus; & quibus rescriptum dicitur mediam annatam esse solvendam ex fructibus percipiendis, deductis oneribus pensionum, livellorum, Collectarum Cameralium, Sacrorum agendorum juxta legem Fundationis, nec non expensis necessariis pro Ecclesia, Sacrario, domibus: neque obstare Decretum *in Forosempronien. Mediæ Annatæ 18. Martii 1743.* quia distinguendum sit inter onera personalia, de quibus in ea Causa agebatur, & onera realia, de quibus nunc agitur. Addunt alias rationes deductas tum a Jurisprudentia, ex qua scimus fructus non dici, nisi deductis oneribus, & impensis, tum ex historia harum Annatarum, quæ initium habuerunt a Joanne XXII., & mediæ Annatæ, cujus Author fuit Bonifacius IX., tum denique a praxi Datariæ Apostolicæ. A Capitulo Ecclesiæ Cathedralis nondum libellum habuimus. Dubium est.

An, & quæ onera, & expensæ sint deducendæ ex redditibus Beneficiorum tam Curatorum, quam non Curatorum in casu &c.

Dilata ad primam post Agnos.

CA-

CAMERINEN SUBSIDII DOTALIS: Species omnis hujus Causæ repetenda est ex Folio Congregationis habitæ die 15. Decembris transacti anni 1753. Petebat Justina Pericoli subsidium Dotale relictum a Petro Sensino Pontoni, etiam ad effectum profitendi in Monasterio Urbis, propositoque Dubio „ An subsidium dotale relictum a quondam Petro Sensino Pontoni „ debeatur Justinæ Pericoli, etiam pro monacatione in Monasterio Urbis in „ casu &c. „ Justina dilationem frustra postulante, responderunt Emi Patres -- *Negative pro Manutentione in Monasterio Urbis* -- hujus Decreto licet in contumaciam lato obtemperavit Justina parata ingredi Monasterium in Civitate Camerini, & idem facere paratæ aliæ Sorores Justinæ petierunt a R. P. D. Secretario decerni ipsis sibi uti proximioribus consanguineis subsidium dotale Pontoni. Sed obstitere Electores, itaut R. P. D Secretarius decretum quidem tulerit secundum Justinam, cujus favore ipsum rescriptum Emorum PP. implicitè militabat, at quoad Sorores causam in Sacra Congregatione proponi jusserit. Causa nunc proponitur, & disputant Sorores ipsas uti Cives originarias Camerini, consanguineas, & proximiores non posse a subsidio repelli; Ab Electoribus nihil habuimus: Dubium est.

An subsidium dotale relictum a qu. Petro Sensino Pontoni, debeatur unicuique ex Filiabus qu. Comitis Venantii Pericoli pro Monacatione in Civitate Camerini in casu &c.

Sorores de Periculis posse concurrere ad subsidia de quibus agitur, & amplius.

Die Sabbathi 4. Maii 1754.

TYBURTINA MEDIÆ ANNATÆ: Causa hæc in Congregatione habita die 16 superioris Mensis Martii dilationem obtinuit ad hanc Congregationem: Damus itaque eam obsequentes imperio Emorum Patrum, eosque rogantes, ut folium illius Congregationis iterum consulant. Dubium est. *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

An, & quæ onera, & expensæ sint deducendæ ex redditibus Beneficiorum tam Curatorum, quam non Curatorum in casu &c.

Deducenda esse onera fixa, & realia non vero personalia in Beneficiis Curatis ad effectum ut subjiciantur taxæ, & amplius.

CIVITATIS CASTELLANÆ UNIONIS, SEU APPLICATIONIS, ET COMMUTATIONIS. Novem ab hinc annis omnem Causæ hujus speciem, & rationes, quæ proponebantur, dedimus in Folio Congregationis habitæ die 18. Septembris anni 1745., quod publici Juris factum fuit in *Vol. XIV. Thes. resol. Sacræ Congregationis* quodque, ut repetant, rogamus Eminentissimos Patres. Causa eo die paribus distracta suffragiis definita non fuit, rescriptumque est -- *Iterum proponatur* -- Iterum igitur proposita fuit die 18. Decembris eodem anno, sed rescriptum fuit -- *Dilata* -- ut in eodem *Vol. XIV. Thes.* Post hæc, defuncto Episcopo, qui nunc Ecclesiæ illi præest Sanctissimo Domino nostro preces obtulit, quibus postulabat, ut auctoritate Apostolica approbaret modum, quem ipse insinuabat, ut aliqua Seminario afferri posset utilitas, nullum vero detrimentum, immo majus commodum acciperent Communitas Gallesii, & adolescentes ab ea nominandi ex Testamentaria dispositione Theophili Gargani. Modus autem, qui in precibus proponebatur, hic erat: ut cum annuus redditus hæreditatis Theophili ascendat ad scuta 535., applicentur ex his Seminario Civitatis Castellanæ annua scut. 160. cum onere alendi in eodem Seminario quatuor Adolescentes a Communitate Gallesii nominandos, qui tamen possint operam dare studiis minori- *Sess. 23. c. 18. de Ref.*

 bus

bus Grammaticæ, Rethoricæ, & Logicæ, eaque sine ulla temporis præfinitione prosequi, donec ea compleverint, nulla iis obligatione adjecta Ecclesiasticum statum assumendi. Expletis vero studiis hisce minoribus, in Urbem venire possint ex reliquo hæreditario annuo redditu alendi, ut majoribus Medicinæ, Jurisprudentiæ, aut Sacrarum Literarum studiis per triennium operam dent, ut voluit Testator: Ut annuis illius scut. 160. addantur alia scut. 80. eroganda a Seminario in vestes, aliaque necessaria Adolescentibus: Ut denique ex reliquis hæreditariis redditibus semper in Urbe alantur tres Adolescentes, qui in Romano Collegio studia prosequantur a secunda Classe Grammaticorum ad alia majora per triennium. Precibus his rescriptum fuit, ut de hoc modo cognosceretur ab hoc Sacro Tribunali, ideoque defensores Seminarii toti sunt, ut sub eodem Dubio bis proposito, sed non definito modus hic ab Eminentissimis Patribus approbetur. Nihil de his novis Precibus habet Communitas Gallesii, quæ veterem dedit libellum. Dubium illud est, quod definitum non fuit.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in Casu &c.

Prævio recessu a decisis, servandam esse dispositionem Testatoris juxta mentem.

Sess. 24. c. 9. de Ref.

BAREN. NULLITATIS MATRIMONII: Proposita fuit hæc Causa in ultima Congregatione habita die 16. Mensis Martii, & rescripserunt Eminentissimi Patres - *Ad Eminentissimum Pro-Auditorem Sanctissimi juxta mentem*. Causam reproponi jussit Sanctissimus Dominus noster, eamque, ut Juris erit, definiri præcisive a cognitissima Constitutione sua. Nodus igitur Causæ est, an ex Testibus, qui *Judicialiter* quidem, sed ad Articulos tantum, *Parte non opponente interrogatoria*, responderunt, vis illata Josepho de Staso probetur; Judicium hoc erit Eminentissimorum Patrum. Nos idem Dubium subjicimus.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Affirmative.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

PARMEN. PRÆEMINENTIARUM: Postquam Marchio Hippolitus Bentivolus in Terra sua Gualterii duas a solo Ecclesias sua pecunia ædificaverat, alteram Regularem *Divo Andreæ* dedicatam, alteram sæcularem dedicatam *S. Mariæ de Nive*, preces obtulit San. men. Paulo V. quibus postulabat, ut suppressa Parochia S Andreæ, illam cum suis redditibus in sæcularem Ecclesiam S. Mariæ transferret, & novam Parochialem cum Dote, quam ipse constituisset, in Collegiatam erigeret. Annuit Summus Pontifex, & Literis Apostolicis datis anno 1613., veteri Parochia suppressa, eam transtulit cum suis redditibus in Ecclesiam S. Mariæ, jussitque, ut in eadem Ecclesia Collegium erigeretur, in quo essent Præposituralis Dignitas, cui cura animarum incumberet, sex Canonici, & duo Mansionarii, qui omnes Sacerdotes essent. Dotem a Marchione datam una cum veteris Parochiæ redditibus Collegiatæ assignavit, certamque singulis Præbendam, Præposito nempe annua scut. 200., & hoc amplius emolumenta incerta Curæ, Canonicis singulis annua scut. 60., Mansionariis scut. 30. Cappellano sive Æditiuo annua scut. 25 Patronatus Jura Marchioni ejusque successoribus dedit, quibus Jus esset Collegium dirigendi, vestes Canonicorum, & Mansionariorum seligendi, condendi Leges, & statuta Capitularia, eaque prout melius collibuisset, variandi, & mutandi, interdicta quoque facultate augendi numerum Canonicorum sine Patroni consensu, & sine Literis Apostolicis: quæ Summus Pontifex jusserat plenissime a Vicario Generali Parmensi Exequutore in Literis dato exequuta sunt, idemque fuit semper Capitularium numerus ad annum usque 1688,

Hoc

Hoc autem anno Jo: Antonius Factorius Testamento condito jussit, ut certis designatis Bonis Beneficium in eadem Ecclesia fundaretur, dato onero Beneficiatis, ut Horas Canonicas in Choro persolverent, sacraque alias Functiones explerent, quæ a Canonicis agerentur, hac tamen lege -- Che mancan- „ do alla residenza, e Funzioni Sacre sudette debba essere suppontato, e „ perder la spunta del suo proprio da applicarsi, e distribuirsi all' altri Si- „ gnori della medema Collegiata: non intendendo peró d. Signor Testatore, „ che il nominato abbia da partecipare, ne godere delle distribuzioni dell' al- „ tri Signori della Collegiata, ancorche risiede, ed intervenga continua- „ mente „. Beneficium hoc auctoritate sua erexit Episcopus sine assensu Patroni, sine Literis Apostolicis, & Canonicatum nuncupavit. Beneficiato tamen neque locus in Choro, neque vox in Capitulo neque Insignia Canonicalia data fuerunt, itaut plenum Jus Canoniæ non habuerit. & quotquot illud ad hanc usque diem obtinuerunt, eamdem servarunt methodum, onere a Testatore data impleverunt, & si forte defecerunt, mulctati sunt a Canonicis, neque de multis Canonicorum participes facti sunt. Tandem Cæsar Cavalletti Beneficium hoc adeptus est, qui, cum crederet esse simplex, abfuit per annos viginti, sed in Jus vocatus a Canonicis, ut solveret multas, quas ipsi diligenter scripserant, contendere cæpit se esse verum Canonicum, omnibusque Juribus, & honoribus, quos alii habent Canonici, frui deberi. Re ad hoc Sacrum Tribunal delata, Causa omnis sex Dubiis collecta fuit, ex quorum lectione facile intelligitur quid sit, de quo disputatur, quæque Canonici, & Capitulum ex facto, quod narravimus, contra Cavallettum definienda esse contendunt. A Cavalletto nihil adhuc habuimus. Dubia sunt.

I. *An Beneficiatus Beneficii Canonicatus nuncupati sub Invocatione S. Joannis Baptistæ erecti anno 1688. ex fundatione quondam Jo: Antonii de Factoribus in Ecclesia Collegiata Gualterii sine tamen consensu Capituli, & Patroni ejusdem Ecclesiæ, sit de gremio antiqui Capituli ejusdem Collegiatæ in Casu &c.*

II. *An dictus Beneficiatus gaudere debeat voce activa, & passiva in eodem Capitulo in Casu &c.*

III. *An idem Beneficiatus præcedere debeat juxta ordinem antianitatis supra novos provisos de antiquis Canonicatibus in Casu &c.*

IV. *An idem Beneficiatus sit admittendus ad participationem distributionum antiqui Capituli in casu &c.*

V. *An idem Beneficiatus sit admittendus ad participationem mulctarum ratione absentiæ Canonicorum antiqui Capituli in casu &c.*

VI. *An Canonici antiqui Capituli participare debeant de mulctis ratione absentiæ dicti Beneficiati in casu &c.*

Ad I. usque ad V. Negative. Ad II. Affirmative attenta lege expressæ fundationis.

POSNANIEN. MATRIMONII: Cum adhuc impubes esset Marianna Male Kovska, nata enim erat mense Februarii anni 1726., nupsit Theophilo Rozdrazevvskio, contracto, & consumato Matrimonio die 22. Mensis Julii anno 1736. Post novem Menses Mathias Male Kovskius Sponsæ Patruus Conjuges in Jus vocavit, nullum dicens Matrimonium tum defectu legitimæ ætatis Puellæ, tum defectu ejusdem consensus. Sed Conjuges, & ipsa præsertim Marianna præsens coram Officiali Posnaniensi Matrimonii validitatem defenderunt: Officialis autem ob impubertatem Sponsæ pronunciavit nullum fuisse Matrimonium, indicta utrisque multa pecuniaria ob stuprum illatum acceptumque, verum quia ex Medici sententia viripotens judicabatur Puella „ „ & amore constanti adherendo Theophilo, & non alteri, tantum eidem se „ in vitæ socium elocandam deliberato animo exposcebat, & cum eodem Ma- „ trimonium de præsenti inire appromittebat, & assensum perfectum extra „ omnem

Sess. 24. cap. 1. & 9. de Ref. Mart.

„ omnem metum posita fortiter libere reiterabat „ verba sunt ejusdem Judicis, hinc licet aliquot etiam menses ad implendum *annum duodecimum* deessent, potestatem tamen iisdem fecit, ut sive in Cathedrali Ecclesia Posnaniensi, sive in propria Parochia iterum Matrimonium contraherent. Ab hac sententia, quæ dum ob impubertatem matrimonium nullum declarabat, contrahi permittebat, impubertate non obstante, Patruus sponsæ appellavit, sed Officialis appellationem constanter rejecit, & matrimonium die 7. Aprilis anno 1737. in Ecclesia Cathedrali renovatum fuit. Individuam vitæ consuetudinem annis duodecim perpetuis Conjuges servarunt, susceptis novem liberis, quorum quatuor aut quinque vitæ usura fruuntur. Repente tamen rerum facies versa est, & quæ *fortiter, libere, & amore constanti adhæserat Theophilo, & perfectum assensum reiteraverat*, levitate illa, quæ a sexu disiungi non potest, voluntatem mutavit.

Igitur cum forte vir abesset, rhedam ascendit, viri domum deseruit, tres filias abduxit; domum armati homines invaserunt, direptis auro, argento, gemmis, pretiosaque omni suppellectile, summa omnis direptarum rerum ad sc. 5. mil., & amplius ascendit. Re perfecta, postulavit Marianna coram Officiali Posnaniensi, ut nullum declararet Matrimonium, postulavit alimentorum subministrationem: Theophilus contra purgari spolium vi armata illatum, res abactas restitui, reduci filias in domum Patris, cogi Mariannam, ut cum viro rediret. Officialis, posthabita restitutione spoliati, decrevit summam florenorum scut. 4. mil. annuorum in causam alimentorum a Theophilo præstandam esse. His impetratis, articulos edidit Marianna, quibus intendebat tam primi, quam secundi Matrimonii nullitatem probare ex causa impubertatis, & metus illati: novem testes his articulis responderunt. Judex, Theophilo contumace, nullum pronunciavit Matrimonium, prolem uti bona fide susceptam, legitimam declaravit, ali atque educari jussit impensis utriusque Parentis. Ab hac sententia appellavit *Defensor Matrimonii* ad Curiam Metropolitanam Gnesnensem. Theophilus vero aliam viam ingressus est, expedita Citatione coram Tribunali Signaturæ Justitiæ, quæ exequuta fuit contra Procuratorem Mariannæ, contra Actuarium Curiæ Metropolitanæ, & contra ipsum Consistorium Posnaniense. Sed, his spretis, Marianna judicium prosequuta est in Curia Metropolitana. Theophilus protestationem emisit de attentatis purgandis, & metuens, ne citatio coram Tribunali Signaturæ sperneretur a Judice Metropolitano, quod Causam nullitatis Matrimoni non respiceret, usus est alia coram Tribunali Nunciaturæ, quæ contra Mariannam, & contra Actuarium Curiæ exequuta fuit, sed, his omnibus posthabitis, Officialis Gnesnensis sententiam tulit, qua primam Posnaniensem confirmavit, & licet ab ea Theophilus appellasset, Marianna tamen die 15. Februarii anno 1753. aliud Matrimonium cum Joanne Beleckio contraxit.

Delata ex Decreto Tribunalis Signaturæ Causæ hujus cognitione ad hoc Sacrum Tribunal, provisum fuit pluries, ut Marianna, & Joannes disiungerentur, reclusa in Monasterio Marianna, frustra tamen; causata semper se utero gravem a Joanne noluit obtemperare Decreto. Partum denique enixa in eadem cohabitatione perseveravit, itaut necesse fuerit nova relaxare mandata, quibus an adhuc obtemperaverit, ignoramus. Causa nunc tandem urgente infelicissimo Theophilo bis victo rationibus suis non auditis, proponitur ab Eminentissimis Patribus definienda. Disputat autem neque ex defectu ætatis, neque ex defectu consensus potuisse a Judicibus Posnaniensi, & Gnesnensi nullum declarari Matrimonium a Marianna contractum die 22. Julii anno 1736. & renovatum die 7. Aprilis anno 1737 non equidem *defectu ætatis*, cum enim Marianna corporis habitudine, Medici judicio, & ipso experimento docente, viripotens esset, dubitandum non sit validum fuisse Matrimonium, ad quod contrahendum certa ætas *præsumptive* tantum, non vero *taxative* præfinita fuit, itaut si ex habitu corporis dignoscatur capaci-

tas

tas contrahendi, firmum validumque sit matrimonium ante pubertatem contractum, ut sunt cognitissima Jura *in cap. Puberes de Despons. Impub.*, *& in cap. Juvenes de Sponsal.*, *& matrimon.* non vero *defectu consensus*: hunc enim defectum excludit factum Mariannæ, quæ contra Patrem hunc defectum urgentem venit in Jus, & præsens coram Officiali *amore constanti adhæsit Theophilo, & non alteri, & assensum perfectum extra omnem metum posita fortiter libere reiteravit*, itaut contra hunc defectum pugnet confessio Judicialis ipsius Mariannæ, res Judicata, & factum renovationis Matrimonii cum successiva per annos duodecim individua vitæ consuetudine sine ulla reclamatione, postquam ad plenam pubertatem pervenit.

In his igitur rerum circumstantiis despiciendos esse contendit Theophilus Testes, qui articulis a Marianna editis responderunt, tum ob exceptiones personales, quas patiuntur, tum quia, etiamsi uno consensu omnes dicerent vera esse, quæ in articulis sunt, non tamen evinceretur Mariannam vi metuque ab Avia illatis coactam fuisse Matrimonium contrahere cum Theophilo, nam & tenera ætas Puellæ, & persuasiones Aviæ ad matrimonium cum Theophilo contrahendum, & inanis suggestio ejusdem Aviæ, ut, nisi matrimonium Marianna contraheret, Patruus tutelam suscepisset, & eam perpetuo reclusisset in Monasterio, eam vim non habent, quæ satis esse possint ad irritandum Matrimonium tamquam ex vi, & metus causa contractum: sed neque facta hæc ab Avia probantur dictis Testium, & satis evincitur nihil horum egisse Aviam ex facto ipsius Mariannæ, quæ si vere adacta fuisset ab Avia ad contrahendum Matrimonium cum Theophilo, non prætermisisset oblatam a Patruo occasionem dicendæ nullitatis ejusdem Matrimonii, ut ipsa contra Matrimonii validitatem præsens in Judicio defendit; & licet dicatur instructam fuisse ab Avia his, quæ Judici interroganti respondere debuisset, non tamen adstabat lateri ejus Avia in Judicio, ut non posset respondere, secus ac Avia dictaverat; Si consensum suum Matrimonio non præstitisset, Judici interroganti longe alia respondisset ab iis quæ Avia scripserat in instructione. Hæc sunt in Libello Theophili, neque a *Defensore Matrimonii*, neque a Marianna, & Joanne Beeckio aliquid adhuc habuimus. Dubium est.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Negative.

URBANIEN. ROGITUUM: Cum Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Urbaniæ anno 1729 nullam irritamque diceret nominationem ad Cappellaniam factam a Clara Ubaldinia Sanctimoniali, quia facta fuisset per Acta Joannis Angeli Amatori *Notarii Laici*, contendens fieri debuisse per Acta Cancellarii Episcopalis, delata fuit hæc controversia ad Episcopalem Audientiam, quæ secundum Promotorem judicavit. At dilata appellationis Causa ad Emum Dominum Cardinalem Mesmerum, qui tunc in Tribunali A. C., Foro universo plaudente, Jus reddebat, revocata fuit Sententia Urbaniensis, & pronunciatum fuit *validam esse nominationem ex rogitu Jo: Angeli Amatori*. Hanc eamdem controversiam excitavit nuper Cancellarius Episcopalis ejusdem Curiæ contendens sibi dumtaxat Jus esse scribendi omnia Instrumenta, Tabulasque publicas Actorum omnium, qui fiant ab Ecclesiasticis, & Locis Piis, neque teneri ad eorumdem copiam tradendam Tabulario, sive Archivo Communitatis, & taxam solvendam: Sed re a Communitate dilata ad Tribunal A. C., victus fuit in utroque controversiæ Capite. Promotor, & Cancellarius preces hac de re obtulerunt Sanctissimo Domino Nostro. Causæ igitur cognitio Sacro huic Tribunali data fuit, facta tamen prius a Promotor Fiscali renunciatione Judicio possessorio. Emissa quidem fuit renunciatio, sed cum nihil inde ageretur a Promotore, & Cancellario, Communitas moræ impatiens Causæ propositionem festinavit. Urget igitur con- *Sess. 22. c. 19. de Ref.*

contra Curiam Episcopalem duas Summorum Pontificum Constitutiones, alteram Julii II. editam anno 1707., qua cautum fuit,, ut Notarii de omnibus
,, contractibus, & ultimis voluntatibus per quoscumque, & super quibusvis
,, spiritualibus, & Beneficialibus, & prophanis rebus deinceps faciendis ro-
,, gari, super eis Instrumenta conficere possint; eorumque rogitis plena, &
,, indubia fides adhibeatur,, Alteram vero Xisti V. quam refert *De Vecch. de Bon. Regimin. tom. 2. Tit. Archiv., e sua Tassa*, qua,, constituit, ut Tabularia, seu Archiva extruerentur, taxa solveretur, &,, Instrumenta nec
,, non Apocæ &c. aliæque scripturæ tam publicæ, quam privatæ quorum-
,, cumque contractuum &c. in quibuscumque Provinciis, Civitatibus, Op-
,, pidis, Castris, & Villis debeant ad dictum Archivum generale aspor-
,, tari, ac respective recipi a Notariis, & diligenter perpetuo servari, &
,, custodiri.

Addit ea, quæ generaliter ab his Summis Pontificibus constituta fuerunt, specialiter in Legatione Urbini, observari jussisse Cardinalem Barberinium Legatum Apostolicum, edicto lato anno 1636., iterumque generaliter sanxisse Cardinalem S. Clementis S. R. E. Camerarium. Harum Constitutionum Jure non solum Cancellarios Episcopales Urbaniæ, sed alios quoscumque ejusdem Civitatis Notarios subscripsisse semper actus quoscumque sive inter vivos, sive ultimæ voluntatis, qui fierent ab Ecclesiasticis, aut Locis Piis, & exemplaria detulisse in Archivum Communitatis soluta taxa: nihil igitur proponi a Promotore Fiscali, & Cancellario Episcopali, cur ipse dumtaxat hac prærogativa scribendi Instrumenta Actorum sive inter vivos, sive causa mortis, qui fiant ab Ecclesiasticis, & Locis Piis, gaudere debeat, sublata aliis Notariis ea potestate, quam omnibus fecit Juliana Constitutio, nihilque proponi, cur ipse tantum solutus esse debeat obligatione tradendi exemplaria publico Archivo, & taxam solvendi, quam omnibus imposuit Constitutio Sixtina, & Edicta duorum S. R. E. Cardinalium Legati, & Camerarii. Hæc Communitas. A Promotore Fiscali, & Cancellario Episcopali nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An, & in quibus casibus constet de privativa Notarii, & Cancellarii Curiæ Episcopalis Urbaniæ rogandi omnes Actus inter vivos, & ultimæ voluntatis tam Ecclesiasticorum, quam Locorum Piorum ejusdem Civitatis in casu &c.*

II. *An constet de exemptione Cancellarii Episcopalis Urbaniæ tam Taxa Archivii, quam ab asportatione exemplarium Rogituum ad idem Archivum Communitatis Urbaniæ in casu &c.*

Dilata, & ad mentem.

Sess. 22. c. 10. de Ref.

URBANIEN. Causa hæc germen est Causæ præcedentis. Franciscus Maria II. Urbini Dux decreto suo cavit,, Che nell'avvenire non sia lecito a No-
,, taro alcuno rogarsi de pagamenti de crediti Instromentali, se non sarà quel-
,, lo stesso, che si è rogato dell' Instromento del credito, e non avrà appresso
,, di se i rogiti del Notaro morto, assente, o impedito, ne possino le parti
,, de Debitori, o Creditori andare ad altri Notari per far notare i lor paga-
,, menti, se non a quelli, che averanno appresso di se, come di sopra, li
,, rogiti: e rogandosi come sopra li Notari, che hanno appresso di se gl' In-
,, stromenti de crediti, siano obligati notare il rogito de pagamenti, cassan-
,, do l'Instromento del credito o in margine, o appresso di quello,,. Legi huic saluberrimæ, qua tollebantur lites, & controversiæ, quibus Debitorum hæredes subjciebantur ob ignorantiam extinctionum, & liberationum, obtemperarunt omnes Notarii etiam Fori Ecclesiastici, inter quos Cancellarii Curiæ Episcopalis Urbaniæ, quorum protocolla delata fuerunt post eorum obitum ad Archivum publicum Communitatis, & debitorum extinctiones rogatæ fuerunt a Notario Communitatis Archivi Custode. Jactavit nuper

per Cancellarius Curiæ Episcopalis Urbaniæ se legi illi a Principe Laico latæ non esse subjectum, eamque implere nolle. Vocatus itaque fuit in Jus a Communitate coram A. C., sed hujus quoque Causæ, ut præcedentis cognitio data fuit Sacro huic Tribunali. Disputat nunc Communitas legem illam saluberrimam esse observandam, neque dici posse ab ea solutum Cancellarium Curiæ Episcopalis, quia Decreta, & Leges Ducum post devolutionem illius Ditionis ad Sanctam Sedem confirmata fuerint a san. mem. Urbano VIII., itaut Decretum Francisci Mariæ liget ex confirmatione Pontificia. Hæc Communitas. Promotor Fiscalis, & Cancellarius Episcopalis nondum libellum suorum Jurium dederunt. Causa duobus Capitibus complexa fuit.

I. *An juxta solitum quietantiæ, & extinctiones obligationum rogari deinde debeant per eadem Acta, per quæ fuit rogata obligatio in casu &c.*

II. *An, & quæ Protocolla Instrumentorum post obitum Cancellariorum, & Notariorum quorumcumque Urbanien deferri debeant ad Archivum publicum Communitatis Urbaniæ in casu &c.*

Dilata, & ad mentem.

BERGOMEN. PII LEGATI CELEBRATIONIS MISSARUM: Testamento, quo decessit anno 1647. Alexius Ficienius hæredes scripsit Elisabeth, & Elenam sorores suas, Matri usumfructum legavit una cum hæredibus, inde onus dedit sororibus hæredibus scriptis in hæc verba „ Item „ ordina, o commanda, che detti suoi Eredi siano obligati a far celebrare „ due Messe continue per l' Anima sua nella Terra di Albano, e ciò duran- „ te ancora l' usufrutto di detta Signora sua Madre „. Onus hoc impleverunt ad obitum usque sorores hæredes, at iis defunctis, earum hæredes cessarunt, cum censerent onus fuisse personale. Delata tandem ex Testamento unius ex illis sororibus hæreditate Testatoris ad Benedictum, & Jacobum Petrobellios, hi satius duxerunt sacram hanc Congregationem consulere, ut declararet, an onus illud temporarium est, vel perpetuum. Auditus, ut fieri solet, Episcopus, censuit esse temporarium, & cessasse morte duarum hæredum: in eamdem sententiam disputant Petrobellii, cum verba non in hæreditatem, sed in hæredes directa fuerint, & iis datum fuerit onus nominatim ex vi relativæ dictionis *detti s:oi heredi*, non posse igitur contra apertam Testatoris voluntatem extendi legatum favore animæ, & piæ causæ; præsertim cum de verbo *in perpetuo*, & similia, quæ nimis facile apponi potuissent a Testatore, si voluisset onus extendere ultra vitam duarum sororum, quas hæredes scripserat. Videant igitur Emi Patres, qua juris ratione expediendum sit Dubium. *Sess. 22. c. 8. de Ref.*

An constet de perpetuitate legati Pii celebrationis duarum Missarum continuarum ab Alexio Ficieni injunctarum, seu potius de illius temporaneitate ad vitam tantum primarum hæredum in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo pro meliori informatione.

Die Sabbathi 22. Junii 1754.

BAREN. NULLITATIS MATRIMONII: Redit ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium hæc Causa, quæ data fuit in Folio ultimæ Congregationis habitæ die 4. transacti Mensis Maii, dubioque, quod propositum fuit - *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* - responsum accepit *Sess. 24. c. 9. de Ref. Matr.*

pit - *Affirmative*. Ex his igitur, quæ nunc proponentur, respondendum erit Dubio.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 24. c. 1. & 9. de Ref. Mart.

POSNANIEN. MATRIMONII: Hæc quoque Causa data fuit in Folio ultimæ Congregationis, Dubioque, quoque, quod erat - *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* - responderunt Eminentissimi Patres - *Negative*: Iterum nunc proponitur, & definiendum est.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Dilata ad primam etiam unica, & ad mentem.

Sess. 22. c. 10. de Ref.

URBANIEN. ROGITUUM: Proposita quidem fuit hæc Causa, ut etiam alia, quæ hanc sequitur, in eadem ultima Congregatione, sed rescriptum fuit utræque - *Dilata & ad mentem*: Apertaque jam mente, utraque nunc reproponitur, ut earum Dubia expediantur.

I. *An & in quibus casibus constet de privativa Notarii & Cancellarii Curiæ Episcopalis Urbaniæ rogandi omnes Actus inter Vivos, & ultimæ voluntatis tam Ecclesiasticorum, quam Locorum Piorum ejusdem Civitatis in casu &c.*

II. *An constet de exemptione Cancellarii Episcopalis Urbaniæ tam a Taxa Archivii, quam ab asportatione exemplarium rogituum ad idem Archivum Communitatis Urbaniæ in casu &c.*

Non proposita.

Sess. 22. c. 10. de Ref.

URBANIEN. cujus duo pariter Dubia sunt.

I. *An juxta solitum quietantiæ & extinctiones obbligationum rogari deinde debeant per eadem Acta, per quæ fuit rogata obligatio in casu &c.*

II. *An, & quæ Protocolla Instrumentorum post obitum Cancellariorum, & Notariorum quorumcumque Urbanien. deferri debeant ad Archivum publicum Communitatis Urbaniæ in casu &c.*

Non proposita.

Sess. 24. c. 10. de Ref.

SORANA: Data fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 9. superioris Mensis Februarii, sed proposita non fuit. Iterum itaque data in Folio Congregationis die 16. Martii responsum accepit - *Dilata, & exhibeantur Documenta Parti Adversæ* - Exhibitis jam Documentis, Causa reproponitur, & expediendum est Dubium.

An Decretum factum in Sacra Visitatione sustineatur, & sit exequendum in casu &c.

Negative, & servetur solitum, & amplius.

Sess. 24. c. 1. de Ref.

PARMEN. PRÆEMINETIARUM: Propositis, contumace tamen Sacerdote Cæsare Cavalletto, in ultima Congregatione habita die 4. transacti mensis Maii sex hujus Causæ Dubiis nempe „ I. An Beneficiatus Beneficii, „ Canonicatus nuncupati sub invocatione S. Joannis Baptistæ erecti anno „ 1688. ex fundatione quondam Jo. Antonii de Factoribus in Ecclesia Collegiata Gualterii sine tamen consensu Capituli, & Patroni ejusdem Ecclesiæ

„ sit

„ sit de gremio antiqui Capituli in casu &c. II. An dictus Beneficiatus gaude-
„ re debeat voce activa, & passiva in eodem Capitulo in casu &c. III. An
„ idem Beneficiatus præcedere debeat juxta ordinem antianitatis supra novos
„ provisos de antiquis Canonicatibus in casu &c. IV. An idem Beneficiatus
„ sit admittendus ad participationem distributionum antiqui Capituli in casu
„ &c. V. An idem Beneficiatus sit admittendus ad participationem multarum
„ ratione absentiæ Canonicorum antiqui Capituli in casu &c. VI. An Cano-
„ nici antiqui Capituli participare debeant de multis ratione absentiæ dicti
„ Beneficiati in casu &c. *Responderunt Eminentissimi Patres* - Ad I. II. III.
„ IV. & V. negative. Ad VI. affirmative attenta lege expressa Fundationis „.
Redit nunc Causa ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, & respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam.

Die Sabbathi 20. Julii 1754.

DUÆ, quæ sequuntur, Causæ, in ultima amplissimi Ordinis Congregatione habita die 22. transacti mensis Junii dilationem obtinuerunt ad hanc Congregationem. Rogamus igitur Emos Patres, ut ad eas definiendas, Folium illius Congregationis iterum consulant.

POSNANIEN. MATRIMONII, cujus dubium est. *Sess. 24. c. 1. & 9. de Ref. Matr.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata & proponatur in prima etiam unica.

PARMEN. PRÆEMINENTIARUM, in qua respondendum est. *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

An sit standum vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis & amplius.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM: Repetenda est species hujus Causæ, quæ agitur inter Archihospitale S. Spiritus, & Fratres Florentios ex Folio Congregationis habitæ die 9. Mensis Septembris anno 1752. quod publici juris factum fuit in *Thesaur. Resol. Sacr. Congreg. Vol.* XXI. ex quo patet Archihospitale postulasse ab hoc Sacro Tribunali reductionem, vel saltem suspensionem subsidiorum Dotalium, quæ dare Puellis tenebatur ex donatione quindecim locorum Montium ei facta anno 1597. a Marco Antonio Florentii. Proposito igitur die 1. Decembris anno 1736. Dubio - *An sit locus reductioni seu suspensioni subsidiorum Dotalium in casu &c.* - contradicentibus Hectore, & Virgilia Augusto Florentiis, respondit Sacrum Tribunal - *Negative*. Siluit Archihospitale ad annum usque 1752., quo postulavit *Audiri* contra Decretum anni 1736., & novum adjici *Dubium*, quia contendebat jus sibi esse restituendi Florentiis sortem cum augumento. Duobus igitur compositis dubiis I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 1. Decembris* 1736., & quatenus affirmative ad primam partem. II. *An liceat Archihospitali restituere Capitale sc. 2437. 50. & quomodo in casu &c.* - Causa post varias dilationes proposita tandem fuit *die 2. Decembris eodem anno* 1752., responditque Sacrum Tribunal - *Ad I. in decisis: Ad II. negative* - ut *Sess. 22. c. 6. de Ref.*

 in

in *eodem Vol. XXI. Thesaur. Resol.* Nondum acquiescens Archihospitale binis Eminentissimorum Patrum Decretis rejicientibus reductionem, & suspensionem tertio voluit *audiri in utroque Dubio*. Nunc igitur respondendum est.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 14. c. 9. de Ref. SORANA JURIUM PAROCHIALIUM: Dedimus omnem Causæ hujus speciem in Folio Congregationis habitæ die 22. Septembris superiore anno 1753., quod in lucem hominum editum fuit *Vol. XXII. Thes. Sac. Congr.* sed causa in ea Congregatione proposita non fuit. Iterum itaque data in Folio sequentis Congregationis habitæ die 17. Novembris, propositisque ejusdem Capitibus, nempe „ I. An cura Animarum Casalis Ricinichi partim degen- „ tium in Territorio Civitatis Atinæ, & partim in altero Terræ Gallinarii „ quoad omnes familias spectet privative ad Ecclesiam Collegiatam, & Pa- „ rochialem dictæ Civitatis, seu potius ad Ecclesiam Parochialem dictæ Ter- „ ræ in casu &c. *& quatenus negative ad utrumque*. II. An eadem cura per- „ tineat privative ad Ecclesiam dictæ Civitatis quoad familias ab eadem „ oriundas, & respective pertineat ad Ecclesiam dictæ Terræ privative quod „ ab ea oriundas in casu &c. III. An Ecclesia S. Mariæ de Monte Carmelo „ sita in Territorio Atinæ sit erigenda in Parochialem filialem dictæ Civita- „ tis cum deputatione Vicarii perpetui in casu &c. IV. An liceat Curatis di- „ ctæ Terræ novam Ecclesiam ex parte ejusdem Territorii erigere in Paro- „ chialem in casu &c. V. An & de quibus attentatis constet & quomodo sint „ purganda in casu &c. - *Respondit Sacrum Tribunal* - Ad I. negative ad „ utramque partem, & curam Animarum spectare privative ad Parochos re- „ spectivi Territorii, in quo familiæ habent Domicilium. Ad II. Provisum „ in primo: Ad III., & IV. Affirmative. Ad V. Negative - „ ut in eodem *Vol. XXII. Thes. Resol.* Redeunt nunc Canonici, & Parochi Atinæ ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium & expediendum est Dubium.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 22. c. 5. de Ref. BERGOMEN. PII LEGATI CELEBRATIONIS MISSARUM: Placuit Eminentissimis Patribus in hac Causa, quæ data fuit in Folio Congregationis habitæ die 4. superioris mensis Maii rescribere - *Dilata, & scribatur Episcopo pro meliori informatione* - Rescripsit Episcopus, retulitque annuum redditum hæreditatis Alexii Ficieni. Nunc itaque Causa reproponitur, & definiendum est Dubium.

An constet de perpetuitate Legati Pii celebrationis duarum Missarum continuarum ab Alexio Ficieni injunctarum; seu potius de illius temporaneitate ad vitam tantum primarum hæredum in casu &c.

Negative ad primam partem affirmative ad secundam.

Sess. 26. c. 10. de Ref. CALARITANA EXEMPTIONIS: Ne Sardi cum periculo vel libertatis, vel vitæ amittendæ Romam ad appellationes prosequendas venire cogerentur: Magnus illæ atque æternæ memoriæ Pontifex Pius II. „ perpetuis futuris temporibus Officium Judicis Appellationum instituit in eodem Regno pro „ uno Judice Ecclesiastico, qui Causas Ecclesiasticas tam Beneficiales, quam „ alias quarumcumque appellationum a quibusvis definitivis sententiis, aut „ gravaminibus tam ab Ordinariis, quam aliis Judicibus interpositarum co- „ gnosceret, easque decideret, ac debitæ executioni demandaret „. Delegati hujus Apostolici facultates in pluribus revocatæ fuerunt in dubium; sed San. mem. Urbanus VIII. literis suis datis anno 1626. eas vel declaravit, vel am-

ampliavit, voluitque, „ ut Judex prædictus posset Officium hujusmodi in tota Insula ultra tres dietas exercere, omnes & quascumque appellationum „ Causas cognoscere, nec non subdelegare, & Commissarios per Insulam „ ultra tres dietas transmittere, servata tamen forma privilegiorum eidem „ Judici à Sede Apostolica concessorum, & insuper, postquam a Sententia „ definitiva Metropolitani ad dictum Judicem appellavit, Partem appellantem Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalem Auditorem, „ seu Sedem Apostolicam adire, Forumque prædicti Judicis nisi per „ eum legitime præventum, & causa similiter introducta fuit, vitare re- „ spective posse „. Solet autem Sedes Apostolica huic muneri officioque præficere Canonicum aliquem aut Cathedralis, aut Metropolitanæ Ecclesiæ, sive aliam Personam in Ecclesiastica Dignitate constitutam, quam delegat *cum omnibus honoribus, gratiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, & emolumentis*.

Nova tamen anno 1672. incidit quæstio de exemptione Delegati hujus Apostoci a Jurisdictione aliorum Judicum, quæ acta fuit in hoc Sacro Tribunali duobus Dubiis „ I. An Ordinarii Locorum possint de prætensis excessibus Judicis „ ad Universitatem Causarum Appellationum cognoscere, vel potius teneantur ad Sanctam Sedem cognitionem remittere? II. An dictus Judex Appellationum in Causis Civilibus aut Criminalibus sit exemptus a Jurisdictione Ordinariorum, & aliorum quorumcumque Judicum Sæcularium & „ Regis, & sic ejus Officiales, & Assessores Fiscales, Notarii, Bajuli & „ & continuo commensales? *Respondit Sacrum Tribunal* - Ad I non posse, „ sed recurrendum ad Sanctam Sedem: Ad II. Affirmative quoad Judicem, „ & quoad Officiales, & alios Dilata - „ Post hæc Decreta nihil actum est: nuper autem exemptio Delegati in Dubium iterum revocari visa est: Causam dedit controversia quædam Decimaria inter Canonicum Jo. Baptistam Fulguerium, qui Delegati munere fungitur, & Sacerdotem Franciscum Angelum Marcellum. Fulguerius igitur, ne ulla deinceps hac de re agatur controversia, preces obtulit Sanctissimo Domino nostro postulans, ut exemptionem Literis suis confirmaret, exemplo Urbani Prædecessoris, qui, ut narravimus, Dubia, quæ de Jurisdictione orta fuerant, Literis suis definivit. Data fuit postulationis hujus cognitio Eminentissimis Patribus, auditoque jam Archiepiscopo, Causa proponitur, urgente Fulguerio decreta, quæ paulo ante dedimus hujus Sacri Tribunalis, quibus exemptio definita fuit. Addit jure fieri non posse, ut Vicarius Summi Pontificis, & Delegatus Apostolicus, qui supra Episcopos, & Archiepiscopos jurisdictionem exercet, eorum jurisdictioni subiiciatur: Perniciosum hoc etiam esse posse Litibus, & judiciis, quæ Delegati expedire ut vellent, non poterunt, nisi soluti metu, oteſtate, & Jurisdictione Episcoporum. Dubium est.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione exemptionis Judici Delegato Apostolico pro tempore in Regno Sardiniæ ab Ordinario, & aliis quibuscumque Judicibus ejusdem Regni in omnibus illius Causis tam activis, quam passivis, ejusque immediatæ subjectionis S. Sedi Apostolicæ in casu &c.

Affirmative in causis passivis tantum.

LAURETANA CANONICATUS: Testamento, quo decessit anno 1661. Thomas Balduccius Senogalliensis hæredibus suis sine filiis legitimis, & natuealibus quandocumque decedentibus substituit universalem hæredem Almam Domum Lauretanam, dato onere erigendi *unam Præbendam Canonicalem*, verba sunt Testamenti, „ in sua propria Ecclesia annui perpetui red- „ ditus scutorum tercentorum monetæ Papalis, & quod nominatio, & præ- „ sentatio dicti Canonici in perpetuum spectet ad Ill. Communitatem Civita- „ tis Senogalliæ, & quod dictus Canonicus, ut supra nominandus teneatur „ ce-

Sess. 21. cap. 3. de Ref. sess. 22. cap. 4 de Ref. Sess. 24. c. 13. de Ref.

„ celebrare quotidie per se, vel alium, pro suffragio animæ dicti Domini „ Testatoris, & secundum ejus intentionem „. Venit conditio anno 1751., delataque ex substitutione hæreditate ad Almam Domum, Communitas Senogalliæ preces obtulit Capitulo Basilicæ Lauretanæ, ut novi Canonicatus erectioni consensum præstaret. Consensum præstitit Capitulum adjectis novem conditionibus, quarum alias justas agnovit Communitas, alias vero dubias, & examine atque observationibus dignas. Folio igitur *observationum* scripto, illud obtulit Episcopo, subjecitque ejus Judicio: re a Canonicis perpensa, aliud & ipsi Folium ediderunt, in quo separatis conditionibus, eas arbitrio Episcopi inducendas, vel probandas commiserunt, duabus exceptis, quarum altera de *Punctaturis*, altera de *Extraordinariis* agebatur. Has firmas, atque immutabiles voluerunt, utque mentio earum expressa haberetur in Sententia erectionis Canonicatus. Postulante igitur eadem Communitate, lata fuit Sententia erectionis die 9. Decembris anno 1751., in qua ita scriptum est - „ Habitoque consensu Reverendissimi Capituli juxta conditiones „ ab eo reservatas in secundo Actu Capitulari sub die 3. Decembris currentis „ anni, in quo rejectis, & de medio sublatis cæteris conditionibus in primo „ Actu Capitulari appositis, duæ tantummodo fuerunt reservatæ, quarum „ una solutionem respicit Punctaturarum ad rationem Juliorum trium pro „ quolibet die simplici ad instar Canonicatuum primæ erectionis, ad quorum „ normam Canonicus possessor hujusmodi Canonicatus, illiusque successores admittentur ad participationem Punctaturarum, & Faulentiarum cæterorum juxta declarationem a dicta Communitate super hoc factam: Altera vero, ne dictus Canonicus Possessor antedicti Canonicatus, ac similiter illius Successores umquam admittentur, seu consequi possint emolumenta „ seu lucra provenientia ex interventu, & assistentia Missarum, seu Officiorum extraordinariorum tam præteritorum, quam eorum, quæ de cætero „ obvenire possint.

Erecto his conditionibus Canonicatu, nominatus, & præsentatus fuit a Communitate Sacerdos Benedictus Fabri, qui possessionem accepit, præstito Jure jurando de observandis Basilicæ consuetudinibus, & Statutis. At, cum novus hic Canonicus *extraordinariis officiis*, quibus interesse non tenebatur, assiduus esset, injecit suspicionem, quod aliquid in animo agitaret pactis & conditionibus, quibus Canonicatus receptus fuerat, contrarium. Capitulum igitur eum interpellandum esse censuit, emissa solemni protestatione, qua declaravit nullum ex ejus præsentia, & interventu *extraordinariis officiis* Jus dici posse quæsitum ad participationem, sed ejus dumtaxat pietati esse tribuendum. Interpellatio hæc mentem aperuit, animumque novi Canonici, qui jactavit nullas esse, atque irritas duas conditiones, neque eas a Capitulo apponi potuisse, neque ab Episcopo probari. Capitulum igitur eum in Jus vocavit, expedito in Tribunali A. C. Monitorio super observatione conditionum: Sed Communitas Senogalliæ oblita pactis, & consensu, quem præstiterat conditionibus, preces obtulit Sac huic Tribunali, quibus querebatur de utraque conditione, ac de applicatione Sacri Conventualis pro Benefactoribus, & Populo, quæ fieri deberet a suo Canonico, cum juxta legem Fundationis *teneretur celebrare quotidie pro suffragio animæ Testatoris, & secundum ejus intentionem*, & postulabat, ut conditiones illæ tollerentur auctoritate Eminentissimorum Patrum, qui etiam declararent, vel novum Canonicum non teneri ad applicationem Sacri Conventualis „ vel saltem augendam esse ejusdem Canonicatus Dotem. Causa ad cognitionem Eminentissimorum Patrum hac ratione delata, auditus fuit Episcopus, qui Folia quædam rationum a Capitulo recepit, & Epistolæ suæ attexuit, rescribens clariora ex illis esse Capituli Jura, quam ut ipse posset referre. Controversiæ omnes VIII. Capitibus collectæ fuerunt, quorum lectione facile percipi poterit quid sit, de quo quæritur, dum pridem duo ex facto dicamus, quorum alterum est, quod Constitutione Summi Pontificis Clementis VIII. jussum fuit, ut Alma Domus

mus singulis Basilicæ Choralibus, loco immobilium Bonorum, quæ antea unusquisque possidebat, annuam certam in ipsa Constitutione præfinitam solveret quantitatem, utque ex hac annua quantitate singulis præfinita *tres ex quatuor partibus in distributiones quotidianas inter præsentes, & actu divinis interessentes dumtaxat, converti debeant*; Id ipsum constitutum fuit in Synodo Diœcesana acta a Cardinali Roma Episcopo: Alterum est, quod translatione inita anno 1623. inter Almam Domum, & Chorales omnes Lauretanæ Basilicæ conventum fuit, ut Legata omnia, Donationes, pia relicta sive jam acquisita Capitulo, sive quocumque futuro tempore eidem obventura cederent in dominium Almæ Domus; quæ contra, cum Sacra essent agenda, teneretur Capitulo solvere scut. 4. distribuenda inter præsentes: Atque hæc sunt *extraordinaria* de quibus ambigitur. A Communitate, & Canonico Fabri nihil habuimus: Capita controversiæ hæc sunt.

I. *An, & quomodo distribui, & applicari debeant sc.300. pro Dote Canonicatus Balducci a Fundatore relicta, an scilicet duæ partes pro distributionibus, & una pro Præbenda; seu potius e converso.*

II. *An conditio, sub qua præstitus fuit consensus per Capitulum Basilicæ Lauretanæ erectioni Canonicatus Balducci de subeunda per Possessorem dicti Canonicatus Punctatura ad rationem obulorum 30. pro qualibet die simplici ad instar Canonicatuum primæ erectionis sit observanda?*

III. *An itidem sit servanda altera conditio quod Possessores ejusdem Canonicatus participare non debeant de emolumentis, & lucris dari consuetis cæteris Canonicis pro assistentia in Missis, & Officiis extraordinariis causam habentibus tam de præterito, quam de futuro?*

IV. *An participare debeat de emolumentis, quæ Capitulo, & Canonicis Lauretanis in associatione, & transportatione cadaverum dari solent.*

V. *An possessores præfati Canonicatus in celebrando, seu decantando Missam Conventualem in Turno sibi obtingente teneantur eam applicare pro Benefactoribus, & Populo?* & quatenus affirmative.

VI. *An tunc eidem Canonico fundationis Balducciæ Missam Conventualem applicanti debeat solvi stipendium ex Massa Capitulari; seu potius ad hunc effectum sit augenda ejus dos, & in qua quantitate?*

VII. *An Canonicatui Balduccio sit adnexus Ordo Presbyteralis, seu potius Diaconalis, vel Subdiaconalis?*

VIII. *An Canonicus Fabri teneatur contribuere ad sumptus præsentis litis in casu &c.*

Ad primum affirmative juxta modum, nempe applicatis tribus ex quatuor partibus pro distributionibus, & quarta pro Præbenda, & amplius. Ad II. IV. V. affirmative, & amplius. Ad III. affirmative. Ad VI. negative ad utramque partem. Ad VII. affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius. Ad VIII. negative & amplius.

TARENTINA DISTRIBUTIONUM: Ecclesia Metropolitana Tarentina vigintiduobus Canonicis decoratur, & pluribus Portionariis, qui sexagenarium numerum excedunt, licet a Summo Pontifice Sixto IV. Portiones præfinitæ fuerint in numero sexagenario, alii enim ex his Portionariis sunt Presbyteri, & his singulis integra portio assignatur, alii sunt Diaconi, & bini ex his Portionem habent æqualiter divisam; alii sunt Subdiaconi, & singulis quarta pars unius portionis tribuitur, alii sunt Accolyti, & ex his octo unam habent portionem, singuli nempe octavam partem, atque ita sexaginta portiones sunt, plures Portionarii. Inæqualis igitur est Portionariorum redditus, onera tamen præsertim Chori, & Divinorum Officiorum æqualia: qui tamen minores portionum partes accipiunt, longum servitii fastidium levant spe, quam habent, percipiendi pinguiorem, cum vacaverit, portionem, alioque Jure, quod habent percipiendi quidquid, vel Canonicis,

Sess. 21. c. 3. de Ref. sess. 24. cap. 12. de Ref.

vel

vel Portionariis absentibus detrahitur, & decrescit mulctis, seu Puncta uris immo fructus integros vel Canonicatus, vel portionis, qui decurrunt post obitum, donec Canonicatus, vel portio vacans non conferatur. Ut Portionarii, ita Canonici inæquales redditus habent. Duodecim namque seniores, seu antiqniores propriam habent Præbendam annui redditus Ducatorum 12. circiter, reliqui vero solos redditus, quos vocant in *Massa grossa*, de quibus tamen participant duodecim antiquiores Canonici, & Portionarii. Redditus hi statis certisque anni temporibus distribuuntur inter Canonicos, & Portionarios, iis exclusis, qui integram portionem non habent: sunt & alii redditus, qui *Massam minutam* constituunt, sive Distributiones quotidianas, quæ pariter in casu absentiæ iis accrescunt Portionariis, qui minores partes accipiunt.

Inter duodecim antiquiores Canonicos est Franciscus Ciura; Hic Mensæ Archiepiscopalis Æconomus, cum Neapolim concedere deberet curandis Litibus, quibus Mensa vexabatur, postulavit a Capitulo, ut in absentia a Choro, & Civitate sibi liceret omnia percipere emolumenta. Rejectus a Capitulo confugit ad hoc Sacrum Tribunal, & absentiæ Indultum obtinuit, quod etiam prorogatum fuit, solita tamen cum formula *amissis distributionibus quotidianis, quatenus redditus omnes in distributionibus non consistant, vel Præbendæ fructus tertiam distributionum partem non attingant*. Hoc impetrato Indulto, Neapolim concessit cum Archiepiscopo: reversus Tarentum contendere cępit sibi debitos esse non Præbendæ tantum fructus, de quibus nulla erat controversia, sed etiam redditus *Massæ grossæ*: Contra Portionarii, qui minores portionum partes accipiunt, quibusque, ut diximus, accrescit quidquid Canonicis, & Portionariis absentibus decrescit, hos redditus *Massæ illius* ab eo lucrifieri posse negabant. Res delata est ad hoc Sacrum Tribunal, & audito jam Archiepiscopo, qui Æconomi sui Causa rationibus, & exemplis aliorum Æconomorum, qui ante hunc fuerunt, tuetur, Causa proponitur, disputantibus Portionariis redditus *Massæ grossæ* veram distributionum quotidianarum naturam habere, præsertim, cum quis non a Choro tantum abest, sed etiam a Civitate: Nullum Ciuræ præsidium esse posse ab Indulto, quod impetravit ab hoc Sacro Tribunali, quod subreptitium, & obreptitium sit, vera rei historia non narrata, quam si rescivissent Eminentissimi Patres, Indultum non concessissent, cum ipse non abfuerit ob servitium Episcopi, uti Episcopi. Hæc atque alia Portionarii, a quibus tantum Jura habuimus, non a Ciura, non a Capitulo. Causa omnis IV. Dubiis collecta est.

I. *An Æconumus Archiepiscopi, quatenus sit Cannonicus, vel Portionarius lucretur fructus Præbendæ, Distributiones, & Massam grossam in absentia a Choro, & respective a Civitate?*

II. *An eosdem fructus, distributiones, & Massam in absentia a Choro, & respective a Civitate lucrentur etiam Canonicus generalis Æconomus Capituli, ejusque Exactor, seu Gabellottus?*

III. *An sit locus coarcevationi dictarum Distributionum, & Massæ grossæ cum Præbenda Canonici Ciura, itaut eidem in absentia a Civitate, & Ecclesia debeantur duæ tertiæ partes loco præbendæ?*

IV. *An idem Canonicus Ciura pro tempore, quo degit in Civitate Neapolis, fructus, distributiones, & Massam grossam, ut supra, lucratus fuerit in casu &c.*

Non proposita.

Sess. 25. c. 9. de Ref.

CLUSINA ERECTIONIS COLLEGIATÆ: Jussit Antonius Gabriel Testamento suo, quo decessit anno 1633., ut defectis lineis masculinis Consalvi Filii, & Octavii Fratris, quas hæredes scripserat, „ subito si fabrichi nel Palazzo del Testatore posto nella Terra di Sarteano &c. una Chiesa &c.

„ che

„ che nella medesima si possa fare una Dignità sotto nome di Propositura, e „ con quattro Canonici &c. *De Patronatu vero ita dispofuit* - Il Patronato, „ elezzione, e presentazione di Persone idonee alle Dignità, e Canonicati „ sia, ed esser debba, e s' appartenga alli figlj maschi e descendenti in infinito „ dalle figlie delli sopradetti suoi eredi istituiti come sopra &c. e mancando „ la discendenza mascolina delle figlie femine delli detti eredi istituiti come „ sopra, e non ve ne essendo, succedino nel detto Patronato, e ragione di „ presentare ed eleggere li figli maschi, e descendenti in infinito coll' ordi- „ ne successivo &c. della Signora Giuditta del quondam Signor Gio. Gabriel „ li di esso Signor Testatore nipote germana per una voce però solamente, „ e per un altra voce li figli maschi, e descendenti in infinito come sopra delle „ Figlie femine del Signor Gabriele, se ne avrà, e per due altre voci li fi- „ gli maschi e descendenti in infinito &c. per linea mascolina di tutte le fi- „ gli del sopradetto Signor Ottavio suo Fratello germano &c., & estinte to- „ talmente le linee mascoline delle predette, e ciascheduna di esse, o non „ ve ne essendo, si devolva la detta ragione di presentare alle dette Digni- tà, e Canonicati, e detto Patronato s' aspetti, e devolva all' Ordinario „. Defecerunt Lineæ masculinæ hæredum anno 1739. morte Jo. Gabrielis, neque tamen Collegiata erigi potuit, obsistentibus hæredibus dicti ultimi masculi, qui ob plurimas detractiones Testatoris hæreditatem retinere intendebant. Re in Judicium delata, post longas moras controversia sopita fuit transactione, in qua expresse reservatum fuit Apostolicum Beneplacitum.

Precibus igitur Sanctissimo Domino nostro oblatis, postulabatur confirmatio transactionis, & commutatio voluntatis defuncti, qua parte jusserat ædificari Ecclesiam, in qua erigenda esset Collegiata, ut hæc transferretur in Ecclesiam S. Laurentii, quæ Mater est in eadem Terra Sarteani, dataque postulationis hujus cognitione Sacro huic Tribunali, rogatus fuit clar. mem. Cardinalis Bichius, ut, re perpensa, animi sui Sententiam explicaret. Respondit censere, ut transactio esset approbanda, ut Collegiata erigi posset in Ecclesia S. Laurentii, assignatis Ecclesiæ pro necessariis impensis scut. 25. annuis, utque reservarentur *Prima Dignitas in omni vacatione ad Sanctam Sedem Apostolicam juxta Regulam 4. Cancellariæ, & quatuor omnes Canonicatus juxta Menses vacationum ad formam Regulæ 9. ejusdem Cancellariæ*. Re post hoc responsum proposita in Congregatione habita die 20. Martii anno 1744. rescripserunt Eminentissimi PP. - *Pro approbatione Concordiæ juxta Votum Eminentissimi Relatoris*. Non ob id tamen Collegiata erigi potuit altum clamantibus Nicolao Fortiguerra, Sylvio Campioni, aliisque descendentibus ex filiabus hæredum Testatoris, quibus, ut supra relatis Testamenti verbis narravimus, relictum datumque fuerat Jus patronatus, læsa fuisse eo responso, rescriptoque eorum Jura, ipsis ignorantibus, & inauditis. Habita igitur harum querelarum notitia, a novis precibus oblatis ab Episcopo Clusino iterum rogatus fuit clar. mem. Cardinalis Bichius, ut de novis hisce precibus Sententiam suam diceret, sed abstinuit a declaratione animi sui, productis dumtaxat Regulis 4., & 9. Cancellariæ. Res siluit ad hæc tempora: Nunc autem in Jus venerunt Patroni, datoque libello postulant, ut Eminentissimi Patres a Decisis recedant: Ambigi enim non posse rem esse de Jure Patronatus tam ratione testatoris, quam ratione bonorum *laicali*, ex fundatione, & Dote, ideoque apertum consequens esse, ut sub reservationibus Regularum Cancellariæ nequeat esse comprehensum.

Neque excipi posse defecisse lineas Judittæ, & Gabrielis, defecisse lineam Consalvi filii Testatoris, quia Nicolaus Fortiguerra per duplicem fœminam descendat; solam superesse vocem Sylvii Campioni, qui descendit a Gabriella filia Octavii, ideoque tres ex quatuor vocibus devolutas esse ex aperta Testatoris dispositione ad Episcopos Clusinos, & Patronatum factum fuisse *mixtum*, quod subiicitur reservationibus Regularum Cancellariæ, quando pinguior est vox Patronorum Ecclesiasticorum, absorbetque illam Laicorum, ut distin-

 guunt

guunt collecti a *Panimoll. dec.9. annot.4. num.3. & seqq.* nam neque Forteguerrius excludi possit, licet per duplicem fœminam descendat, neque nunc de hac quæstione agendum esse, sed inter Patronos, satisque sit, ut jus illius vocis sit in implicito validitatis statu, ne dici possit superare voces Patronorum Ecclesiasticorum. Denique, quod etiamsi omnes voces ad Episcopum devolutæ essent, quia tamen res est de Patronatu in sua origine laicali, & ex voluntate Testatoris translato in Personam Ecclesiasticam, explorati Juris sit censendum esse originariam qualitatem laicalem conservasse, & retinuisse ad effectum respuendi reservationes ex Regulis Cancellariæ, ut differunt *Lotter. de re Benefic. lib.2. quæst.10. num.11. & seqq. Corrad. in Prax. Benefic. lib.4. cap.2. num 4.* atque ex his disputant Patroni recedendum esse a reservationibus saltem quoad Canonicatus, nam quoad Dignitatem Præpositurae supplicant *pro Gratia* nempe, ut, quando jam probata fuit translatio Collegiatæ ad Ecclesiam S Laurentii, uniatur eidem Collegiatæ Rectoratus ejusdem Ecclesiæ, itaut Parochus, qui alias nequit locum concedere exteris advenientibus, fiat prima Dignitas subjecta reservationibus Apostolicis, eidemque assignetur Præbenda *per subtractionem onerum, & expensarum*, quibus nunc subjicitur pro Ecclesia, quæque ferri debeant a Massa Capitulari in summa illa præfinita jam annorum scut 52. secunda vero Dignitas Præpositura sit Juris Patronatus Laicorum, ut Canonicatus. Hæc Patroni, qui rationes, ex quibus *gratia* hæc concedi possit, latius exequuntur. Dubium est.

An & quomodo sit recedendum a Decisis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Die Sabbathi 24. Augusti 1754.

SUpersunt ex Folio ultimæ Congregationis habitæ die 20. transacti Mensis Julii tres, quas subiicimus, Causæ, quarum prima, & tertia dilationem obtinuerunt, secunda proposita non fuit. Rogamus itaque Eminentissimos PP., ut eodem Folio iterum consulto, easdem Causas expediant.

Seß 24. c. 1, & c.9. de Ref.

POSNANIEN. MATRIMONII, cujus Dubium est.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

Sess.21. cap.1. c.12. de Ref.& sess.24.

TARENTINA DISMEMBRATIONUM cujus IV. sunt Capita. *ut in p.32.*

I. *An &c.*

Dilata in omnibus, & coadiuventur probationes, & reformentur dubia juxta mentem.

CLUSINA ERECTIONIS COLLEGIATÆ, in qua quæritur.

An & quomodo sit recedendum a Decisis in casu &c.

Dilata, & exquiratur novum votum, auditis Officialibns Datariæ.

FERRARIEN. JURISDICTIONIS: Inter alia Sanctimonialium Monasteria, quæ Ferrariæ sunt, Regularium Ordinum, quatuor sunt Dominicanæ Familiæ: Duo P. Provinciali utriusque Lombardiæ alterum nempe Sanctæ Catharinæ Martyris, alterum Sanctæ Catharinæ Senensis: alia duo alterum Sancti Rocchi, alterum Sanctæ Monicæ P. Vicario Generali Congregationis Sanctæ Sabinæ subjecta sunt. In ultima Visitatione facta a P. Provinciali Lombardiæ auditæ sunt Monialium querelæ omnia nutu, arbitrioque Syndici regi atque administrari, locationes, concessio-

cessiones, renovationes emphytheoticas sine propositione edictorum, sine Beneplacito Apostolico, sine assensu, immo cum dissensu Monialium, sine interventu Præfecti Regularis fieri, libros accepti & impensi non intra claustra Monasteriorum, sed apud Ministros servari. His auditis querelis, optimum esse censuit P. Provincialis rationes exigere a Ministris, eisque indixit, ut libros ederent, cum hi renuissent libros edere, & rationes reddere, adiit P. Provincialis Eminentissimum Archiepiscopum, ut eos cogeret, sed eum difficilem invenit, quod putaret Regularium auctoritatem versari dumtaxat in directione spirituali Monialium, cetera ad Episcopos pertinere. Hinc orta est de Jurisdictione controversia, quæ ad hoc Sacrum Tribunal delata est, novisque in diem evenientibus dissidiorum causis, tandem post auditum eumdem Eminentissimum Archiepiscopum Causa omnis XIV. Capitibus collecta fuit. A Promotore Fiscali Curiæ Archiepiscopalis nihil habuimus, a Patribus vero & Monialibus brevissimum libellum, qui eadem fere, quæ supra scripsimus, continet. Capita sunt.

I. *An Superioribus Regularibus competat ordinaria jurisdictio in spiritualibus, & temporalibus super Monasteriis SS. Catharinæ Martyris, & Senensis, necnon SS. Monicæ, & Rocchi, & signanter in procuranda recta administratione bonorum, & reddituum dictorum Monasteriorum sibi subjectorum, seu potius servanda sit in casibus particularibus prætensa consuetudo in casu &c.*

II. *An Vicarii Monasteriorum præfatorum institui per Provincialem Lombardiæ, & respective per Vicarium Generalem Congregationis S. Sabinæ, vel illis impeditis, seu absentibus, Confessarii eorumdem Monasteriorum possint intervenire quibuscumque contractibus ineundis nomine eorumdem Monasteriorum.*

III. *An iidem Vicarii, vel illis absentibus aut impeditis Confessarii possint, ac debeant assistere redditioni rationum, seu revisioni computorum, ut prætenditur, facien. de trimestre in trimestre?*

IV. *An Provincialis utriusque Lombardiæ, & P. Vicarius Generalis S. Sabinæ possint, & debeant visitare dicta Monasteria circa administrationem Bonorum, & reddituum, & sic revidere libros introitus, & exitus, ac exigere rationum redditionem a Ministris, aliisque Officialibus eorumdem Monasteriorum?*

V. *An Eminentissimus Archiepiscopus possit, irrequisito Superiore Regulari, exigere, & recipere rationum redditionem a dictis Ministris, & Officialibus.*

VI. *An electio cujuscumque novi Ministri, & Syndici in casu obitus, dimissionis Officii, vel amotionis spectet ad Priorissam, & Moniales, vel potius ad Archiepiscopum.*

VII. *An dimissio Officiorum facienda sit in manibus Priorissæ, vel potius in manibus Eminentissimi Archiepiscopi.*

VIII. *An facultas removendi dictos Officiales, & Ministros spectet ad Priorissam, & Moniales, seu potius ad Eminentissimum Archiepiscopum?* Et quatenus Affirmative ad secundam partem *V. VI*, & *VII.* Dubii.

IX. *An novus Minister, vel Syndicus possit vigore literarum Patentium Archiepiscopi contractus inire, aliosque administrationis actus gerere sine mandato procuræ Priorissæ, & Monialium?* Et quatenus negative.

X. *An Priorissa, & Moniales possint novo Syndico tribuere in mandato procuræ facultates sibi bene visas, ac etiam alios Procuratores constituere ad certa negocia.*

XI. *An quæcumque instrumenta stipulari debeant coram Priorissa, & Monialibus capitulariter congregatis cum interventu Superioris Regularis.*

XII. *An in quibuslibet instrumentis & scripturis, quibus interveniant Superior Regularis, & Syndicus debeat prænominari, & prius subscribere ipse Superior Regularis, seu potius Syndicus?*

XIII. *An Archivum cujusque ex dictis Monasteriis retineri debeat intra claustra, seu potius extra, idest in collocutorio Monialium?*

XIV. *An omnes libri nuncupati magistrales retineri debeant in Archivo, & de trimestre in trimestrem tradi Ministris pro reportandis partitis introitus, & exitus in casu &c.*

Dilata, & proponatur in prima omnino.

Sess. 24. c. 1. de Ref.

VALENTINA NULLITATIS MATRIMONII. Uxorem, quam in Patrio Oppido *Caecaxente* ob vulgatam imbecillitatis suæ famam invenire non poterat Ignatius Rubio viridioris ætatis annos agens, invenit tandem in alio Oppido *Puebla Clarga*, in quod ob distantiam triginta milliariorum inertiæ suæ fama non penetraverat; Consanguinea hæc erat, & paris ætatis Vincentia Navarro. Impetrata igitur Dispensatione Apostolica, Matrimonium inter eos contractum fuit die 21. Februarii anno 1746. sed licet per mensem individuam vitæ consuetudinem Conjuges servassent, & Mulieris virginitatem pluries tentasset Ignatius, eam tamen dividere, & arcta portarum claustra perrumpere non potuit, jacente semper hasta, quam neque Uxoris blanditiæ excitare potuerunt. Dissimulavit tamen Ignatius inertiam suam varias prætexens extrinsecas causas, rem vero tristis, & lacrymans aperuit amicis, a quibus remedia poposcit. Piper opportunum visum est, consilium accepit, nullo levamine; Vulgari inde cæpit in Oppido ejus imbecillitas, agnitumque fuit vulgatam jam fuisse in Oppido patrio. Vincentia, consultis Theologis, & Juris prudentibus, ne Causa ejus diuturniori silentio deterior fieret, querelam nullitatis, bimestri nondum elapso, proposuit in Curia Archiepiscopali Valentiæ, obtulitque viro positiones, quibus ipse responderet. Fassus est tentasse opus, non perfecisse, sperare tamen se impleturum. Novas itaque Vincentia, & magis individuas interrogationes obtulit respondit absolutam perpetuamque imbecillitatem suam negans: in causa fuisse adultam uxoris ætatem, aeris cælique rigorem, animi perturbationes absentiam a patrio solo, maleolentem habitum oris Uxoris suæ, quartanam denique febrim, qua pluribus mensibus ante initum Matrimonium laboraverat.

Ut has viri excusationes redargueret Vincentia, plures edidit Testes, qui vulgatam fuisse famam imbecillitatis viri longe, antequam laboraret quartana, & ante, & post contractum Matrimonium retulerunt, graveolentem Vincentiæ halitum negarunt, remedia, quibus usus fuerat Ignatius ad venerem excitandam, aperuerunt, negarunt quartanam viros facere enerves, elumbesque, atque ineptos ad Matrimonium in illa præsertim Cæli temperatione: Ignatium denique longe ante nuptias contractas a quartana convaluisse. Post hæc jussum est, ut Periti Medici Chirurgique Ignatii Corpus inspicerent, institutisque experimentis investigarent, an vera esset ejusdem inertia. Repetita ter inspectio nullum prodidit extrinsecum partium vitium, & experimenta jacentem partem excitare non potuerunt. Jactante autem Ignatio illicitas copulas, quas cum aliis fæminis ante initum Matrimonium habuisset, censuerunt Periti imbecillitatem ejus, non absolutam, & perpetuam, sed *accidentalem respectivam*, temporariam, & medicamentis superabilem esse, utque certius constaret, an hujus esset naturæ, proposuerunt novam esse faciendam inspectionem, præmissa tamen potione Boracis Veneti, quam juxta eorum Philosophiam aptam putabant ad rem detegendam. Postulavit igitur Vincentia, ut ad hanc potionem sumendam Ignatius compelleretur: renuebat ille causatus noxiam sui corporis sanitati, Judex secundum Ignatium decrevit, rejecitque Vincentiam. Hæc confugit ad Nuncium Apo-

ſtolicum, qui die 14. Februarii anno 1748. Cauſam ad eumdem Judicem remiſit, jubens, Ignatium „ nel tempo degli eſperimenti legali ſia obligato „ prendere li medicamenti, che ſi giudicheranno atti per la curazione dell'infermità, che patiſce, come non ſiano contrarj alla ſua ſalute.

Ab hoc Decreto Cauſa vix exitum aliquem invenire potuit, nam Ignatius poſtulavit, ut Medicis jusjurandum deferretur, „ ſe il rimedio ricettato è atto „ per verificare, e venire in cognizione dell' impotenza, e ſua cura, e ſe „ gli può recare pregiudizio alla ſalute „. Medici, ut eorum mos eſt, in varias abjerunt ſententias, convenerunt tamen Boracem bene præparatum, & ſemel, aut bis potum innoxium eſſe. Alter vero ex his, licet pridem judicaſſet hanc potionem non convenire Ignatio, cenſuit inde non poſſe tuta conſcientia hanc potionem præberi, dum ipſe ab Uxore ſua abeſſet: hinc Ignatio diffugium, negavit enim ſe Boracem ſumpturum, niſi cum Vincentia Uxore habitaret. Anceps Judex, ac ſi opes medicæ in ſolo eſſent Borace Veneto, alios Medicos de hoc Borace conſuluit, qui varietate opinionum dubietatem auxerunt animi ſui. Alios itaque duos medicos elegit, qui pariter in diverſa abjerunt. Tandem Judici viſum eſt unum ex his ſequi, qui cenſuerat imbecillitatem Ignatii medicamentorum ope tolli poſſe, dum tamen cum uxore habitaret. Pronunciavit igitur eſſe locum cohabitationi triennali, eoque tempore teneri Ignatium ea ſumere medicamina, quæ medicus indixiſſet. Appellavit Vincentia ad hoc ſacrum Tribunal, & diſputat cohabitationi non eſſe locum, quod ipſa illico, & intra bimeſtre proclamaverit ad libertatem, quod certiſſimum ſit ipſam inviolatam eſſe a viro, quod nulla ſpes eſſe poſſit Ignatio recipiendi poſt octo annos litis eas vires, quas neque ante Matrimonium, neque Matrimonii tempore, quo viridioris erat ætatis, omniaque ad venerem conſpirabant, habere potuit, itaut inutile futurum ſit triennale experimentum, & nutritivum peccati. Hæc atque alia multa Vincentia longo, quem dedit, Libello. Ab Ignatio, & *Defenſore Matrimonii* nihil habuimus. Dubium eſt.

An conſtet de nullitate Matrimonii, ſeu potius ſit locus cohabitationi triennali in caſu &c.

Eſſe locum cohabitationi triennali, & amplius.

REGIEN. VISITATIONIS: Cœnobium Patrum Minorum Conventualium, quod in Oppido Saxoli Regienſis Diœceſeos ſitum eſt, fundatum fuit anno 1567., & ab ipſo Fundationis initio regularis diſciplina plurimum in eo floruit. Latet equidem numerus Patrum, qui in eo permanſerint ad annum uſque 1618., traditumque eſt ejus Eccleſiam tunc temporis ab Epiſcopo Regienſi ſemel viſitatam fuiſſe, unde argui poſſe videtur eo tempore in Cœnobio illo tot Patres non fuiſſe, quot ſatis erant ad exemptionem a Juriſdictione Epiſcopali. Quidquid autem hac de re ſit, certum eſt ab eo anno ad noſtra hæc tempora ſenario minorem numquam fuiſſe Regularium numerum in eodem Cœnobio, quod tamen non deterruit Epiſcopum Regienſem a Viſitatione Eccleſiæ eorumdem Patrum, quam facere voluit anno 1752. Epiſcopum Viſitantem non rejecerunt Patres, ſed proteſtationem emiſerunt, qua Jura ſua ſarta tecta ſervarunt, inde ad hoc Sacrum Tribunal confugerunt. Proteſtatio illa in cauſa fuit, ut paulo poſt elapſo tempore, quo P. Magiſter Felix Antonius Fantini Cœnobii Guardianus Sacramentales Confeſſiones excipere poterat, confirmationem ejuſdem facultatis idem Magiſter amplius obtinere nequiverit. Acceſſit querelis Patrum Decretum ab Epiſcopo latum in eadem Viſitatione. Cum enim Teſtamento, quo deceſſit anno 1635. Julius Coſta hæredem ſcripſiſſet Thomam filium, eique ſine filiis decedenti ſubſtituiſſet Jo. Baptiſtam Teſtatoris fratrem, ejuſque filium Jacobum, dato onere ultimo ſuperſtiti erigendi in Conventu Patrum Minorum Conventualium Peculium frumentarium ſtariorum 50. quod adminiſtraretur ab hærede, & Patri-

Seſs. 24. c. 10. de Ref.

tribus, alio etiam adjecto onere ædificandi in eodem Conventu cellam, in qua frumentum reconderetur. Hinc delata anno 1668. Julii hæreditate ad Agnetem Thomæ filiam uxoremque Marii Botti, Conjuges hi censum constituerunt favore eorumdem Patrum, dato iisdem onere ædificandi cellam pro Peculio frumentario, quod onus Patres impleverunt destinatione unius ex cellis Conventus.

Cum autem ex causa hujus Census variæ inter Conjuges, & eorum Liberos, ac Patres Conventuales ortæ fuissent controversiæ, tandem sopitæ omnes fuerunt transactione inita anno 1708., in qua Patres renunciarunt tum sorti, tum fructibus Census, & in arbitrium Patris Guardiani collatum fuit ,, di riceve- ,, re, e ritenere la chiave di detto Peculio, *ea tamen adjecta lege, & con-* ,, *ditione*, che il Convento non sia mai in alcun tempo sottoposto, ne sogget- ,, to ad alcun risarcimento di detto Peculio in caso di furto, o andasse a ma- ,, le qualche quantità di frumento in tutto, o in parte, al mantenimento ,, del quale è tenuta solamente detta Sig. Agnesa, come erede suddetta, e ,, non altrimenti ,,. Ignoratur autem, an distributio hujus frumenti, quod ex Testatoris præcepto mutuandum erat pauperrimis agricolis, sive ante, sive post hanc transactionem facta fuerit a Patribus, vel ab Agnete ejusque hæredibus, illud liquet frumentum hoc sive culpa, & negligentia Administratorum, sive dolo agricolarum, sive necessitate ob annonæ caritatem plurimum decrevisse, ideoque in ea, quam diximus, Visitatione Regiensis Episcopus decretum hoc tulit: ,, Patres Conventuales, quando in termino sex ,, mensium constare non faciant de satisfactione &c., teneantur tunc deposi- ,, tare in manibus Domini Præpositi, & Vicarii foranei Saxoli nomine nostro ,, vigintiquinque Sarcinas Frumenti vulgo sacchi di frumento de juribus Pe- ,, culii Costa ,,. De hoc Decreto querebantur Patres; ideoque Causa omnis IV., quæ subiicimus, Capitibus collecta fuit, disputantibus Patribus Visitationem circumscribendam esse, cum eam facere non posset Episcopus, eumque denegare non potuisse facultatis excipiendarum Sacramentalium Confessionum confirmationem, revocandumque esse Decretum ab Episcopo latum uti nullum, & injustum. A Promotore Fiscali nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An liceat Reverendissimo Episcopo Regiensi visitare Ecclesiam Patrum Minorum S. Francisci Conventualium Terræ Saxoli*, & quatenus negative.

II. *An actus Visitationis novissime per dictum Reverendissimum Episcopum expleti in eadem Ecclesia sint annullandi, & circumscribendi.*

III. *An dictus Reverendissimus Episcopus potuerit suspendere ab excipiendis Sacramentalibus Confessionibus P. Magistrum Fantini tunc Conventus S. Francisci Guardianum alias ab eodem Episcopo approbatum.*

IV. *An, & quomodo sit providendum quoad Peculium anno 1655. ordinatum a Julio Costa in casu &c.*

Dilata ad sequentem; & distribuatur relatio Episcopi.

Sess. 22. c. 11. de Ref. LEODIEN. INDULTI: Capitulum Oppidi Fossensis, quod in Diœcesi Leodiensi inter Mosam, & Sabim situm est, constat Decano, & triginta Canonicis, quorum singulis annuus est redditus scut. 120. Habet autem splendidissimum amplissimumque Templum, quod cum vetustate dilaberetur, neque aut fabricæ redditus, qui tenuissimi sunt, aut Canonicatuum, qui vix ad congruam Canonicorum sufficiunt, fructus satis esse possent ad immanem impensam, quæ necessaria erat ad reparationem, novamque constructionem, ideo Capitulum preces obtulit san. mem. Innocentio XIII., postulans, ut fructus Canonicatuum vacantium per obitum spatio duorum annorum in causam fabricæ converterentur, fructus vero illorum Canonicatuum, qui aliter quam per obitum vacarent, unius dumtaxat anni spatio in eamdem cau-

causam erogarentur. Annuit Princeps optimus, atque hoc Beneficium Capitulo indulsit per vicennium, data etiam facultate contrahendi Censum scut. 3. mil. erogandorum in causam urgentiorum reparationum. Censum contraxit Capitulum in scut. 2. mil., qui etiam redemptus fuit, & licet non leves summas in fabricam Ecclesiæ impendisset, cum tamen parum esset, quod ex fructibus Canonicatuum juxta Indultum erogatis redactum fuit, fabricæ opus imperfectum maxima sui parte remansit, neque potuit absolvi. Iterum igitur Capitulum anno 1744. exacto vicennio preces obtulit Sanctissimo Domino nostro postulans Indulti prorogationem, quæ concessa fuit ad aliud decennium. Hoc autem decennio impossibile fuit Capitulo fabricam prosequi, nam impensæ auctæ sunt dirutis Domibus Parochialibus, & variis Ecclesiis filialibus sitis in diversis Dominiis, direptisque ultimo Bello Belgico Bonis Capituli militari licentia. Novas itaque Preces Sanctissimo Domino nostro obtulerunt Canonici, quibus postulabant, ut Indultum illud e temporario fieret perpetuum, ut perpetuum habent Cathedralis Ecclesia, Sancti Petri, Sancti Pauli, aliæque Leodienses. Data fuit postulationis hujus cognitio Amplissimis Patribus, auditusque Officialis Leodiensis respondit longa epistola, qua res omnes, impensas, damna, erogationes pecuniarum, necessitates recenset, sententiamque sui animi explicat secundum Capitulum; eadem habet in libello Capitulum, quæ Officialis in epistola, & ideo nunc expediendum est Dubium.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti perpetui in casu &c.

Pro gratia ad decennium.

ROMANA LEGATI; Testamento, quo decessit anno 1752. Joseph Hemma ita legavit: „ lascio alla Ven Cappella di S Giuseppe nella chiesa della Rotonda luoghi tre di Monti Camerali non Vacabili coll'obligo di far celebrare in perpetuo una Messa la Settimana nel giorno di Venerdì in d. Cappella in suffragio dell'Anima sua „. Cum vero in eadem Cappella dudum erectum fuerit Sodalitium vulgo nuncupatum *de Virtuosi*, controversia orta est inter Capitulum ejusdem Ecclesiæ, & Sodalitium, an Legatum Cappellæ relictum spectet ad Sodalitium, vel ad Capitulum. Re ad hoc Sac. Tribunal delata, disputat Capitulum sibi quæsitum fuisse Legatum, quia habeat Jura Parochialia, & dominium Ecclesiæ, & Cappellæ: Ambigui Juris non esse Parocho deberi oblationes omnes, & obventiones, quæ fiant Ecclesiæ, aut Cappellis sitis intra fines Ecclesiæ, & Parochiæ, ut tradunt *Abb. in cap. Pastoralis 9. de his quæ fin. a Præl. conf. sin. Cap. Frances de Eccles. Cathed. cap. 2. num. 214. Barbos. de Offic. Paroch. part. 3. cap. 24. num. 22. & seqq Ventrigl. in Prax. annot. 25. num. 11. & 33. Tom. 2.* Legatumque datum Cappellæ, in qua erectum est Sodalitium, deberi Rectori, & Domino Ecclesiæ, non Sodalitio docent *Durand. de Art. Testand tit. 6. Cauthel 7 n. 1. & 2. Genuens. in Prax cap. 57. num 4* Quia vero Sodalitium sibi asserit Dominium Cappellæ ex Brevi San. mem. Gregorii XIII., & ex re judicata Tribunalis A. C. ideo Capitulum in suo Libello fuse disputat Breve subreptitium, & obreptitium esse, rem judicatam injustam, & petitam fuisse restitutionem in integrum, causamque conficere inobservantiam utriusque, Brevis scilicet, & rei judicatæ. A Sodalitio nihil habuimus. Unum est Causæ Caput. Sess. 22. c. 8. de Ref.

An, & cui competat Jus consequendi Legatum relictum Ven. Cappellæ Divi Josephi in casu &c.

Jus competere Societati.

GIHENNEN. Postquam nobilis Vir Franciscus de Los Cobos Cappellam in Parochiali Ecclesia S. Thomæ Oppidi tunc, nunc vero Civitatis Ubedæ extruxerat, & dotaverat, & a San. mem. Clemente VIII. impetraverat unio- Sess. 26. c. 13. de Ref.

unionem eidem Cappellæ plurium Beneficiorum, quæ sui juris erant, ut eorum fructus erogarentur pro stipendio Cappellani, qui *Major* diceretur, aliorum sex Cappellanorum, qui *Minores* nuncuparentur, Æditui seu Sacristæ, & trium puerorum, qui Cappellæ servirent, dato onere Cappellanis Sacra, divinaque alia Officia agendi, alioque onere adjecto, ut si fructus Beneficiorum excrescerent, dotaretur quotannis in Festo Sanctissimæ Conceptionis Puella dote centum Ducatorum auri, reservato sibi suisque hæredibus, & successoribus perpetuo Patronatu. Postquam inquam hæc gesserat, preces obtulit San. mem. Paulo III., postulavitque, ut easdem Cappellanias, & Beneficia, Patronatum, bona quæcumque sive mobilia, sive stabilia eidem Cappellæ donata, & dotem Puellæ constitutam auctoritate Apostolica transferret in novam Ecclesiam, quam extruere meditabatur cum Altaribus, Cœmeterio, Turri Campanaria, aliisque membris prope Hospitale S. Salvatoris in solo, quod ejus rei ergo eidem concesserat Sodalitium ejusdem Hospitalis. Annuit postulationi Pontifex, aucto redditu Cappellanis, auctisque duabus aliis Cappellanis constitutis dotibus centum ducatorum auri, auctisque dotibus altera præstanda Puellæ die festo S. Salvatoris, altera vero Pauperibus Hospitalis. Dum fervebat opus novæ Ecclesiæ. ad alia duo animum convertit Franciscus, alterum Studii generalis erigendi in eodem Oppido, nunc Civitate Ubedæ, alterum Monasterii sive mulierum, sive virorum in Diœcesi Gihennensi ædificandi, sed mors illum occupavit, hisce operibus nondum impletis.

Pietatem defuncti Viri æmulata Conjux superstes Maria Mendoxa, & communis filius Didacus de Los Cobos Ecclesiam Sancti Salvatoris perfici, erogatis de propria pecunia quadraginta millibus ducatorum auri, studiorum Accademiam, & Monasterium extrui curarunt, Puellas nuptui tradiderunt, Dotem Hospitali constituerunt, alio etiam ædificato Monasterio, alioque Hospitali in Oppido, nunc Episcopali Civitate Vallisoleti erogatis etiam aliis bismille ducatis auri in fundationem alterius Monasterii Regularium in eodem Oppido Vallisoleti. His igitur, aliisque pietatis operibus absolutis, constitutoque in Ecclesia S. Salvatoris Ubedæ duodeno Cappellanorum, seu Beneficiariorum numero, Sacristis, Magistro Cappellæ, Cantoribus, Ministris, Magistris denique Grammaticæ, & Rhetoricæ, adiverunt San. mem. Gregorium XIII. qui literis suis Patronatum, Privilegia, Indulgentias, Indultaque omnia a Prædecessoribus suis Ecclesiæ S Salvatoris, Patronis, Cappellanis concessa plenissime confirmavit, atque hoc amplius constituit, „ „ quod de cætero Cappellanus major, qui pro tempore foret, præcedentiam super omnes alios dicti Oppidi de Ubeda Beneficiatos haberet in Proces-
„ sionibus taliter, quod incederet immediate post ultimam Dignitatem Sæ-
„ cularis, & Collegiatæ Ecclesiæ dicti Oppidi; alias non teneretur, nec
„ compelleretur incedere in Processionibus etiam generalibus, nec aliquibus
„ censuris super hoc innodari posset: necnon quod Beneficiati ejusdem Ec-
„ clesiæ S. Salvatoris in Processionibus incedere deberent post dilectos filios
„ Beneficiatos dicti Oppidi „. Exequutionem vero suæ Constitutionis mandavit Episcopo Guadicensi.

Hic autem publica edicta figi curavit, quibus monerentur omnes interesse habentes, & in Jus vocari Episcopum, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Gihennensis, & Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Ubedæ, hisque omnibus pluries in Judicio contradicto auditis, sententiam tandem tulit, qua pronunciavit, che da qui innanzi il Cappellano maggiore &c. di S. Salvatore nelle
„ processioni &c. preceda ai di lei Beneficiati di sorte, che &c. vada imme-
„ diato all' ultima Dignità &c. e non concedendolisi tal luogo, non sia esso
„ obligato ad intervenire a dette Processioni &c. ne possa esservi astretto &c.
„ con censure &c. Et in oltre commando, che nelle medesime Processioni
„ &c. diasi ai Benefiziati &c. di S. Salvatore il luogo dopo li Benefiziati
„ della Chiesa maggiore &c. e non conseguendo tal luogo &c. intendasi con
esfi „

„ essi lo stesso, che si è detto del Cappellano maggiore „ . Renuit Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Ubedæ Constitutioni Pontificiæ, & sententiæ Episcopi exequutoris obtemperare, ideoque neque Cappellanus Major, neque minores ad nostra usque hæc tempora Processionibus umquam accesserunt. Cum vero anno 1751. Provisor Gihennensis Edictum proposuisset, quo jubebat, ut Ecclesiastici omnes Processioni Sanctissimi Corporis Christi accederent. Lis inter utramque Ecclesiam coram eodem Provisore contestata fuit, qui, comperta constitutione Gregoriana, curavit, ut a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Ubedæ adiretur hoc Sacrum Tribunal, quod compelleret Majorem, minoresque Cappellanos ad incedendum in Processionibus eo loco, iis debito juxta tempus eorum Fundationis, sicuti decretum fuerat a San. mem. Paulo V. Brevi ab eodem dato.

Causa nunc igitur, audito jam Episcopo, proponitur, disputantibus Eleonora Gomez de los Cobos præsenti Patrona, & Cappellanis Majori, ac minoribus Ecclesiæ S. Salvatoris audiendum non esse Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ ob resistentiam Gregorianæ Constitutionis munitæ clausula *sublata* &c. & *Decreto irritanti*, ex qua aut Cappellanus Major, & Minores incedere debent in loco, qui ipsis assignatus fuit a Constitutione, & sententia, quæ rei Judicatæ auctoritatem habet, aut nullo modo compelli possint ad accedendum: Justam fuisse hanc Pontificis providentiam in retributionem immensæ liberalitatis Patronorum, neque injuriam Capitulo illatam dici posse, cum hæ inter Ecclesiasticos Præcedentiæ pendeant a voluntate Summi Pontificis, cujus supremum in his arbitrium est: Breve Paulinum manifesta obreptione, & subreptione infectum esse, cum reticuerit Capitulum Gregorianam Constitutionem, & sententiam Episcopi exequutoris latam, contradicente eodem Capitulo eique si scivisset Summus Pontifex, Breve illud non dedisset: Hæc Patrona, & Cappellani, qui pleniore meo, quem nobis dederunt, libellum promittunt. A Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ nihil habuimus. Tria sunt Causæ Capita.

I. *An Cappellanus Major, & minores Cappellani Ecclesiæ S. Salvatoris Civitatis de Ubeda in generalibus, & quibusvis particularibus Processionibus habeant locum inter Canonicos, & Beneficiatos Collegiatæ Ecclesiæ d. Civitatis, videlicet Cappellanus Major immediate post ultimam Dignitatem; Cæteri vero Cappellani minores immediate post Beneficiatos*, & quatenus negative.

II. *An iidem Major, & Minores Cappellani compelli possint ad interveniendum in dictis Processionibus*, & quatenus affirmative.

III. *An, & quem locum obtinere debeant in casu &c.*

Servetur solitum, & amplius.

Die Sabbathi 28. Sept. 1754.

DUæ, quas primo loco damus, Causæ imperio Eminentissimorum Patrum proponuntur, qui in Congregatione habita die 24. transacti Mensis Augusti jusserunt, ut in hac Congregatione proponerentur. Repetita igitur lectione folii ultimæ Congregationis, Dubia earum poterunt expediri.

FERRARIEN. JURISDICTIONIS, cujus XIV. sunt Capita. *ut in pag. 35. & seq.* *Sess. 25. c. 1. 8. & 9. de Reg.*

I. *An. &c.*

Ad I. Affirmative quoad primam partem, negative ad secundam. Ad II. III. & IV. Affirmative. Ad V. Negative. Ad VI. Electionem spectare ad Prio-

Priorissam, & Moniales cum interventu Superioris Regularis; Ad Archiepiscopum vero spectare expeditionem literarum patentium juxta solitum. Ad VII. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad VIII. Affirmative quoad primam partem, quoad secundam servetur Bulla *Inscrutabilis*. Ad IX Negative. Ad X. Affirmative cum interventu Superioris Regularis. Ad XI. & XIV. Affirmative. Ad XII., & XIII. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Sess. 25. c. 10. de Regul.

REGIEN. VISITATIONIS, cujus dubia sunt.

I. *An liceat Reverendissimo Episcopo Regiosi visitare Ecclesiam Patrum Minorum S. Francisci Conventualium Terræ Saxoli*, & quatenus negative.

II. *An actus Visitationis novissime per dictum Rm̃um Episcopum expleti in eadem Ecclesia sint annullandi, & circumscribendi.*

III. *An dictus Rm̃us Episcopus potuit suspendere ab excipiendis Sacramentalibus Confessionibus P. Magistrum Fantini tunc Conventui S. Francisci Guardianum alias ab eodem Episcopo approbatum.*

IV. *An, & quomodo sit providendum quoad peculium anni 1635. ordinatum a Julio Costa in casu &c.*

Dilata, & proponatur in prima post aquas.

Sess. 21. cap. 3. de Ref. sess. 22. cap. 3. de Ref. Sess. 24. c. 12. de Ref.

LAURETANA CANONICATUS: Propositis in Congregatione habita die 20. superioris Mensis Junii VIII. hujus Causæ Dubiis „ I. An, & quomodo, distribui, & applicari debeant scut 300. pro Dote Canonicatus „ Balducci a Fundatore relicta, an scilicet duæ Partes pro Distributioni- „ bus, & una pro Præbenda, seu potius e converso? II. An conditio, sub „ qua præstitus fuit consensus per Capitulum Basilicæ Lauretanæ erectioni „ Canonicatus Balducci de subeunda per Possessorem dicti Canonicatus pun- „ ctatura ad rationem obulorum 30. pro qualibet die simplici ad instar Ca- „ nonicatuum primæ erectionis sit observanda? III. An itidem sit servanda „ altera conditio, quod Possessores ejusdem Canonicatus participare non de- „ beant de emolumentis, & lucris dari consuetis cæteris Canonicis pro assi- „ stentia in Missis, & Officiis extraordinariis causam habentibus tam de „ præterito, quam de futuro? IV. An participare debeant de emolumen- „ tis, quæ Capitulo, & Canonicis Lauretanis in associatione, & transpor- „ tatione Cadaverum dari solent? V. An possessores præfati Canonicatus „ in celebrando, seu decantando Missam Conventualem in Turno sibi ob- „ tingente, teneatur eam applicare pro Benefactoribus, & Populo?, & „ *quatenus affirmative*. VI. An tunc eidem Canonico Fundationis Balduc- „ ciæ Missam Conventualem applicanti debeat solvi stipendium ex Massa Ca- „ pitulari, seu potius ad hunc effectum sit augenda ejus Dos, & in qua „ quantitate? VII. An Canonicatui Balduccio sit adnexus Ordo Presbyte- „ ralis, seu potius Diaconalis, vel Subdiaconalis? VIII. An Canonicus „ Fabri teneatur contribuere ad sumptus præsentis litis in casu &c. *Respon-* „ *derunt Eminentissimi Patres* Ad I. Affirmative juxta modum, nempe ap- „ plicatis tribus ex quatuor partibus pro Distributionibus, & quarta pro „ Præbenda, & amplius: Ad II. Affirmative, & amplius: Ad III. Affir- „ mative: Ad IV. Affirmative, & amplius. Ad V. Affirmative, & am- „ plius: Ad VI. negative quoad utramque partem: Ad VII: Affirmative „ ad primam partem, & negative ad secundam, & amplius: Ad VIII. ne- „ gative, & amplius „. Redeunt nunc Communitas Senogalliæ, & Canonicus Fabrius ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium postulantes, ut recedatur a definitione III.; & VI. Dubii. Respondendum igitur erit.

An sit standum, vel recedendum a Decisis quoad III., & VI. Dubium in casu &c.

Quoad 3. & 6. dubium in decisis, & amplius. Quoad 4. 7. & 8. nihil de nova audientia.

ANCONITANA, SEU SENOGALLIEN. ORDINATIONIS: Nuptias contraxit Franciscus Roberti Civis Terræ Montis Bodii, quæ in Diœcesi Senogalliensi est, anno 1728. cum Catharina Fabri Cive Castri Paterni, quod si[illegible] est in Diœcesi Anconitana, & quia pinguem ab uxore Dotem recepit, Montem Bodium deseruit, & Lares, fortunasque suas Paternum transtulit genio uxoris indulgens, & culturæ dotalium Bonorum, quæ plurimis meliorationibus auxit, operam navans. Inter Decuriones Paterni coaptatus fuit, domumque in eodem Castro emit sua pecunia, quam spatio vigintisex annorum habitavit, & nunc etiam incolit. Ex his nuptiis orti sunt Filii: Hos inter Raimundus. Cum hic Ecclesiasticæ militiæ nomen dare cuperet, postulavit Franciscus Pater ab Episcopo Anconitano, ut eum Clericali Tonsura initiaret. Difficilem invenit Episcopum, quod censeret Jurisdictionem hanc esse Episcopi Senogalliensis, quia licet Raimundus natus esset Paterni, originem tamen Patris sequi teneretur, qui cum ortum habuisset in Terra Montis Bodii, subjectus erat Episcopo Senogalliensi. Rejectus hac ratione Franciscus ab Episcopo Anconitano adiit Senogalliensem, qui eum remisit ad Anconitanum. Ut igitur definiretur, a quo Episcopo Raimundus ordinandus esset; preces obtulit Franciscus sacro huic Tribunali, postulans, ut declararetur spectare Jurisdictionem Episcopo Anconitano. Auditus fuit uterque Episcopus: Anconitanus rescripsit „ Oratorem nihil „ proprii in sua Diœcesi possidere, & naturalem civilemque conservationem „ cognoscere ex administratione Bonorum Dotalium, & extradotalium Catharinæ Fabri Conjugis, nec umquam Matrimonio, & Domicilio stante „ animum in Diœcesi permanendi manifestasse, immo votum alias expressisse „ redeundi ad Montem Bodium Locum suæ originis, in quo paterno, & „ avito jure primis Civitatis gradibus frui debere, ac valde utilem longævæ Matris hæreditatem expectare. *Sess. 23. c. 8. de Ref.*

Contra Episcopus Senogalliensis. Franciscum longa viginti sex annorum mora domicilium, & civitatem contraxisse in Castro Paterni. Animum permanendi satis declaratum fuisse, quod Honores, & Munera gesserit in Ordine ejusdem Castri, quod domum in eo sua pecunia comparaverit, fortunasque suas transtulerit, quod hunc animum scripto declaraverit testimonio, quod est in Actis suæ Episcopalis Cancellariæ. Apertam esse cognitissimæ Innocentianæ Constitutionis, cujus initium est *Speculatores*, dispositionem, cum Raimundus naturaliter ortus sit in Diœcesi Anconitana, non vero ex causa eventuali, neque occasione itineris, Officii, aut alterius temporariæ moræ Francisci Patris in Castro Paterno: Ad Jurisdictionem igitur Anconitani Episcopi Raimundum spectare, ab eo esse ordinandum. Eadem latius exequitur Franciscus in libello suo, quem dumtaxat habuimus: Addit plures sacri hujus Tribunalis res judicatas, quærendum non esse quid, si Mater decedat, facturus sit Franciscus: satis esse, ut Raimundus ab Episcopo Anconitano ordinari possit, Franciscum hoc tempore domicilium habere Paterni, habuisse animum permanendi; etiamsi inde Parentes domicilium alio usum transferant, non auferri filio jus nativitatis ei quæsitum, ex quo oritur jurisdictio Episcopo illius Diœceseos, ut differunt *Barbos. de Potest. Episcop. alleg.* 4. *n.* 2. *Piasec. in Prax. par.* 1. *cap.* 2. *n.* 9. *Ugolin. de Offic. Episc. cap.* 26. §. 1. *n.* 3. *Bonaccin. de sacramen. disput.* 8. *quæst. unica par.* 4. *Corrad. in Prax. dispens. lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 33. *Pax. Jordan. de Re. sacr. lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 37. *Ciarlin. Controv. Forens. cap.* 149. *n.* 11. *Begnudel in Bibliothec. Jur. vol.* 4. *Tit. Ordines*. §. 11. *n.* 62. Videant igitur

tur Eminentissimi Patres in hac diversitate duorum Episcoporum, qui de sua dubitant Jurisdictione.

An, & ad quem spectet Ordinatio Raimundi Roberti in casu &c.

Spectare ad Episcopum Anconitanum, facta declaratione medio juramento per Franciscum Patrem juxta *Bullam Speculatores*.

Sess. 22. c. 9. de Ref.

ROMANA SEU VVARMIEN. REDDITIONIS RATIONIS. Vastante Vvarmiensem Provinciam Gustavo Adolpho Rege Svecorum, profugus ab Ecclesia Cathedrali Vvarmiæ, in qua Canonicatum obtinebat pietate non minus, quam generis nobilitate clarus Joannes Preyk in Urbem sese recipit. Dum hic moram traheret, meditatus est Collegium, quod Vvarmiense diceretur, fundare ,, pro consanguineis, nepotibus, propinquis, ,, & amicis, ut literis operam dare, & artibus liberalibus sese exercere, ,, idioma Italicum addiscere, mores bonos imbibere, & viros perfectos ad ,, Ecclesiæ Dei suo tempore utiles evadere possent ,,. Supremis itaque, quas anno 1629. Romæ condidit tabulis, Collegium hoc erigendum hæredem scripsit. Post conditum testamentum regulas quasdam composuit, quæ Collegii regimen, & probam redditüum administrationem respiciebant, considerans præsertim casum, quo Collegium hoc Vvarmiense alteri Collegio, seu loco Pio, ut evenit, uniendum esset, quod per se non posset subsistere, voluitque ,, ut in consanguineos, dummodo vere nobiles essent, annuatim exponerentur in quemlibet scut. 120., in alios vero scut. 100. *Addidit inde*, ,, & ut Domini Provisores Romani, Collegia, Fraternitates, seu loca Pia, ,, quibus mea Fundatio ut supra dixi, non succedente forsan particulari Collegii erectione, incorporabitur seu adnectetur, justam etiam de suis laboribus habeant consolationem, proinde ipsis do, ac inscribo de singulis centum scutis meæ Fundationis quinque scuta, quæ in proprios usus juxta ,, ipsorum beneplacitum poterunt convertere, non existentes obligati ad reddendam rationem de ejusmodi expositis. De cæteris vero pecuniis expositis, & gravioribus negociis quibuscumque rationem reddere erunt obstricti, & obligati, toties quoties ab illis sive per me, sive per alios legitimos Superiores, & maxime Patronos stipendii in Prussia constitutos exigetur.

Rebus bellicis pacatis, cupiens Joannes Vvarmiam repetere, priusquam Roma discederet, publico instrumento acto die 29. Aprilis anno 1631. Dotem assignavit, constituitque novo Collegio in pluribus censibus, qui annuum præstabant redditum scut. 658., quibus ipse putabat ali posse ,, quinque, & sex ,, Juvenes, ipsisque de omnibus ad victum, & vestitum, nec non de libris, ,, aliisque necessariis provideri, maxime si census absque mora percipiendi, ,, priusquam Juvenes ad Collegium apti ab ipso eligerentur, in alios census ,, coemendos erogarentur ,,. Collegiumque ipsum erexit certis legibus, & conditionibus, erectumque univit Collegio Norbertino Patrum Præmonstratensium Urbis: Leges, & conditiones erectionis aliæ respiciunt Juspatronatus *activum*, quod reservavit suis consanguineis in ,, Diœcesi Vvarmiensi ,, degentibus, adhibito tamen in id consilio Ven. Capituli Vvarmiensis. ,, *sublata ipsis expresse facultate* concedendi aliquam circa articulos suæ Fundationis, & erectionis dispensationem, aut immutationem aliquam ,,. Aliæ respiciunt Juspatronatus *passivum*, quod reservavit consanguineis suis, sive Vvarmienses essent, sive in Prussia nati, hisque deficientibus, aliis, qui in Prussia nati essent ex honestis Parentibus. Aliæ respiciunt *Alumnos* ipsos, eorumque studia, & iter, quod voluit, ut sua pecunia facerent, sive in itum sive in reditum, & moram eorum triennalem in Collegio, itaut ,, ,, nemini liceret absque ipsius consensu speciali ultra triennium Fundatione, & erectione uti, & gaudere, non obstante quacumque etiam dispensatione, conventione, aut conniventia Superiorum, etiam deficiente via-

,, tico

„ tico pro reditu, quod sibi imputare debeant „. Alia respiciunt *facultates*, quas sibi reservavit variandi, moderandi, dispensandi, atque etiam transferendi Collegium in alium Locum, & Civitatem: Aliæ demum respiciunt ipsos *Patres Præmonstratenses*, eorumque Rectorem, cui administrationem Collegii dedit, voluitque, hic in libro omnia diligenter scriberet, & Patronis „ rationem; & informationem in scriptis redderet singulis „ trienniis de omnibus proventibus tam perceptis, quam expositis, nec „ quicquam ageret directe, vel indirecte, aut quovis quæsito colore, quod „ Collegii fundationi pro nunc, & in posterum posset esse nocivum, & „ contrarium.

Erecto his legibus, & conditionibus Vvarmiensi Collegio, Joannes Roma discedens Rectori *folium* tradidit, in quo census omnes numerati erant, adnotatis eorum publicis instrumentis, & vestes, quibus alumni uti deberent, describebantur. Vvarmiam tandem reversus: senio, itinerisque incommodis confectus decessit, ejusque Testamentum, quod Romæ, ut diximus, condiderat, confirmatum fuit a Capitulo. Post ejus obitum R. Cameræ Apostolicæ Ministri litem intenderunt Patribus Norbertinis de ejus spolio falsa ducti opinione, quod extra residentiam decessisset; sed hanc litem diremit Motu proprio san. mem. Urbanus VIII., qui etiam aliis suis literis Præsidi Collegii Norbertini indulsit, concessitque „ ut si succedente tempore. aliquando contigeret Scholares e partibus Prussiæ ad Romanam Curiam non „ advenire, aut saltem non in tanto numero, itaut ex fructibus hujusmo- „ di censuum annuatim aliquid superabundet, illos sic superabundantes pro „ suo arbitrio in substentationem triennalem aliorum Scolarium tam sæcula- „ rium, quam Regularium, qui se promptos exhibeant ad habendum con- „ ciones, & disputationes pro repellendis hæresibus &c. erogare posset „. Post hæc Alumni a Patronis nominati in Collegium recepti fuerunt; sed anno 1656. Rev. Fabrica contra Patres Norbertinos egit pro redditione rationis. Absoluti tamen fuerunt Patres, & Judex, non citatis, & inauditis Patronis, pronunciavit „ Patres Præsidentes pro tempore tantam ratam redditum Col- „ legii annuatim consequi debere pro se ipsis, quantam pro unoquoque „ Alumno manutenendo quotannis impendunt, sicque de præterito moderari, „ & in futurum respective servandum fore „. Præsides igitur post hanc sententiam usque ad annum 1705. annua scut. 100. sibi acceperunt ex redditibus Collegii Vvarmiensis. Eo anno 1706. reddita ratio fuit a Præsidibus, sed inde neque rationem amplius reddiderunt, neque Fundatoris voluntatem legesque datas observarunt freti literis Urbani VIII., & sententia Judicis Fabricæ.

Licet enim conversis censibus in loca montium, decrevissent redditus Collegii reductione fructuum locorum montium, itaut nulli superabundarent redditus, unum tamen ex suis Religiosis aluerunt loco Alumni a Patronis nominandi, stipendium Præsidis administrationis auctum fuit, Alumni ultra triennium in Collegio retenti, & ex iis quidam Præsidum placito confirmati ad aliud triennium, pecuniæ iis datæ pro viatico, ut Prussiam redirent, aucta salaria, tributæ pecuniæ pro vino, rusticationibus, aliisque impensis non necessariis. Certiores de his facti Patroni Patres Norbertinos in jus vocarunt anno 1728. pro redditione rationis, & Decreto clar. mem. Cardinalis Fini tunc temporis Pro-Auditoris Sanctissimi data fuit Causæ cognitio Sacro huic Tribunali, *prævia quatenus opus sit aperitione oris adversus Motum proprium Urbani VIII., & cum omnibus facultatibus opportunis*, sed distracti Patroni vi Bellorum Causam prosequi non potuerunt. Nuper autem querelis Alumnorum excitati, adito Eminentissimo Domino Pro Auditore Sanctissimi Domini nostri Decretum obtinuerunt „ Facto verbo cum Sanctis- „ simo pro ulteriori executione rescripti San. me. Benedicti XIII. sub die 27. „ Septembris 1728., remisit iterum Causam ad Sacram Congregationem „ Concilii, prævia, quatenus opus sit, aperitione oris adversus Motum „ pro-

„ proprium San. me. Urbani VIII. cum facultatibus necessariis, & opportu- „ nis etiam ad effectum revidendi sententiam latam in Tribunali Rev. Fabri- „ cæ, quoad appropriationem redditiuum, & alimentorum unius Alumni „ favore P. Præsidentis, sed pro tempore futuro tantum „ Post hoc Decretum Patres Norbertini duo *Folia accepti, & impensi* in actis ediderunt; Alterum ab anno 1706. ad annum 1729., Alterum ab anno 1729. ad annum 1751. Tria sunt Causæ universæ Capita. Primum est de redditione rationis; Alterum de Literis, seu Motu Proprio Urbani VIII.; Tertium de Sententia Tribunalis R. Fabricæ. Nunc de primo dumtaxat Capite agitur, contendentibus Patronis Norbertinos Patres damnandos esse in scut. 2819. 10.; Longum esset singulas partitas referre. A Patribus Norbertinis nihil adhuc habuimus. Dubium est.

An constet de legitima redditione rationis, seu potius, an, & in qua summa constet de credito favore Fundationis Treiikianæ in casu &c.

Dilata, & ad mentem.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

MONTIS ALTI. Ab ipsa die, qua erectum fuit Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Montis Alti ad nostra hæc tempora numquam suevit horis Canonicis addere, vel B. Mariæ Virginis, vel Defunctorum Officium, vel Graduales, aut Pœnitentiales Psalmos diebus in Rubrica præfinitis, neque id constitutum legitur aut a Sisto V. in Bulla erectionis, aut a Statuto Ecclesiæ, aut ab aliquo ex Episcopis in Synodis. Qui tamen nunc Ecclesiæ illi præest Episcopus, dubia movit contra Capitulum motus a Decreto Sac. Congregationis Negociis & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, quod latum fuit in *Alexandrina* 18. *Martii* 1587. relatum a *Crispino in Visitat. Pastoral. par.* 2. §. 20. Literas igitur hac de re dedit ad hoc Sacrum Tribunal censens Capitulum esse cogendum; sed Capitulum, dato libello, monstrat insubsistentiam novi hujus oneris, quod ab Episcopo imponi vellet. Post editam namque a S. Pio V. Constitutionem anno 1568., cujus initium est *Quod a Nobis*, cessasse omnem inter Doctores disputationem, & convenisse, ut illis Ecclesiis, in quibus neque lex erectionis, neque Statutum, neque consuetudo est Officia illa, & Psalmos recitandi, Canonicos compelli non posse ad recitationem *Fagnan in cap. Presbyter. n.* 32. *De celebr. Miss. Pax. Jordan. Lucubr. Eccles. lib.* 10. *tit.* 39. *n.* 20. *vol.* 2. *Gavant. in Thesaur. Sac. Rit. sect.* 9. *de Appendic. Breviar. cap.* 1. *de Offic. B. Mariæ Virg. n.* 5. *Monacel. in Formular. vol.* 2. *formul.* 2. *tit.* 13. *n.* 1. *Scarfabtor. ad Ceccoper. Lucubrat. Can. lib.* 3. *tit.* 10 *n* 3., *& seqq.* ubi *n.* 11., *&* 12. ita responsum fuisse refert a Sacra Congregatione Rituum in *Svessana* 28 *Jan.* 1606., & ab hac Sacra Congregatione in alia *Svessana* 18. *Augusti* 1708. Recentius autem ita ab hoc Sacro Tribunali responsum fuit in *Acerrarum* 23. *Augusti* 1727., in qua Dubio XII. „ An Canonici ultra horas Canonicas teneantur „ quoque in Choro recitare Officium defunctorum, B. Mariæ Virginis, & „ Psalmos Pœnitentiales, & Graduales, sive potius servanda sit consuetu- „ do „ rescriptum fuit *servandam esse consuetudinem*, ut in *Thesau. Resol. Vol. IV.* nullam denique habendam esse rationem Decreti illius in *Alexandrina*, quod est fundamentum Episcopi, nam *Crispinus*, qui illud fatetur excepisse a *Nicolio in Floscul. Verb. Canonicus n.* 32., ut Compilatorum mos est, aut infide, aut inscite illud retulit, cum Sacra Congregatio decreverit „ „ Canonicos debere hortari ad recitandum in Choro Officium B Virginis „ diebus in Breviario præscriptis, non autem cogi, ubi non est solitum „. Ex his expediendum est Dubium.

An Canonici Ecclesiæ Cathedralis Montis Alti ultra horas Canonicas teneantur quoque in Choro recitare Officium Defunctorum, B. Mariæ Virginis, Psal-

Psalmos Pœnitentiales, & Graduales diebus in Breviario designatis, sive potius sit servanda consuetudo in casu &c.

Servandam esse Consuetudinem.

PISAUREN. Repetenda est hujus Causæ species ex Folio Congregationis habitæ die I. Septembris transacto anno 1753., quod editum fuit *Vol. XXII. Thesaur. Resol.* Duo proposita fuerunt Dubia; Alterum inter Archipresbyterum Gradariæ, & Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Pisaurensis. „ „ An sustineatur remotio Cappellani, seu potius teneatur Archipresbyter il„ lum deputare suis sumptibus pro servitio Ecclesiæ Ruralis, & quomodo in „ casu &c.„ Alterum inter Nardium Cappellanum Ruralem ab Episcopo deputatum, & Archipresbyterum Gradariæ „ An sit locus restitutioni sala„ rii exacti a Cappellano Nardi, seu potius sit relaxandum mandatum pro „ aliis salariis decursis, & non solutis usque ad diem præstiti servitii in ca„ su &c. *Responderunt Eminentissimi Patres*. Ad I. Affirmative ad primam „ partem, negative ad secundam, adimpletis oneribus Parochialibus, vel „ per se, vel per alium: Ad II. Ad Mentem „. Nihil prætermisit Eminentissimus Dominus Cardinalis Præfectus ea, qua præstat prudentia, & doctrina, ut mens Sacri Tribunalis impleretur. Archipresbyter obsequens voluntati Eminentissimi Præfecti epistolam supplicem dedit ad Episcopum, obtulit remissionem salarii a Nardio indebite exacti, veniam petiit, sed nihil obtinuit; Episcopus enim post novem menses respondens novam litem excitavit deductam ex verbis illis rescripti hujus Sacri Tribunalis *adimpletis oneribus Parochialibus, vel per se, vel per alium*, jussitque, ut si Archipresbyter nequeat per se onera Parochialia explere in Ecclesia Rurali, teneatur supplere per idoneum Sacerdotem ad Sacramentales Confessiones excipiendas approbatum, *qui*, ut ipse ait in suis literis „ aucta mercede, facile inveniri „ potest, ut sine difficultate hactenus factum est „. Confugit Archipresbyter ad hoc Sacrum Tribunal, auditoque jam Episcopo, duo nunc Dubia proponuntur. Primum est illud ipsum, quod in Congregatione habita die I. Septembris transacto anno 1753. definitum non fuit, neque mens Sacri Tribunalis impleri potuit duritie Episcopi; Alterum est de supplendo per simplicem Sacerdotem, vel Confessarium. Archipresbyter disputat satis esse simplicem, quia Parochiani, si valeant, possint sese Gradariam conferre ad emittendas confessiones; quod si adversa valetudine detineantur, non renuit Archipresbyter iis consulere, eoque amplius, quod duo, tresve tantum Gradariæ sint Confessarii omnes servitio addicti alicujus Ecclesiæ. Dubia sunt. *Sess. 21. c. 4. de Ref.*

I. *An sit locus restitutioni salarii exacti a Cappellano Nardi, seu potius sit relaxandum mandatum pro aliis salariis decursis, & non solutis usque ad diem præstiti servitii in casu &c.*

II. *An in casu impedimenti Archipresbyter Gradariæ supplere possit diebus festivis in Ecclesia Rurali per simplicem Sacerdotem in celebrando Sacro, indicendis jejuniis, & Festis decurrentibus, & edocendo Christianæ Fidei rudimenta in casu &c.*

Ad primum Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad secundum affirmative.

UXENTINA UNIONIS. Fundavit anno 1714. Sacerdos Vincentius Minutellius ex suis Bonis simplex Ecclesiasticum Beneficium, cujus primum Rectorem esse voluit Joannem Dominicum Pandi, eique onus dedit, ut post Fundatoris obitum ædificaretur Cappella sub Titulo B. Mariæ Annunciatæ, eoque titulo erigeretur ab Episcopo Beneficium. De utroque Jurepatronatus disposuit: De activo ita ait „ vuole, ed espressamente dichiara esso Don *Sess. 23. c. 18. de Ref.*

„ Vin-

„ Vincenzo, che il Jufpatronato di detto Benefizio fia fempre ed in perpe-
„ tuum del Signor Angelo de Pandis, e de fuoi eredi, e fucceffori, alli quali
„ perpetuamente riferva col detto giuffo onorario il giuffo di prefentare, e
„ nominare: *De paffivo autem ita inquit*, con patto però, che feguita sarà
„ la morte del primo Rettore, debba detto Sig. Angelo de Pandis, e fuoi
„ eredi, e fucceffori prefentare a detto Benefizio uno de Figli di detto fuo
„ Nipote Giufeppe Danieli, in cafo fi trovaffe Chierico &c. ed in futurum
„ poi lo detto Jufpatronato fia libero à detto Sig. de Pandis, fuoi eredi, e
„ fucceffori di prefentare ed eligere li Cappellani pro tempore, come a loro
„ parerà, e piacerà „. Poft obitum Teftatoris erectum fuit Beneficium cum refervatione jurifpatronatus favore Angeli Pandi, ejufque hæredum, & fucceſſorum, & ad illud inftitutus fuit primus Rector Joannes Dominicus Pandi Angeli filius a Fundatore nominatus, quo defuncto anno 1726., inftitutus fuit Clericus Francifcus Antonius Danieli Jofephi filius juxta vocationem fcriptam in Fundatione. Cum vero hic etiam deceffiffet anno 1730., Angelus Pandi Patronus utens libertate a Fundatore data, præfentavit Sacerdotem Ignatium Donati, qui inftitutionem obtinuit. Deceffit anno 1731., Angelus Pandi, cum duo erant filii Joannes, & Francifca, quæ nupferat, recepta Dote, & ampliffima emiffa renunciatione in Civitate Oftuni; Hæredem itaque teftamento fuo Angelus unum mafculum *Joannem* inftituit.

Hic autem, cum unicam fufcepiffet filiam Francifcam Xaveriam, teftamento, quo deceffit anno 1739., his verbis de Beneficio difpofuit „ che il Benefizio
„ fotto il Titolo dell' Annunziata fondato dal quondam D. Vincenzo Minu-
„ tello, e dopo donato al quondam Angelo de Pandis Padre di effo Teftato-
„ re, e fuoi eredi, e fucceffori, quali prefentarono nell' ultima vacanza di
„ detto Benefizio il Canonico Don Ignazio de Donatis, che poft mortem del
„ medefimo fi debba aggregare al nuovo Seminario da farfi coll' intelligen-
„ za, e beneplacito tanto di Monfig. Illuftriffimo di quefta predetta Città,
„ quanto con ordine della Sagra Congregazione fervatis fervandis „. Cum igitur anno 1752. objiffet Ignatius Donati Rector Beneficii, facta fuit hujus præcipue honis erectio Seminarii, ejufque Procurator eorumdem Bonorum poffeffionem nactus eft, nec quicquam petentibus Francifca filia Angeli, & Francifca Xaveria filia Joannis, ut intra quadrimeftre, quod datum eft Laicis Patronis, nihil novaretur, putantes ad eas delatum jus præfentandi, prout præfentarunt Sacerdotem Joannem Roccium. Appellarunt igitur duæ Patronæ, delataque appellationis Caufa ad hoc Sacrum Tribunal, difputat nunc Seminarium non effe ambigendum poffe Epifcopos fimplicia Ecclefiaftica Beneficia, etiam de jurepatronatus Laicorum, Seminario unire, Patronorum accedente confenfu, de quo in hac fpecie dubitandum non fit, cum liqueat ex Teftamento Joannis, qui unus erat Patronus: Et quia quæftio non eft voluntatis, fed poteftatis, contendentibus duabus Francifcis non potuiffe Joannem difponere de Beneficio in detrimentum earum, quæ jus ab eo non habent, fed a providentia Fundatoris, qui illud refervavit hæredibus, & fuccefforibus Angeli in perpetuum, ideo deducendam effe difputationem, ut dignofcatur, an res fit de Patronatu hæreditario vel mixto, nam fi res fit de hæreditario, juris etiam fit non incerti poffe Patronum, qualis erat Joannes, de eo difponere *Cap. Illud de Jurepat. Cap. fi Laicus de Jurepatron. in IV.*

Rem effe de Patronatu hæreditario contendit Seminarium, quia Fundator illum refervaverit hæredibus, & fuccefforibus Angeli, ideoque deficientibus aliis verbis defignantibus mixtam ejus qualitatem, ut effet, fi expreffa fuiffet ratio fervandæ Agnationis, aut nomen Familiæ & Domus, & alia his fimilia, Patronatus cenfeatur hæreditarius, ut tradunt *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1 par. 2. artic. 16. n. 6. & feqq. Lotter. de re Benef. lib. 2 quæft. 11. n. 9. & feqq. Tondut. quæft. Benef. part. 3. cap. 197. n. 16. Piton. de controv. Patron. allegat. 69. n. 5. & alleg. 91. n. 34.* in qualibet enim dubietate Patronatum

natum censendum esse hæreditarium, non mixtum, ut passim tradunt *Garzia de Benefic par. 5. cap. 9. n. 93.* Antonell. *de Temp. Legal. lib. 2. cap. 11. n. 10. & seqq. Ricc. de Jurepatr. resol. 223. n. 6. Card. de Luca eod. Tit. disc. 22. n. 2.* Ea vero verba *suoi eredi, e successori* a Fundatore prolata fuisse, non ut mixtus, sed ut hæreditarius esset Patronatus, quem Angelo reservabat, colligi ex conjecturis, quod nempe nullam propriæ Familiæ rationem habuerit, sed illum omnino extraneis reservaverit, ut arguunt *Ciarlin. controv. forens. cap. 1. n. 18., & seqq. Ricc. de Jurepatron. resol. 232. n. 1.* quod nomini *heredi* adjecerit illud *successori*: quod denique adjunxerit verba *in perpetuo*. Ex his putat Seminarium satis constare de qualitate hujus Patronatus non mixta, sed hæreditaria, unde colligit repellendam esse Françiscam filiam Angeli, quia ipsa Patris hæres non fuerit, sed solus Joannes, & repellendam esse Franciscam Xaveriam filiam Joannis, quia vel ipsa fuit hæres Patris, & tenetur servare factum sui Auctoris, vel Patris hæres non fuit, & non potest ad Patronatum concurrere, qui est hæreditarius. Hæc summa est libelli a Seminario dati. A duabus Franciscis nihil adhuc habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An substineatur Unio Beneficii de Jurepatronatus, de quo agitur; facta ab Episcopo Uxentino favore Seminarii ejusdem Civitatis vigore Testamentariæ dispositionis quondam Joannis de Pandis in casu &c.* Et quatenus negative.

II. *An, & a quo tempore sint restituendi fructus R. D. Joanni Rocci ad dictum Beneficium præsentato in casu &c.*

Ad primum affirmative. Ad secundum provisum in primo.

Die Sabbathi 23. Novembris 1754.

REGIEN. VISITATIONIS: Causa hæc, quæ data fuit in Folio Congregationis habitæ die 24. superioris Mensis Augusti, iterumque in Folio ultimæ Congregationis habitæ die 28. transacti Mensis Septembris responsum accepit: *Dilata, & proponatur in prima post Aquas*: Obsequimur itaque Imperio Eminentissimorum Patrum, eamque hic damus, ut IV. ejus Capita expediantur. *Sess. 25. c. 20. de Regul.*

I. *An liceat Reverendissimo Episcopo Regiensi visitare Ecclesiam Patrum Minorum S. Francisci Conventualium Terræ Saxoli*, & quatenus negative.

II. *An actus Visitationis novissime per dictum Reverendissimum Episcopum expleti in eadem Ecclesia sint annullandi, & circumscribendi.*

III. *An dictus Reverendissimus Episcopus potuit suspendere ab excipiendis Sacramentalibus Confessionibus P. Magistrum Fantini tunc Conventus Sancti Francisci Guardianum alias ab eodem Episcopo approbatum.*

IV. *An, & quomodo sit providendum quoad peculium anno 1635. ordinatum a Julio Costa in casu &c.*

Non proposita.

UXENTINA UNIONIS: Hæc quoque Causa data fuit in Folio ultimæ Congregationis habitæ die 28. transacti Mensis Septembris, & duobus ejusdem Dubiis, quæ erant „ I. An substineatur unio Beneficii de Jurepatronatus, de quo agitur, facta ab Episcopo Uxentino favore Seminarii „ ejusdem Civitatis vigore Testamentariæ dispositionis quondam Joannis de „ Pandis in casu &c. *& quatenus negative*. II. An & a quo tempore sint restituendi fructus R. D. Joanni Rocci ad dictum Beneficium præsentato in ca- *Sess. 23. c. 18. de Ref.*

„ su &c. „ Responderunt Eminentissimi Patres: *Ad I. affirmative: Ad II. Provisum in primo*. Redeunt itaque duæ Franciscæ, & Roccius ad novum Sacri hujus Tribunalis judicium, & respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

MONTIS ALTI EXPENSARUM: Duas ex tribus partibus bonorum, quæ ei obvenerant jure successionis in hæreditate sui filii Mercurii Angeletti, & germani fratris Alphonsi Lucii anno 1670. donavit Volumnia Angeletti Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Fortii, ut ex iisdem bonis erigeretur in eadem Ecclesia Præbenda Canonicalis. Primum vero Canonicum elegit Franciscum Pascuccium ejus nepotem, eoque recusante vel decedente, substituit alios suarum filiarum filios, atque ita servari voluit, durantibus lineis suarum filiarum, quibus defectis, electionem tribuit Capitulo & Canonicis ejusdem Collegiatæ, ultimo autem ex filiis suarum filiarum decedente, alium erigi voluit Canonicatum ex iisdem bonis in eadem Ecclesia. Testamento, quo inde decessit eadem Volumnia, hæredem scripsit Lucam filium, qui cum negligeret Matris donationem exequi, causatus eam esse nullam, coactus tandem fuit sententia lata a Commissario Rev. Fabricæ, qui eam validam declaravit. Ab hac sententia appellavit Lucas, sed paulo postea decessit, scriptis hæredibus PP. Conventualibus ejusdem Terræ Fortii, qui causam Appellationis summa animorum contentione prosequuti sunt, cognoscentibus quatuor Judicibus, ipsaque Congregatione Rev. Fabricæ, & tandem victis Patribus Conventualibus, exequi potuit donatio Volumniæ erectione Canonicatus Impensas diuturnæ hujus litis subiit Canonicus Franciscus Pascuccius, eæque ascendere dicuntur ad scut. 723. 80., quorum pars maxima in dubium revocari non potest, cum certissimis probetur monimentis. Post erectum Canonicatum Camilla Evangelisti Nurus Volumniæ tradidit Canonico Francisco Pascucci summa scut. 235., quæ provenire dicuntur a Volumnia, ut pariter ea accepisse dicitur publico Instrumento, quod non vidimus, Canonicum Pascuccium, unienda alteri Canonicatui.

Cum autem pecuniam hanc Canonicus Pascuccius in fundum novi Canonicatus, quem tamen, dimisso primo, accepit, numquam erogaverit, neque id factum fuerit, eo defuncto, ab hærede, Canonicus Paschalis Rampazzi, qui secundum hunc Canonicatum possidet. in Jus vocavit Joannem Baptistam Pascuccium Canonici Francisci hæredem, ut summam illam unam cum fructibus decursis ab anno 1729 solveret. Confugit Joannes Baptista ad hoc Sacr. Tribunal excipiens de retentione, quia, cum defunctus Canonicus Creditor esset ob impensas diuturnæ litis, recte potuerit compensare illa scut. 235. cum suo credito, poscens simul reliqui crediti solutionem. Auditus Episcopus contra Jo. Baptistam respondit, tum quia Canonicus Pascuccius causam suam egerit ratione Patronatus, tum quia has impensas numquam repetiit, tum denique quia ad has impensas sese scripta syngrapha obligatum voluerit Angelus Antonius Pascuccius Canonici frater. Causa nunc proponitur, & Canonicus Rampazzi, dato nobis brevissimo libello, eadem exequitur, quæ habet Episcopus in Epistola ad hoc Sacrum Tribunal. Contra Pascuccius non probari a Rampazzio illa scut. 235. tradita a Camilla fuisse hæreditaria Volumniæ, & data, ut unirentur fundo Canonicatus: quod, si id probaretur, non posse fructus exigi, cum bona fide pecuniam illam consumpserit Canonicus Pascuccius, imputando illam in suum creditum: Rationes Episcopi non esse spectandas, quia silentium Canonici Pascuccii impensas non repetentis non sit modus tollendæ obligationis, cum & ipse, & hæres scirent jus eorum salvum esse: Patronum non teneri causam sua pecunia agere, ut fundatio substineatur: Obligationem susceptam ab Angelo Antonio Pascuccio respicere expensas factas ante annum 1681., quo scripta fuit syngrapha, non vero

eas,

eas, quæ indè factæ sunt, & quarum creditor erat Canonicus Pascuccius. Hæc inde proponuntur. Dubium est.

An sit locus restitutioni summæ scut.235. una cum fructibus, seu potius competat retentio pro prætensis expensis in casu &c.

Affirmative ad primam partem quoad Capitale, negative quoad secundam, quo vero ad fructus placere de concordia ad mentem.

SENOGALLIEN. CANONICATUS. Præsentatus fuit anno 1736 a Carolo Soprani Patrono Canonicatus fundati in Cathedrali Ecclesia Senogalliensi a Christophoro de Luchis Ubaldus Baldassinius, qui a defectu legitimæ ætatis dispensatus fuit, adjecta tandem in Literis Apostolicis conditione: „ quod „ cum primum ad legitimam perveniret ætatem, ad Sac. Subdiaconatus Ordinem se promoveri facere teneretur, alioquin dicti Canonicatus, & Præbenda vacent „. Perventus ad legitimam ætatem nihil pensi habuit Baldassinius promotionem suam ad Subdiaconatum, frustra monente Episcopo Senogalliensi, quod censeret Canonicatum, quem tenebat Clericalem tantum esse, sed tandem, urgente Promotore Fiscali, adire debuit Eminentissimos Patres, ut cognoscerent qualitatem hujus Canonicatus. Post longas moras propositum fuit in Congregatione habita die 19. Mensis Augusti anno 1752. Dubium – *An Canonicatus de jurepatronatus de Luchis sit tantum Clericalis?* Cui Sacrum Tribunal respondit – *negative* – Iterumque proposita Causa in Congregatione habita die 13. Januarii sequenti anno 1753. responderunt Eminentissimi Patres: *in Decisis, & amplius*. Post has definitiones Baldassinius preces obtulit, quibus postulabat prorogationem aliquam temporis ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem suscipiendum, rescriptumque fuit die 3. Februarii eodem anno: *Pro Gratia ad sex menses*. Novam inde prorogationem petiit, quæ indulta fuit die 21, Julii hoc rescripto: *Pro Gratia ad sex menses absque spe ulterioris prorogationis*. Sed tertio eamdem Gratiam postulavit dicens Sacrum Ordinem suscepturum in Ordinationibus Quadragesimæ, ideoque rescriptum fuit die 15. Decembris: *Pro Gratia usque ad tempora Quadragesimæ absque spe ulterioris prorogationis*. Desperans igitur novas ab hoc Sacro Tribunali impetrare prorogationes, libello adiit SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM, postulans aut dispensationem ab obligatione suscipiendi Sacros Ordines, aut prorogationem duorum annorum, ut animum suum disponere posset ad munera Sacra. *Sess. 21. c. 4. de Ref.*

Hisce precibus rescriptum fuit die 13. Februarii hujus anni: *Citetur Pars*, & citato Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis, latum fuit decretum, *prorogari per totam Quadragesimam & amplius*. Transacta Quadragesima, preces obtulit Promotor Fiscalis, quibus postulabat, ut nulla Baldassinio indulgeretur prorogatio, utque Episcopus *prout de jure* procedere posset. Annuerunt Eminentissimi Patres, rescripto edito die 4. Maii: *Episcopo qui procedat de jure contra Canonicum*, dataque fuit in hanc sententiam Epistola ad Episcopum. Interpellatus etiam fuit de hoc rescripto Baldassinius eadem die 4. Maii. Adventa Senogalliam Epistola Sacri hujus Tribunalis, Promotor Fiscalis, non citato Baldassinio, postulavit ab Episcopo decretum, quo declararet Canonicum Ubaldum Baldassinium „ remansisse, & remanere ipso jure, & ipso facto post lapsum ultimæ prorogationis privatum de „ Canonicatu, & fructus amplius non fecisse nec facere suos, & competiisse „ ac competere Patrono dicti Canonicatus Jus nominandi, & præsentandi „ novum Canonicum „. Decretum tulit Episcopus juxta postulationem Promotoris etiam tamquam Delegatus ab hoc Sacro Tribunali, & de eo interpellatus fuit a Promotore Baldassinius, qui protestationem emisit in actis paratum se esse ad Sac. Ordines suscipiendos, petiitque moræ purgationem. Contra Promotor huic non esse locum dicebat. Baldassinius igitur eum in

jus vocavit coram hoc Sacro Tribunali, petiitque circumscribi omnia acta in Curia Episcopali Senogalliæ super privatione Canonicatus, sed rejectus fuit. Igitur Carolus Soprani Patronus Canonicatus præsentavit Josephum Carrara consanguineum suum, qui Canonicatum possidebat in Ecclesia Æsina. Baldassinius vero ægre ferens se rejectum a petita circumscriptione actorum, preces obtulit Eminentissimis Patribus postulans eamdem circumscriptionem, sed iterum rejectus fuit. Nondum tamen fractus Tribunal Signaturæ Justitiæ adire voluit, postulans circumscriptionem & remissionem Causæ ad Rotam: sed tertio rejectus, causam privationis Canonicatus agere debet coram Eminentissimis Patribus.

Disputant igitur Sopranus, & Carrara nihil peccatum fuisse ab Episcopo Senogalliensi, qui cum Exequutor esset rescripti, & Decretorum hujus Sacri Tribunalis, rectissime declaravit Baldassinium privatum Canonicatu, decursis jam prorogationibus omnibus indultis etiam cum clausula *absque spe ulterioris prorogationis*, nullaque excusatione, aut miseratione dignum Baldassinium, cui solum post Decretum privationis repente obvenit voluntas suscipiendi Sacros Ordines, quia ex iis, quæ hactenus narravimus, liquido constet de contumacia, & ostinata ejusdem repugnantia erga Sacrum Ordinem quo casu privationi esse locum ex doctrina *Hostiens. in cap. quæris num.5. de ætat. & qualit.*, quam sequitur ibidem *Fagnan. num.*11. & 12. Contra Baldassinius Exequutorem Sacri hujus Tribunalis non fuisse Episcopum, sed excitatum dumtaxat fuisse ejus ordinariam, & nativam Jurisdictionem rescripto, & Epistola ad eum data; quod si etiam Exequutor dici potuisset, non tamen *merum* fuisse, sed *mixtum*, quando Eminentissimi Patres non decreverant, neque rescripserant *esse locum privationi*, quo casu potuisset Episcopus Decretum privationis ferre, sed *Episcopo, qui procedat prout de Jure*, quod ipse in precibus suis postulaverat Promotor Fiscalis; debuisse igitur Episcopum citato Baldassinio, & servatis servandis, cognoscere, an locus esset privationi Canonicatus. Cum itaque processerit, non citato Baldassinio, nullam esse privationis pœnam, quæ non incurritur ipso Jure, ut accidit in Parochialibus, sed post sententiam, causa cognita, latam ab Episcopo, ut ex *Textu in Clement. ut ii. de ætat. & qualit.* & Tridentini decreto differunt *Fagnan. in dicto Capitulo quæris num.30. & 33. eodem tit. Garz. de benef. par.3. cap.4. a n.10. ad 16. Bellet. disq. iis. Cleric. §.34. num.35. & seqq. Barbos. de Canonic. cap.16. num.20. Antonell. de jur. & Oner. Cleric. lib.2 par. 6. §.3. n.105.* quod si observasset Episcopus, quanta sit inter Parochiales, & Canonicatus differentia, non processisset ad pœnam privationis, sed debuisset sequi ordinem Juris adimendo primum vocem activam, inde subtrahendo fructus, demum re ad contumaciam & obstinatam reluctantiam redacta, privando Baldassinium Canonicatu, ut explicant *Fagnan. in dicto cap. quæris n.7. Moneta de dist. quotid. par.2. cap.19. num.6. Bellet. dicto §.34 num.35. Barbos. de Canon. cap.16. num.10. Riccius in Prax. part.1. resol.486. n.14. & 15.* Contumacem, denique atque obstinate reluctantem dici non potuisse Baldassinium, cum non præcessissent ademptio vocis activæ, & subtractio fructuum, quo casu locum habet doctrina *Hostiensis*, ut declarant *Fagnan. in dicto cap. quæris num.9. & 10. Barbos. de Canonic. dicto cap.16. num.20.* aliique allati paulo ante. Videant igitur Eminentissimi Patres, qua Juris ratione expediendum sit Dubium.

An Decretum sustineatur in casu &c.

Negative, & ad mentem scribatur Episcopo.

Sess.21. c.8. de Ref. GUARDIEN. CAPPELLANORUM: Cum Abbas, & Monachi Monasterii S. Angeli in Palatio Ordinis Benedictini Terræ Aquavivæ Diœceseos Guardiensis ob diminutos ejusdem Monasterii redditus, non possent amplius in eo consistere, decreverunt idem Monasterium cum omnibus ejus bonis,

nis, Juribus, redditibus, & accessionibus cedere Sacro Ordini Hierosolytano. Impetrato igitur consensu Episcopi Guardiensis, & reservato Beneplacito Apostolico, cessio facta fuit. Cessionem probavit, ratamque habuit anno 1297. Bonifacius VIII. Pontifex Maximus, dato onere, ut quamdiu Monachi in eo Monasterio vivere vellent, teneretur Ordo Hierosolimitanus iis necessaria præstare ad vitæ sustentationem,,, illis autem recedentibus, vel de ,, medio sublatis, teneretur eadem Religio aliquas personas idoneas ad Di-,, vina Officia inibi celebranda, & Orationum ad Deum devote porrigenda ,, Suffragia pro animabus illorum, qui prædictum fundaverunt Monasterium, ,, & dotarunt, continue retinere,,. Immisso post hæc in possessionem Ordine Hierosolymitano, idem Summus Pontifex alia Constitutione sua jussit Vassallis omnibus ejusdem Monasterii, ut Magno Ordinis Magistro fidelitatis Sacramentum præstarent, solita exhiberent servitia, de Juribus, & redditibus eidem responderent, eumque in Patrem, & Dominum gratiosum assidue haberent sub pœna rebellionis ab ipso infligenda. Impleverunt Ordo, & Vassalli onera data, nam Ordo Hierosolymitanus Parochum, aliosque Ministros Ecclesiæ præposuit: Vassalli servitia præstiterunt, & de Juribus, & redditibus responderunt, annoque 1561. inter Commendatarios, & Vassallos inita fuit transactio, qua determinata fuit quota Decimarum a Vassallis tradenda Commendatario -- da spartirsi per la metà fra la Chiesa di d. Terra, e V. S., per l' altra metà al Prete del Casale, che serve in detta Chiesa.

Aucto inde ejusdem Terræ Populo, Commendatarius anno 1705. constituit in ea Vicarium Generalem, & a Sacro Consilio Ordinis tributa fuit præsenti Commendatario facultas augendi Ministros, seu Cappellanos Ecclesiæ, qui Officia Divina in Choro recitarent, & Sacramenta Populo ministrarent, iisque totidem conferrentur Cappellaniæ, itaut octo essent, numeratis etiam Parocho, & Vicario Generali. Anno igitur 1735. ultra Parochum, Vicarium Generalem, & duos Confessarios, alii quatuor constituti fuerunt Cappellani, assignato unicuique emolumento ex quota illa Decimarum, quæ in transactione anni 1561, quam supra diximus, data fuit Commendatario. Dum vitam egerunt Cappellani, durarunt Cappellaniæ sed iis defunctis, novos Cappellanos nominare, & inceptum opus pium prosequi recusavit Commendatarius, ideoque Universitas dictæ Terræ Aquavivæ contendens Commendatarium, qui percipit ex fructibus annuam summam ducatorum 1705. teneri servare numerum octo Cappellanorum, qui ab anno 1735. in ea Ecclesia fuerunt, confugit ad hoc Sacrum Tribunal, postulans, ut Commendatarius comppellatur ad retinendum in Ecclesia sex Cappellanos ultra Parochum, & Vicarium Generalem, iisque respondere teneatur annuum stipendium ducatorum 48. in singulos. Audito igitur jam Episcopo, Causa nunc proponitur. Ab Universitate libellum habuimus, in quo nudum Causæ factum erat, nullæ postulationis suæ rationes. A Commendatario vero nihil hactenus habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An Commendator pro tempore Commendæ, seu Granciæ S. Angeli in Palatio Terræ Aquavivæ Guardien. Diœcesis teneatur ex redditibus Commendæ manutenere sex Cappellanos, qui inserviant Choro, Divinis Officiis, & Parocho Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ Esther Terræ Aquevivæ in casu &c.*, & quatenus affirmative.

II. *An, & pro qua summa teneatur respondere eisdem Cappellanis in casu &c.*

Dilata ad primam post Reges.

ROMANA PRÆCEDENTIÆ: Quod Tridentini decreto cautum fuit, ut Canonicatus in omnibus Ecclesiis Cathedralibus annexum habeant Ordinem Presbyterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus, id in Patriarchali Lateranensi Ecclesia observatur; Ex duo de viginti siquidem ejus Canonicatibus octo Præbendas atque Ordinem habent Presbyteralem, quinque Diaconalem, *Sess. 22. cap. 4. & sess. 24. c. 14. de Ref.*

toti-

totidem Subdiaconalem. Antiquissima etiam, & usque a Sæculo XV. recepta in ea viget consuetudo inter Canonicos diversi Ordinis permutandi Stallum, & exercitium. *Presbyteralem* in eadem Patriarchiali Ecclesia Canonicatum obtinuit anno 1734. R. P. D. Marius Guarnacci, expeditisque Literis Apostolicis, possessionem illius nactus est, & cum ad Sacerdotium ascendere deberet, Diaconatus Ordinem suscepit anno 1737., quo tempore cum R. P. D Michael Vincentinus, qui Canonicatum *Diaconalem* in eadem Ecclesia obtinuerat, Gratiam Apostolicam impetrasset sedendi in stallis *Presbyteralibus*, atque ita vacuum remansisset unum ex quinque stallis Diaconalibus, R. P. D. Guarnacci, qui onus Sacerdotii humeris suis haud æquum censebat, petiit, obtinuitque Indultum Apostolicum permutandi suum stallum, & exercitium *Presbyterale*, cum stallo, & exercitio *Diaconalis* Canonicatus, quem possidebat R. P. D. Vincentini, adjecta expressa lege, & conditione, donec, & quousque alterum ex quinque stallis Diaconalibus vacuum remaneret. Cum autem nupera morte R. P. D. Vincentini vacasset ejus Canonicatus *Diaconalis*, R. P. D. Guarnacci, resoluta permutatione stalli, & exercitii, stallum, & exercitium Canonicatus Diaconalis cessit successori R. P. D. Vincentini, & repetere voluit stallum sui Canoninatus *Presbyteralis*, in quo triennio sederat ante permutationem, sed sese contradictores ei præstiterunt quatuor Canonici RR. PP. DD. Canali, Philonardi, Bonaccorsi, & Emaldi, qui licet post eum in Canonicorum Collegium recepti, quia tamen anteriores erant exercitio in Ordine Presbyterali, contendebant R. P. D. Guarnacci ultimo post ipsos loco sedere debere, si regressus ad Ordinem Presbyteralem ei posset sine Gratia Pontificia permitti. Capitulum itaque in hac controversia secundum R. P. D. Guarnacci provisionali decreto respondit, & R. P. D. Guarnacci stalli Presbyteralis possessionem accepit ante quatuor contradictores Canonicos; At hi, precibus SANCTISSIMO NOSTRO oblatis, rescriptum impetrarunt, *ut Eminentissimus Archipresbyter provideret audito Capitulo*.

Re igitur in Capitulo diligenter perpensa, visum est confirmandum esse præcedens decretum, & Eminentissimus Archipresbyter exequi jussit Decreta Capituli, reservata quatuor Canonicis facultate adeundi hoc Sacrum Tribubunal. Tres Canonici appellarunt, Philonardi liti cessit; Causa nunc proponitur, & R. P. D. Guarnacci, qui obtinuit prorogationem ad sex menses pro assequendo Sacerdotio, urget regulam Juris, quæ vult, ut qui anterior est receptione in Colleggium Canonicorum, potior quoque sit in loco sedendi: neque obesse permutationem factam inter eum, & defunctum R.P.D. Vincentini, quia cum permutatio illa non fuerit Tituli, Præbendæ, & Canonicatus, sed solius stalli, & exercitii juxta antiquissimam consuetudinem in eadem Ecclesia receptam, non potuerit detrimentum inferre Juribus sibi quæsitis, & semper retentis, cum per illam permutationem R.P.D. Vincentini possideret pro R P. D. Guarnacci, & hic pro altero; Cum vero permutatio illa haberet expressam conditionem, ut durare deberet, donec, & quousque alterum ex quinque Stallis Diaconalibus vacuum fuerit, consequens esse, ut morte R. P. D. Vincentini evenerit conditio, cum collato ejus Canonicatu, nullum ex quinque Stallis Diaconalibus vacuum sit, & ideo resoluta per adventum conditionis permutatione, licitum necessario sit R. P. D. Guarnacci regredi ad Stallum suum, & exercitium Presbyterale, & sicuti, si numquam permutatio facta fuisset, R. P. D. Guarnacci præcessisset cæteris Canonicis post eum in Ordinem receptis, ita præcedere debeat, resoluta permutatione, ipsoque locum, & Stallum suum repetente, quæ natura est resolutæ, vel rescissæ permutationis, ut Jura congregarunt *Cujac. lib. 33. observat. cap. 28. Anton. Perez in Prælection. ad Tit. Cod. de Rer. permut. n. 2. & 3.*, & ad rem *Rigant. ad Regul. 40. Cancell. num. 45. in fin.* præsertim cum hic regressus non competat ex Gratia, & Beneficio Principis, quo casu nocere non posset Tertiis, seu Canonicis posterioribus, sed ex Juris dispo-

positione, ut rectissime distinguunt *Moneta de Option. cap. 7. quæst. num. 38. Parisius de resignat. lib. 1. quæst. 14. num. 28. Barbosa de Canonic. cap. 18. num. 17. Amayden. de styl. Datar. cap. 26. num. 26. & 88. Pignatell. consult. 183. num. 13 Tom. 9. Scarfanton. ad Ceccoper Lucubrat. Canon. lib. 1. tit. 8. num 25. & lib. 2. tit. 3. num. 7. & 8. & in Addit. 36. sub n. 2. & 3. to. 3. Panimol. dec. 1. adnot. 8. sub n. 38.*

Tunc enim quis dicitur Canonicus novus in Ordine, cum vel ob crimen Canonicatu privatus, ex Gratia restitutus fuerit, vel cum primo Canonicatu dimisso, vel renunciato, alium assequatur, vel cum non locum, & exercitium, sed Titulum, Præbendam, & Canonicatum permutaverit: His casibus non esse locum regressui in detrimentum posteriorum: his casibus necessariam esse Gratiam Pontificiam; his casibus loqui, qui contra proponuntur Juris Pontificii Doctores; nullum ex his casibus nostro convenire: Neque ad rem pertinere, quæ tres Canonici obiiciunt; nam quod ipsi actu Presbyteri præcedere debeant R. P. D. Guarnacci, qui Diaconus est, summovetur ex dispositione Juris, cum in ea Ecclesia, in qua Præbendæ distinctæ sunt, spectandum sit pro præcedentia tempus admissionis in Collegium, non vero tempus, quo susceptus fuit Ordo in qualibet Præbenda requisitus, ut ex *Textu in cap. 1. de Majorit. & obedien.* tradunt *Hostien. in cap. statuimus num. 10. in fin., ibique Innocent. num. 1. eod. tit. Nicol. Lucubr. Canon. lib. 1. tit. 52 num. 1. vers. in Canonicis Ricciardell. in Lyce. Eccles. tom. 1. cap. 8. num. 31. Monacell. formul. pract. tom. 4. in supplem. ad tom. 3. num. 96. Scarfat. ad Ceccoper. lib. 1. ti. 11. num. 15. & 16. Panimoll. dec. 1. adnot. 8. n. 23. & 26.* Idemque habetur ex rebus similiter in eadem Patriarchali Ecclesia judicatis, atque ex observantia ejusdem Ecclesiæ, ut late monstrat R. P. D. Guarnacci. Longum esset singulas persequi rationes, quibus idem alias omnes trium Canonicorum posteriorum objectiones diluit, & præsertim graviorem illam contrariæ consuetudinis Ecclesiæ; exscribendus enim esset ejus non brevis Libellus, & Folium in volumen excresceret.

Contra vero RR. PP. DD. Canalius, Bonaccursis, Emaldius disputant R. P. D. Guarnaccium Canonicatum suum Presbyteralem juste non possedisse, neque possidere potuisse, quando contra Canonum Sacratissimorum dispositionem, & contra ipsa Ecclesiæ Lateranensis statuta anno transacto Sacerdotium non suscepit per annos decem, & septem, neque Pontificiam dispensationem obtinuit, itaut a Canonicatu ipso cecidisse dicendus sit. Frustra responderi permutationem ipsam exercitii Ordinis Presbyteralis cum Diaconali Pontificio Indulto approbatam sua natura præseferre dispensationem a suscipiendo Sacerdotii Ordine Canonicatui adnexo, quia duo sint Canonicorum onera distinguenda, alterum, ut Ordo Canonicatui adnexus intra annum suscipiatur, alterum ut officium Canonicatui adnexum per se ipsos non vero per substitutos Canonici exerceant, quod constitutum est in *cap. extirpandæ §. quia vero, vers. sed per ipsum de Præbend. & in cap. quia nonnulli, De Cleric. non resident, Decretoque Tridentini sess. 22. cap. 4. de Ref.* Indultum igitur Pontificium approbans permutationem potuisse quidem inducere dispensationem ab exercitio officiorum, quæ explenda fuissent a Canonico Presbytero, quæque extrinseca sunt a Canonicatu, sed non potuisse inducere tacitam dispensationem ab onere intrinseco suscipiendi Ordinem Presbyteralem adnexum, quam cum retinuerit R. P. D. Guarnaccius, tenebatur non obstante Indulto approbativo permutationis, Sacerdotium suscipere, cum onus istud reale sit, ipsique Titulo Canonicatus, & Præbendæ hæreat, ideoque sequatur semper eum, qui retinet eumdem Titulum, & spiritualem Præbendam.

Addunt Dispensationes, & Derogationes strictissimi Juris esse, neque ultra expressa porrigi, & extendi posse, ideoque, cum Indultum non respiciat nisi permutationem stalli, & exercitii, trahi nequeat ad aliam diversam, & duriorem Gratiam Dispensationis a suscipiendo Ordine Præbendæ adnexo, quod

onus

onus cum veniat a dispositione Generalium Conciliorum, debuisset iis expresse derogari, alias iis per quamtumlibet amplissimam Gratiam numquam derogatum censetur *Cap. ex parte de Cappell. Monach. Capp. nonnulli de rescript. Trid. sess. 25. cap. 25. de ref.* quod si etiam dici posset R. P. D. Guarnaccium, uti tacite dispensatum a Sacerdotio suscipiendo, Canonicatum Presbyterale retinere potuisse, satis tamen esse ad quæstionem dirimendam illam ipsam permutationem stalli, & exercitii Choralis, quam iniit cum R. P. D. Vincentino. Hac enim permutatione amisisse eum possessionem stalli, & Officii Presbyteralis, licet retinuerit Titulum sui Canonicatus, & possessionem suæ Præbendæ Presbyteralis, quia jus præcedentiæ non sit proprie adnexum titulo Beneficii, neque pertineat ad illius intrinseca, & naturalia, sed ab officio potius atque exercitio proveniat, ac referatur ad extrinseca, & accidentalia, ut tradunt *Jo. Andreas, Archidiac. & Ancharan. in cap. de Consuetud. in VI. Gigas de Pension. quæst. 63. num. 15. moneta de option. cap. 7. num. 18. Gonzal. ad regul. 8. Carccll. Prohem. 3. num. 2. & Gloss. 34. num. 12. 49., & 100. Prat. discept. forens. 39. num. 44. tom. 4. Card. de Luca de Canonic. disc. 8. num. 7. & disc. 15. num. 4. & sequent.* Ideo nihil referat R. P. D. Guarnaccium retinuisse possessionem Præbendæ Presbyteralis, si translatus in classem Diaconorum, & in eorum stallis sedens, eorumque officia exercens non potest præcedentiam desumere a possessione Præbendæ Presbyteralis, cujus officium, & exercitium amisit, sed eam desumere debet ab officio, & exercitio Ordinis Diaconalis, in quem translatus fuit. Neque dicendum sit R. P. D. Vincentinum, & R.P.D. Guarnaccium vice mutua, & alterum pro altero possedisse, quia obstat dispositio Juris, quæ vult, ut Canonici per se ipsos, non vero per substitutos officium implere teneantur, & obstat consuetudo Ecclesiæ Lateranensis, ex qua Canonici permutantes jure ac nomine proprio recipiantur classem illam, ad quam permutatione transferuntur.

His itaque consequens esse, ut si nunc R. P. D. Guarnaccius, resoluta permutatione, in classem Presbyterornm regredi velit, & restitui ad eorum Stalla & officia, ultimo loco sedere debeat, quia hæc restitutio nocere non possit iis, qui stante permutatione inter Presbyteros, recepti Stalli, & præcedentiæ possessionem acquisiverunt, ut passim tradunt Doctores, ea ratione, quod jus præcedentiæ semel quæsitum numquam amittitur, semel amissum numquam recuperatur: Neque obstare clausulam conditionalem adjectam Indulto Pontificio, *donec & quousque alterum ex quinque Diaconalis Stalli vacuum fuerit*, quia hæc clausula efficiat quidem, ut permutatio non esset perpetua, sed resolubilis, non vero efficiat, ut resoluta permutatione, recuperare debeat permutans possessionem illam, quam amisit, & a qua venit jus præcedentiæ, præsertim in detrimentum illorum, qui medio tempore jus acquirere potuerunt, & quibus nullum a Principe Indulto suo detrimentum illatum fuisse censeri possit, cum in ipsa permutatione a Principe approbata expresse reservatus non fuerit regressus ad *Stallum, & locum in Choro*, quo casu posset R P.D Guarnaccius antiquum locum repetere jure retentionis. Cessare autem omnem disputationem ex vetusta Basilicæ Lateranensis consuetudine, ex qua in permutationibus Officiorum cujuslibet Classis semper observatum fuisse dicitur, ut permutantes, & redeuntes, resoluta permutatione, postremum occupent locum, ut pluribus collectis exemplis probant RRR. PPP. Canalius, Bonacursius, Emaldius. Eoque amplius, quod ipsi licet posteriores, sint tamen actu Sacerdotes, ideoque præcedere debeant R.P D Guarnaccio, qui Sacerdos non est *Can. Pervenit, Can. Præcipimus distinct. 39. cap. statuimus de majorit. & obedien.* Nec mutare, quod in Ecclesia Lateranensi Præbendæ in tres distinctos diversosque Ordines separatæ sint, quia verior sit, & receptior sententia, quæ vult, ut etiam hoc casu ad effectum præcedentiæ spectandum sit non tempus admissionis, sed tempus, quo quis Ordinem Præbendæ adnexum suscepit juxta *Gloss. in d. cap. statuimus verbum primum*

Le-

cum, ibique etim Panormit. num.1. & Zabarell. vers quarto quæro. Barbos. in jus Eccl. univers. lib.1. cap.21. num. 8. & de Canon. cap.18.num.11. Pignatell. Sac. Rituum Congregationis decreta referens consult.55. num. 27. to. 3. Monacell. in Formul. tom.3. tit.2. form.7. num.7. & 12. Piton. de controv. Patron. allegat.90. num.125. 128. 138.. & 139. Ceccoper. Lucubrat. Canon. lib.1. tit.11. n.10.

Hæc itaque RRR. PPP. DDD. Canalius, Bonaccursius, Emaldius. Videant igitur EE. PP. qua juris ratione expediendum sit Dubium.

An R.P.D. Guarnaccio competant Stallum, & Præeminentiæ eidem Stallo adnexæ, quæ competebant ante permutationem exercitii sui Canonicatus Ordinis Presbyteralis cum Diaconali in casu &c.

Affirmative, & amplius.

Die Sabbathi 14. Decemb. 1754.

DUæ, quæ sequuntur, Causæ in ultima Amplissimi Ordinis Congregatione habita die 23. transacti mensis Novembris propositæ non fuerunt; Cum itaque nunc, ut credimus, proponantur, rogamus Eminentissimos Patres, ut earum Folia iterum consulant.

REGIEN. VISITATIONIS, cujus quatuor sunt Capita. *ut in pag.49.* *Sess. 23. c. 20. de Reg.*

I. *An &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Affirmative. Ad III. Affirmative, & ad mentem. Ad IV. Episcopus procedat prout de jure servatis, servandis.

UXENTINA UNIONIS, in qua quæritur. *Sess. 23. c.18. de Ref.*

I. *An sustineatur Unio Beneficii de Jurepatronatus, de quo agitur, facta ab Episcopo Uxentino favore Seminarii ejusdem Civitatis vigore Testamentariæ dispositionis quond. Joannis de Pandis in casu &c.* Et quatenus negative.

II. *An & a quo tempore sint restituendi fructus Rev. D. Joanni Rocci ad dictum Beneficium præsentato in casu &c.*

In decisis, & amplius.

TARENTINA DISTRIBUTIONUM: Species omnis hujus Causæ data fuit in Folio Congregationis habitæ die 20. superioris mensis Julii; ea tamen die Causa proposita non fuit. Iterum itaque data in Folio sequentis Congregationis habitæ die 24. mensis Augusti: Rescripserunt autem Eminentissimi Patres - *Dilata in omnibus, & coadjuventur probationes, & reformentur Dubia juxta mentem*. Imperio igitur Sacri Tribunalis obsequentes Litigantes convenerunt, ut III., quæ subjicimus, Dubia disputarentur, quæque respiciunt dumtaxat controversiam inter Portionarios, & Canonicum Ciuram. Hæc autem ab Eminentissimis Patribus repetita lectione Folii dictæ Congregationis habitæ die 20. mensis Julii poterunt nunc expediri. *Sess.21. c.3. & Sess.24. cap.12. de Ref.*

I. *An Æconomus Archiepiscopi, quatenus sit Canonicus, in absentia a Choro, vel Civitate lucretur distributiones, & Massam grossam?*

II. *An eadem Massa grossa sit recensenda inter fructus Præbendæ, vel inter distributiones?*

III. *An Canonicus Franciscus Ciura pro tempore, quo degit in Civitate Neapolis, lucratus fuerit distributiones, & Massam grossam in casu &c.*

Proponatur in prima omnino post Reges.

Sess. 7. cap. 8. Sess. 21. c. 8. Sess. 24. c. 9. Sess. 23. c. 15. Sess. 25. c. 11. de Reg.

NOLANA: Causa hæc data fuit in Folio Congregationis habitæ die 20. Junii 1750. quod in lucem hominum editum fuit *Vol. XIX. Thesaur. Resol. Sacr. Congr.* Rogamus autem Eminentissimos Patres, ut idem folium, repetita lectione, consulant, ex qua ad eorum memoriam revocabunt controversiam ortam inter Episcopum Nolanum, & Thomam Antonium Cortone Archipresbyterum Ecclesiæ *Sancti Petri ad Scafatum* de qualitate hujus Ecclesiæ, quam Archipresbyter defendebat *exemptam* a Jurisdictione Ordinaria Episcopi Nolani, *& Nullius Diœcesis*. Proposita igitur fuerunt VI., quæ sequuntur, Dubia, quibus Causa omnis collecta fuerat. „ I. An Episcopus Nolanus sive per se, sive eo impedito, per Convisitatores sit manutenendus in possessione visitandi Parochum, & Ecclesiam Parochialem Terræ Sancti Petri ad Scafatum in casu &c., *& quatenus Affirmative*. „ II. An substineatur excommunicatio a Convisitatoribus Episcopi Nolani fulminata contra Parochum Thomam Antonium de Cortone in casu &c., *& quatenus Affirmative*. III. An dictus Parochus incurrerit irregularitatem in casu &c. IV. An Parochus dictæ Ecclesiæ possit uti Insignibus Episcopalibus, Populum per eamdem Ecclesiam, & Terram benedicere, ac Thronum in dicta Ecclesia retinere in casu &c. V. An idem Parochus possit Confessarios approbare, licentias concionandi concedere, & Indulgentias publicare, sive potius prædicta spectent ad Episcopum Nolanum in casu &c. VI. An dictus Parochus possit concedere literas Dimissoriales, sive potius ab Episcopo Nolano teneantur Scholares dictæ Terræ primæ Clericali Tonsura initiari, & Clericos tam ad minores, quam ad Sacros Ordines promoveri in casu &c. „ Dubia hæc, contumace Archipresbytero, pro Parte tantum expedita fuerunt, respondentibus Eminentissimis Patribus: *Ad I. II., & III. Affirmative, in reliquis dilata*: ut in dicto *Vol. XIX. Thes.*

Excitavit hæc definitio trium priorum Dubiorum Archipresbyterum, qui, impetrata *nova Audientia*, plura edidit vetera monimenta, ex quibus probare intendebat exemptionem suæ Ecclesiæ, & qualitatem *Nullius*, excipiente Nolano Episcopo ea esse informia, nullamque probationem constituere. Proposito igitur die 31. *Julii anno* 1751. novo Dubio: *An sit standum, vel recedendum a Decisis quoad I. II., & III. Dubium in casu &c.*: sed tribus aliis non definitis, Sacrum hoc Tribunal ad veritatem eruendam rescripsit: *Dilata, & fiat extractio documentorum citata Parte*, ut in *Thes. Resol. Sac. Congr. Vol. XX.* Ut igitur extractio hæc fieri posset, mandata fuit Jurisdictio *Episcopo Castrimaris, & præfixus fuit terminus* 20. *dierum pro extractione Documentorum in Urbe existentium*: sed Archipresbyter ictu apoplectico percussus nihil egit, & licet ei præfixus fuisset *Terminus peremptorius*, alia tamen omnia cogitabat, quam causam. Instante igitur Promotore Curiæ Episcopalis Nolanæ, repropofita fuit Causa in Congregatione habita die 22. Januarii anno 1752., nec tamen definita fuit, veniente ad Causam *Episcopo Litterensi*, & petente *Audiri*, quod censeret suam esse, non vero Nolani Episcopi Jurisdictionem in Oppido S. Petri ad Scafatum. Rescripserunt igitur Eminentissimi Patres: *Dilata, & proponatur, intimato Episcopo Litteren., & præfixo novo peremptorio Termino Archipresbytero*, ut in *Thes. Resol. Vol. XXI.* Præfixus fuit novus Terminus Archipresbytero, sed hic cum morte luctabat; Interpellatus fuit Episcopus Litterensis, sed hic, re melius perspecta, Litem Causamque deseruit. Postulante igitur Promotore Curiæ Episcopalis Nolanæ, Causa iterum proposita fuit die 11. *Martii eodem anno* 1752., & quatuor Dubiis respondit Sacrum Tribunal: *Ad I. In Decisis, & Amplius: Ad II. negative: Ad III., & IV. negative ad primam partem, & affirmative ad secundam*, ut in *dicto Vol. XXI. Thes. Resol. Sac. Congreg.* Paulo vero post hanc definitionem omnium Dubiorum decessit Thomas Antonius Cortone dicti Oppidi Sancti Petri ad Scafatum Archipresbyter.

Cum

Cum autem ejus obitu reperta fuisset Ecclesia ruinam minitans. & Sacra supellectili fere destituta, Januarius de Majo Durazzo Dux ejusdem Oppidi, cujus post illustrem Tomacellorum Familiam, aliasque æque spectabiles Regni Neapolitani Dominas dicti Oppidi competebat jure Feudali Patronatus Ecclesiæ, & Archipresbyteratus vacantis, preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, quibus postulavit, ut suspenderetur per aliquod tempus nominatio Archipresbyteri, donec ex ejus redditibus reparari posset Ecclesia, atque instrui Sacra supellectili: Rescriptum fuit *pro suspensione nominationis ad quinquennium*, & mandatum fuit Nuncio Apostolico Neapolis facultas deputandi Æconomum pro administratione Sacramentorum, & Vicarium pro exercitio Jurisdictionis. Certior inde factus idem Dux, & Patronus de Causa acta in hoc Sacro Tribunali, ipso non citato neque audito, inter Episcopum Nolanum, & defunctum Archipresbyterum, qui morbo oppressus causam deseruerat, jura suæ Ecclesiæ, & Archipresbyteratus defendenda suscepit, postulans *audiri ex integro* in omnibus Dubiis excepto II., & III., quæ Patronatum non respiciunt, sed personam defuncti Archipresbyteri: *Et ex integro* quidem audiri postulabat, quod ipse neque citatus, neque auditus fuisset in controversiis, quæ respiciebant jus sui Patronatus, ideoque affici non posset actibus illis, qui inter Episcopum, & Archipresbyterum gesti fuerant, neque decretis, & responsis Sacri hujus Tribunalis, præsertim cum etiam, si dici posset litem actam fuisse in *causa status*, non tamen Archipresbyter jura Ecclesiæ defenderat. Postulationis hujus Justitia comperta, R. P. D. Secretarius decrevit: *Audiendum esse ex integro quoad IV., & VI. Dubium*, at *quoad I.* postulationem illam Eminentissimis Patribus proponi jussit, quod ipse facultatem non haberet ob clausulam, *& amplius*.

Postulat itaque nunc idem Dux, & Patronatus, ut *audiatur ex integro etiam quoad primum Dubium*, & urget easdem rationes, quod ipse in lite illa acta inter Episcopum, & Archipresbyterum auditus non fuerit, neque citatus, quod Archipresbyter morbo læthali correptus jura Ecclesiæ defendere non potuerit, ideoque Decreta Sacri hujus Tribunalis eum afficere non potuisse. Addit, ut confirmetur jurisdictio, quæ mandata fuit *Episcopo Castrimaris ad effectum faciendi extractionem documentorum citata Parte*, ne iterum a Promotore Curiæ Episcopalis Nolanæ excipiatur de illegalitate probationum. Pertinet igitur ad Eminentissimos Patres decernere.

An sit concedenda nova Audientia quoad primum Dubium in casu &c.

Affirmative, & fiat extractio documentorum citata Parte.

NOVARIEN. JURIUM PAROCHIALIUM: Duæ sunt prope Lacum Uerbanum Diœceseos Novariensis vicinæ Terræ, quarum altera nuncupatur *Levum*, altera *Somerarium*. Fere inter utramque sita est Ecclesia dedicata *Beatissimæ Virgini in Cœlum Assumptæ*, quæ pertinet ad Terram *Levi*: Extra *Somerarium* non qua parte respicit Terram *Levi*, sed in parte opposita, sita est sive Ecclesia, sive Oratorium, quod dedicatum est *S. Bernardo*, & pertinet ad Populum *Somerarii*. Utraque hæc Terra dudum subjecta erat Curæ Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis Terræ *Baveni*, sed cum ob Locorum distantiam, & viarum difficultatem incommodus esset Populis *Levi*, *& Somerarii* ad Ecclesiam Parochialem accessus, postularunt a Cardinali Taberna Episcopo Novariensi, ut novam Parochialem erigeret, sive in Terra *Levi*, sive in alia *Somerarii*, facta dismembratione ab Ecclesia Parochiali *Baveni*. Episcopus, re in Visitatione comperta, *provisionale* Decretum tulit die 22. Novembris anno 1617. quo jussit, ut Præpositus, & Canonici Parochialis Ecclesiæ *Baveni* omnibus diebus Festis *alternatim* in Ecclesia B. Mariæ in Cœlum Assumptæ Terræ *Levi*, & in Ecclesia S. Bernardi Terræ *Somerarii* sacrum agerent, & Sacramenta ministrarent. Et hoc decreto

Sess. 22. Decret. de obser. & evit. in celebrat. Miss. Sess. 23. c. 14. Sess. 24. c. 4. de Ref.

creto factum est, ut, donec vixit Cardinalis Taberna, Cives duarum Terrarum de dismembratione amplius non cogitàverint; Eo vero defuncto, suffectoque in Episcopatu Novariæ Antonio Torniello, redierunt ad veterem voluntatem habendi in eorum Terris Ecclesiam Parochialem separatam, divisamque a Parochiali *Baveni*.

Generali igitur Concilio Civium utriusque Terræ coacto, die 3. Martii anno 1639. censuerunt, ut postularetur ab Episcopo dismembratio a Parochiali; & erectio novæ Parochiæ *in Ecclesia B. Mariæ Virginis in Cœlum Assumptæ* Terræ *Levi*, Dotem constituerunt, & congruam novo Rectori *cum pacto, lege, & conditione*, ipsa sunt Instrumenti verba „ quod ex Titulo, & ex „ Causa Dotationis Dominus Rector &c. debeat, & teneatur in dicta Ecclesia S. Mariæ Levi per se residere, & residentiam facere, Functiones Parochiales, & Officia, ac Jura Parochialia peragere, Missas celebrare, oblationes recipere, & alia agere, quæ de Jure, & laudabili consuetudine „ Ecclesiarum Parochialium Locorum convicinorum Rectores in Ecclesiis „ Parochialibus facere solent, & tenentur, & hoc semper, & in perpetuum, ac futuris perpetuis temporibus, & usque in infinitum quacumque „ præscriptione non obstante „. Duos denique Procuratores ad petendam ab Episcopo dismembrationem, & novæ Parochialis erectionem constituerunt, iisque etiam facultatem tribuerunt „ faciendi, distribuendi, declarandi, & ordinandi in, & supra distributionem Missarum celebrandarum „ indistincte ab eodem Domino Rectore in dictis Locis Levi, & Someraríi „. His actis Generali Concilio, publicoque Instrumento ab utroque Populo, duo Procuratores constituti, eadem die, eodemque Tabellione rogante, aliud publicum Instrumentum stipulati sunt, quo utentes facultate ipsis data „ di fare la distribuzione delle Messe da celebrarsi dal loro M R. „ Signor Curato nelli detti luoghi di Levo, e Someraro, *decl ra unt, & constituerunt* — Che il loro Signor Curato abbia da celebrare in detto luogo di Levo il giorno della Natività di Nostro Signore, il giorno della Resurrezzione di Nostro Signore, il giorno della solennità del Corpo di N. Signore, e li giorni delli Sabati, eccetto quando il Sabato fosse feriato: E „ negl' altri gio ni il detto Signore Curato abbia a celebrare, e fare qualsivoglia funzione a vicenda, cioè una volta a Levi, e l' altra a Someraro.

Post hæc unus ex his Procuratoribus Novariam petiit, postulavitque ab Episcopo dismembrationem, atque erectionem novæ Parochialis in Ecclesia B. Mariæ in Cœlum Assumptæ Terræ *Levi*, edito in actis dumtaxat publico illo primo Instrumento Generalis Concilii Civium utriusque Terræ. Episcopus autem, causa cognita, decrevit esse locum dismembrationi, erigendamque esse novam Parochiam in eadem Ecclesia Terræ *Levi*. Et publico Instrumento dismembrationis, & erectionis novæ Parochiæ acto die 15. Octobris anno 1640., contulit, reservavitque Ecclesiæ illi B. Mariæ „ Terræ Levi jura „ omnia, honores, & præeminentias universis Ecclesiis Parochialibus dari „ solitas, & consuetas &c. itaut de cætero possent in ea quæcumque Officia „ Parochialia exerceri „. Hoc inde erectionis Instrumentum ratum habuit uterque Populus *Levi*, *&* *Somerarii* alio publico Instrumento; Atque ita, nova erecta Parochia in Ecclesia B. Mariæ in Cœlum Assumptæ Terræ *Levi*, Rectores omnes, seu Parochi ad hæc usque tempora omnibus diebus Festis Sacra fecerunt, omnesque alias Functiones Parochiales egerunt in eadem Ecclesia B. Mariæ Terræ *Levi*. Cum autem anno 1722. erectum fuisset in Ecclesia, sive Oratorio S. Bernardi Terræ *Somerarii* Sodalitium *Cincturatorum*, Parochus tunc temporis, qui Civis Somerariensis erat, quarta qualibet singulorum mensium Dominica Parochialem Ecclesiam deserebat, sacrum acturus in alia Ecclesia S. Bernardi Terræ *Somerarii*, ad quam accedere debebat populus Terræ *Levi*. ut Sacrum audiret. Parochus vero præsens, qui, & ipse Somerariensis est, cœpit alternis vicibus Sacra agere, & Functiones Parochiales explere in Ecclesia Parochiali, & in Ecclesia S. Bernardi *Somera-*

rarii. Egre id ferens Populus *Levi*, cui incommodum est accedere ad Ecclesiam S. Bernardi ultra Terram *Somerarii* sitam, adiit Episcopum Novariensem, qui, cum audisset a Parocho, & Somerariensibus hanc esse vetustam consuetudinem, cui causam dederat antiqua conventio, Populum *Levi* a postulatione rejecit.

Rejectus Populus ad hoc Sacrum Tribunal confugit, precibus oblatis, quibus postulabat, ut compelleretur Parochus ad agenda Sacra, & Parochiales Functiones explendas in Ecclesia Parochiali. Auditus Episcopus respondit contra Populum Terræ *Levi* tum ex antiqua consuetudine, tum ex conventione. Cum vero Populus *Levi*, dato Libello, neutrum probari respondisset, alia data fuit epistola ad eumdem Episcopum *super novis precibus*. Rescripsit hic iterum contra Populum *Levi*, quod tandem „ inventum fuerit Instrumentum, ex quo Parochialium, & Ecclesiasticarum Functionum alternativa huc usque impugnata perabunde comprobabatur „ misitque adjunctum epistolæ suæ secundum, quod supra retulimus, Instrumentum declarationis factæ a duobus Procuratoribus in Concilio Generali utriusque Populi constitutis, & hoc Instrumentum extare dicitur „ in Libro Visitationum existen. in Archivo Episcopali Novariæ, videlicet in Visitatione Vicariatus „ Baveni facta ab Antonio Torniello Episcopo Novariensi. Causa nunc proponitur, & Populus Terræ *Levi* urget dispositionem Sacrorum Canonum, ex qua Parochi tenentur in Ecclesia Parochiali diebus Dominicis, aliisque Festis Sacra agere, & Functiones Parochiales explere, neque possunt ea agere in aliis Ecclesiis, sint illæ licet intra fines Parochiæ sitæ, ut perpetuo respondit hoc Sacrum Tribunal, & præsertim *in Lucana* 15. *Novembris* 1729., aliisque quas refert *Barbos. de Offic.*, *& potest. Paroch. par.* 1. *cap.* 11. *n.* 3. *in Hidruntina.* 13. *Febr.* 1639., ut in *lib.* 16. *decret*, & nuper in *Fulginaten.* 19. *Augusti* 1752. *&* 12. *Maii* 1753. ut in *Thes. Resol. Sac. Congreg. Vol. XXI.*: Dispositioni Juris Canonici accedere pacta, leges, & conditiones Doti datas ab utroque Populo, ut ex verbis publici Instrumenti, quæ supra dedimus; Accedere consensum Episcopi, qui in Instrumento erectionis novæ Parochiæ reservavit Ecclesiæ B. Mariæ Assumptæ Terræ *Levi* omnia Jura, officia, & Functiones Parochiales; Accedere consensum utriusque Populi, qui hoc erectionis Instrumentum *in omnibus*, & *per omnia* ratum habuit: Accedere demum observantiam fere centenariam, cum a die erectionis ad annum 1732. Parochi omnes Sacra, & Functiones Parochiales egerint in Ecclesia Parochiali Terræ *Levi*.

Nec mutare Instrumentum illud factum a duobus Procuratoribus; quia quidquid sit, an probum legitimumque habendum sit, *nullum* tamen, & *invalidum* remanserit, ut tamquam *revocatum*, & *inobservatum* spatio temporis fere centenarii nullo in pretio sit habendum: nullum quidem, atque invalidum remansisse defectu *ratihabitionis* duorum Populorum, & defectu *consensus*, & *approbationis Episcopi*. Cum enim duo Procuratores non habuissent speciale, & distinctum mandatum ad faciendam distributionem *per alternativam*, sed mandatum genericum ad *faciendam distributionem Missarum celebrandarum in Locis Levi*, *& Somerarii*, ut Populus utriusque Terræ, & præsertim *Levi* obligatus obstrictusque esset, distributione facta a Procuratoribus *per alternativam*, necesse fuisset, ut modus hic propositus fuisset in Concilio duarum Terrarum, & ab utroque Populo ratihabitus, quod cum factum non fuerit, nullum atque invalidum remansisse Instrumentum illud *Alternativæ*: Præsertim quia Episcopo exhibitum non fuit, ideoque nullum atque invalidum remanserit, quia, licet Patronis Laicis licitum sit in limine Fundationis leges, & conditiones apponere Juri contrarias, qualis illa erat *Alternativæ celebrationis Sacrorum*, *& functionum Parochialium*, necessario tamen accedere debeat consensus, & approbatio Episcopi, ut valeant, & consensus hic non satis sit tacitus, sed requiratur expressus. Hic autem neque tacitum, neque expressum affuisse, cum Episcopus Instrumentum illud peni-

penitus ignoraverit; Et si probari posset Episcopum illud vidisse, consequens esset, ut illud rejecerit, quando in publico Instrumento erectionis novæ Parochiæ non solum non reservavit *Alternativam*, sed contrarium expressit, reservando omnia Jura, Officia, & Functiones soli Ecclesiæ Parochiali; Cum vero hoc Instrumentum erectionis ratum habuerit Populus utriusque Terræ, dicendum necessario sit *revocatum* hac ratihabitione fuisse Instrumentum *Alternativæ* ob incompatibilitatem duorum actuum contrariorum, præsertim cum *hæc Alternativa* numquam fuerit *observata*: Hæc atque alia Populus Terræ *Levi*: A *Somerario* nihil habuimus: Dubium est.

An, & quæ Missæ, ac Functiones sint per Parochum celebrandæ in Ecclesia Parochiali B. Mariæ Assumptæ Terræ Levi, & respective in alia Ecclesia S. Bernardi Somerarii in casu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes, & extrahantur partitæ librorum Parochialium citata Parte.

Sess. 22. c. 8. & 9. de Ref. Sess. 7. c. 15. de ref. Sess. 25. c. 8. de Ref.

MONTIS ALTI: Priusquam san. mem. Xistus V. Civitatem Montis Alti Episcopali Cathedra honestaret, Terra Montis Elpari Abbatiæ Farfensi subiiciebatur, sed post erectam in eadem Civitate Sedem Episcopalem eadem Terra novo Episcopo subjecta fuit, & de ejus Diœcesi facta est. Duo in ea erant Pia Loca *Hospitale*, & *Mons Pietatis*: Hic autem duplex, *Pignorum* alter, alter *Frumentarius*, sed cum ab uno Officiali administraretur, pro *unico* Monte *Pietatis* habitus est. Nulla equidem fundationis, & erectionis horum Piorum Locorum habetur memoria. Illud tantum probatur sæculo XVI. administrata fuisse a Sodalibus *Sanctissimi Sacramenti*, quod Sodalitium erectum fuerat in Parochiali Ecclesia *S. Michaelis Archangeli* ejusdem Terræ, nam Officiales dictorum Locorum Piorum ab his Sodalibus præficiebantur, & cum Communitas ejusdem Terræ mutuam accepisset pecuniam a Monte Pietatis in quantitate florenorum 154., neque eam restitueret, damnata fuit anno 1566. ad restitutionem sententia Vicarii Generalis Farfensis. Anno tamen 1580. eadem Communitas, ignoratur, quo Jure, ac Titulo, sese pro Administratrice *Montis Pietatis* gessit deputando Rationalem, qui exigeret rationes ab Officialibus Montis, frustra obsistentibus Sodalibus *Sanctissimi Sacramenti* ad annum usque 1717.

Sequenti anno 1618. duo electi fuerunt Officiales *Montis Pietatis*, quorum alter *Frumento*, alter *Pignoribus* præesset, & ab hoc anno ad nostra hæc tempora Communitas, sine ulla contraditione Sodalium, regimen habuit, & *Montis Pietatis*, & *Hospitalis*. Hæ tamen de regimine duorum Locorum Piorum controversiæ inter Communitatem, & Sodalitium, nullum detrimentum intulerunt Juribus Abbatis Farfensis, & inde Episcoporum; eadem siquidem Pia Loca visitarunt, administrationem direxerunt latis decretis; & ordinationibus pro recto eorumdem regimine: Officiales, Administratores, & Syndicos confirmarunt, debitores condemnaverunt, nihilque a Communitate gestum fuit, nisi aut petita, aut reservata approbatione Episcoporum Atque ita optimo statu hæc Loca Pia diu fuerunt: Sed relaxata paulatim cura, & sollicitudine Episcoporum, res in deterius abire cœperunt. Cum igitur Episcopus Accorambonus in Visitatione acta anno 1727. cognovisset *Montem Frumentarium* spatio 30. annorum decrevisse fere ad quartam partem, amovit ab administratione Officiales, quos Communitas elegerat, aliosque in eorum locum suffecit. Idem factum est decennio post ab Episcopo Paganellio in Visitatione *Hospitalis*; Atque ita horum Episcoporum studio, & providentia hæc Loca pia non solum in pristinum statum redierunt, sed etiam longe aucta fuerunt.

Ventum est ad annum 1748., quo tempore Episcopus Savinius Apoplesiæ ictu percussus absens erat, & Communitas hanc nacta opportunam occasionem petiit coram R. P. D. Secretario Congregationis Boni Regiminis manuten-

tio-

tionem, seu reintegrationem in possessione, seu quasi administrandi *Montem Pietatis*, *& Hospitale*, quam, nullo obsistente, facile obtinuit, reservata tamen approbatione Episcopi in electione Officialium, & reservato pariter omni alio Episcopali Jure juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & præsertim Tridentini. Cum autem, qui nunc Ecclesiæ Montis Alti præest, Episcopus in Visitatione Terræ Montis Elpari cognoverit tria illa Loca Pia ex mala Communitatis administratione iterum collapsa esse, satius duxit preces offerre Eminentissimo Domino Pro Auditori Sanctissimi, qui, circumscripta sententia illa contumaciali R. P. D. Secr. Boni Regim., Causæ illius notionem ex integro dedit S. huic Tribunali. Omnes igitur Controversiæ, quæ inter Episcopum, & Communitatem hac occasione aguntur, IX. Dubiis collectæ fuerunt. A Communitate nihil habuimus. Dubia vero hæc sunt.

I. *An Loca pia Montis Elpari, Hospitale scilicet, Mons Pietatis, & Mons Frumentarius subsint jurisdictioni, visitationi, correctioni, & reformationi Episcopi Montis Alti?*

II. *An Administratio Æconomica eorundem Locorum Piorum exercenda sit libere a Communitate Laicali, vel potius dependenter a directione, & auctoritate Episcopi?*

III. *An eidem Episcopo Jus competat tam faciendi Ordinationes pro recta prædictorum Locorum administratione, quam approbandi Officiales, Administratores, & Revisores computorum a Communitate electos?*

IV. *An ad præfatum Episcopum pertineat approbare resolutiones vel ab eadem Communitate, vel a suis Officialibus captas, tam circa contractus nomine locorum piorum ineundos, quam circa erogationem proventuum in eleemosynas & usus Pios, ac tandem quoad distributionem frumenti Personis indigentibus?*

V. *An Episcopus possit removere Administratores dictorum Locorum Piorum electos a Communitate non idoneos, vel male gerentes administrationem, atque alios per ipsum eligendos eorum loco substituere?*

VI. *An Episcopus possit exigere redditionem rationis a dictis Administratoribus independenter a Syndicatoribus a Communitate electis?*

VII. *An Episcopo privativa competat executio sententiæ Syndicatoriæ adversus Administratores, & inquisitio contra Debitores dictorum locorum Piorum?*

VIII. *An substineantur electiones Officialium factæ a Communitate ab anno 1751.*

IX. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Dilata, & proponatur in prima post Reges.

VITERBIEN, SEU MONTIS FALISCI HOSPITALIUM: Ex pluribus, quæ Viterbii erant ad Corpora, & Universitates diversarum Artium pertinentia, unum pro Civibus, & Districtualibus erectum fuit Hospitale, quod in salubriorem, & commodiorem locum inde translatum fuit. Infirmorum multitudo ab exteris, & finitimis Locis ad novum hoc Hospitale transmittebatur, quod cum nimiis impensis, quæ ob ægrorum multitudinem necessariæ erant, impar esset, interdictum fuit anno 1632. ne in eo exteri, & ex vicinis Locis infirmi amplius reciperentur. Vim quidem, sed paucis annis, habuit hoc interdictum, nam iterum, & præsertim a Civitate Montis Falisci infirmi ad illud transmitti cæperunt. Necesse igitur fuit anno 1683. Interdictum renovare, ne in Hospitale ii reciperentur, qui exteri essent, & præcipue, qui ab Hospitali Montis Falisci transmitterentur. Accessit felicitati

Sess. 22. c. 8. & 9. de Ref. Sess. 25. c. 8. de Ref.

tati Hospitalis Viterbiensis unio, quam clar. mem. Cardinalis Barbadicus Episcopus Montis Falisci anno 1690. fecit Hospitalis ejus Civitatis cum Collegio, seu Seminario puerorum, Apostolica inde auctoritate confirmata. Hujus enim unionis legibus cautum fuit, ut omnes, qui reciperentur „ nell' „ Ospedale tanto paesani, quanto forastieri sì infermi, come feriti siano „ ben trattati, e curati a tutte spese di detto Seminario, duranti le loro in- „ fermità „. Et cum Seminarii Administratores legi huic, & conditioni parerent, minor erat numerus infirmorum, qui ad Hospitale Viterbiense adveniebant, & minor erat impensa. At postremis hisce annis iidem Administratores, & Rectores lege illa, & conditione obliti Hospitalis munera negligere cœperunt Seminarii commodis intenti. Hinc pharmacopœam, quæ in Hospitali erat, clauserunt, minuerunt lectulos, infirmosque iterum ad Hospitale Viterbiense transmiserunt.

Querebantur Viterbiensis Hospitalis Rectores de hac transmissione, infirmosque admittere repugnabant, ut cautum erat interdicto, sed frustra. Nam Ductores, Viatoresque Montis Falisci infirmos non sive vitæ discrimine in via ipsa, & portu Civitatis Viterbii relinquebant, atque ita ejusdem Civitatis Hospitale cogebatur vellet nollet eos recipere, ne in ipsa via divinis humanisque præsidiis destituta decederent. Hinc factum est, ut cum ejusdem Hospitalis redditus impares essent impensis, contrahi debuerint anno 1752. Census scut. 1400., cujus fructus solvere non potest Hospitale, ne dum sortem redimere, itaut si res eodem statu durent, metuendum sit, ne Hospitale claudi debeat. Ut huic malo occureretur, obtulerunt Rectores, & Administratores ejusdem Hospitalis Sacro huic Tribunali preces, quibus postulabant, ut veteretur Hospitali, & Seminario Montis Falisci, ne infirmos Viterbium transmitteret, utque iis juberetur parere legi, & conditioni unionis, infirmosque omnes sive Cives, sive Districtuales, sive exteros recipere, & præsertim eos, qui Romam venientes in itinere ægrotantur, antequam Montem Faliscum perveniant, eadem methodo, qua in Hospitale Viterbii recipiuntur ii, qui Roma venientes in morbum incidunt. Rogatus fuit Eminentissimus Episcopus Viterbiensis, ut, audito Administratore Ecclesiæ Montis Falisci, animi sui sententiam explicaret, quod ipse præstitit epistola, qua, relatis utriusque Hospitalis rationibus, tandem secundum Hospitale Viterbiense respondit Causa itaque nunc duobus collecta Capitibus proponitur. Ab Hospitali Viterbiensi libellum habuimus; in quo factum, quod supra retulimus, narratur. Nihil vero habuimus ab Hospitali Montis Falisci. Dubia, quæ diximus, sunt.

I. *An sit prohibenda transmissio infirmorum exterorum ab Hospitali Montis Falisci ad Hospitale Viterbii in casu &c.* & quatenus affirmative.

II. *An sit prohibenda transmissio infirmorum ab Hospitalibus Terræ Mariæ, Bolsenæ, & Balneoregii ad Hospitale Montis Falisci in casu &c.*

Non proposita.

FINIS.

INDEX
CONCLUSIONUM OMNIUM, AC RESOLUTIONUM
Quæ sub Causis anno 1754. propositis prodierunt.

monii p. 15. *& seq.* ubi aliæ resolutiones Sacræ Congregationis *Baren. nullitatis Matrimonii p.*20. ubi casus & resolutio.

Matrimonium a puella minori ætate est validum, si corporis habitudine puella erat viri potens, ita respondit Sacra Congregatio in *Posnanien. matrimonii p.*21. *cum seq.*

MINISTER, SYNDICUS.

Minister, vel Syndicus electus a monialibus Prelato Regulari subjectis etiam cum literis patentibus Episcopi nequit contractus, aliosque administrationis actus gerere sine mandato procuræ monialium *Ferrarien. jurisdictionis ad* 9. *pag.*41. *cum seq.*

MISSA QUOAD CELEBRATIONEM, & APPLICATIONEM.

Celebratio Missæ solemnis in Ecclesia Cathedrali absente Episcopo, ad Archidiacoum spectat *Nebbien. ad* 1. *p.*11.

Possessor Canonicatus nuper erecti canens Missam conventualem in turno tenetur eam applicare pro Benefactoribus, & populo *Lauretana Canonicatus ad* 5. *p.*42. *cum seq.*

Possessori Canonicatus applicanti Missam conventualem pro Benefactoribus & populo stipendium a Capitulo solvi non debet *Lauretana Canonicatus ad* 6. *p.*42. *cum seq.*

MONIALES QUOAD FACULTATEM DEPUTANDI MINISTROS, ET PROCURATORES.

Moniales subjectæ Prælato Regulari cum interventu ejusdem possunt eligere Syndicum aliosque Procuratores ad negotia cum facultatibus sibi bene visis *Ferrarien. jurisdictionis ad* 10. *p.*41. *cum seq.*

Syndicus ac Procuratores a Monialibus deputati instrumenta stipulari debent coram eisdem capitulariter congregatis cum interventu Superioris regularis *Ferrarien. jurisdictionis ad* 11. *p.* 41. *cum seq.*

Superior regularis in omnibus instrumentis, & scripturis prius quam Syndicus Monialium se debet subscribere *ib. ad* 11.

MULIER QUOAD OBSEQUIA. MATRIMONIALIA.

Mulier, quæ validum contraxit matrimonium juris remediis, ac etiam per censuras cogi potest ad præstanda viro obsequia matrimonialia, ita respondit Sacra Congregatio in *Apruntina matrimonii p.*1. *&* 10. *ad* 2.

N

NOMINATIO.

An nominatio Eremitarum ad Episcopum, vel potius ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis pertineat *Hadrien. ad* 3. *pag.*1. *&* 14 *cum seq.*

Nominatio Eremitæ pertinet ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis & approbatio ad Episcopum *ibid.*

NOTARIUS SIVE CANCELLARIUS CURIÆ EPISCOPALIS.

Quando habeat privativam rogandi omnes actus tam inter vivos, quam ultimæ voluntatis, & quando sit exemptus, vel non a Taxa Archivii *Urbanien. rogituum ad* 1. *&* 2. *p.*21 24. *&* 26.

O

OFFICIA QUOAD DIMISSIONEM.

Dimissio officiorum spectantium ad monasteria monialium fieri debet in manibus Priorissæ, non autem Episcopi, si moniales Prælato regulari subjiciantur *Ferrarien. jurisdict. ad* 7. *p.*41. *cum seq.*

ONUS ONERA.

Cappellaniæ quando sint moderandæ, & reducendæ Vide *Narnien. Cappellaniæ §. heres & §. voluit p* 8. *& seqq.* ubi referuntur resolutiones Sacræ Congregationis.

Onera missarum quinque pro qualibet hebdomada, & cantus etiam ad formam testamenti non esse augenda respondit Sacra Congregatio in *Narnien. Cappellaniæ p.*10.

Onera missarum quando sint perpetua, vel temporalia hoc est ad vitam primorum hæredum *Bergomen Pii legati celebrationis missarum pag.* 28. ubi resolutio pro onerum temporaneitate ad vitam primorum hæredum.

ORDO.

Canicatus a Balduccio erectus in Ecclesia Lauretana habet adnexum ordinem presbyteralem *Lauretana Canonicatus ad* 7. *p.*42. *cum seq.*

ORDO QUOAD COLLATIONEM.

Collatio ordinum pertinet ad Episcopum domicilii, si pater ejus qui vult ad ordines promoveri ibidem domum una cum filiis transtulit animo perpetuo permanendi, licet alibi ortus fuerit juxta Constitutionem *speculatores Innocentii XII.* ita respondit Sacra Congregatio in *Anconitana seu Senogallien. ordinationis pag.*43. *cum seq.*

PA-

FINIS.

THESAURUS
RESOLUTIONUM
Sacræ Congregationis
CONCILII
Quæ conſentaneè ad Tridentinorum Patrum Decreta ; aliaſque Canonici Juris Sanctiones,
MUNUS
Secretarii ejuſdem Sacræ Congregationis
OBEUNTE
R.mo P. D. FURIETTO
PRODIERUNT
In cauſis ſub anno 1755. propoſitis,

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis, ac aliis in Eccleſiaſtico foro verſantibus apprimè utilis, & neceſſarius.
TOMUS XXIV.
TRIPLICI INDICE
A DOMINICO MAINARDI
LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLV.
Typis, & Sumptibus Hieronymi Mainardi in Platea Agonali

Superiorum facultate ; & Privilegio Sanctiſſimi.

INDEX RESOLUTIONUM SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII

A menſe Januarii 1755. per totum menſem Decembris ejuſdem Anni

Ordine Alphabetico per Diœceſes diſpoſitus.

Liſ-

Die Sabbathi 25. *Januarii* 1755.

In Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.



UÆ sequuntur, tres primæ Causæ in *ultima* Amplissimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 14. *Decembris* transacto nuper *anno* 1754. Dilationem obtinuerunt *ad hanc Congregationem*: Poterunt igitur Eminentissimi Patres *Folium ultimæ Congregationis* ad eas expediendas repetere.

TARENTINA DISTRIBUTIONUM, cujus tria sunt Capita. *Sess.* 21. *c.* 3. *Sess.* 24. *c.* 12. *de Ref.*

I. *An Oeconomus Archiepiscopi, quatenus sit Canonicus, in absentia a Choro, vel Civitate lucretur distributiones, & Massam grossam?*

II. *An eadem Massa grossa sit recensenda inter fructus Præbendæ vel inter distributiones.*

III. *An Canonicus Franciscus Ciura pro tempore, quo degit in Civitate Neapolis, lucratus fuerit distributiones, & Massam grossam in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem: affirmative ad secundam. Ad II. Provisum in primo. Ad III. Affirmative ad formam indulti, & ad mentem.

MONTIS ALTI, in qua IX. Dubia disputantur. *Sess.* 7. *c.* 15. *Sess.* 22. *c.* 8. & 9. *sess.* 25. *c.* 8. *de Ref.*

I. *An Loca Pia Montis Elpari, Hospitale scilicet, Mons Pietatis, & Mons Frumentarius subsint jurisdictioni, visitationi, correctioni, & reformationi Episcopi Montis Alti?*

II. *An administratio Oeconomica eorumdem Locorum Piorum exercenda sit libere a* Communitate *laicali, vel potius dependenter a directione, & auctoritate Episcopi?*

III. *An eidem Episcopo jus competat tam faciendi ordinationes pro recta prædictorum locorum administratione, quam approbandi Officiales, Administratores, & Revisores computorum a* Communitate *electos?*

IV. *An ad præfatum Episcopum pertineat approbare resolutiones, vel ab eadem Communitate, vel a suis Officialibus captas, tam circa contractus nomine Locorum Piorum ineundos, quam circa erogationem proventuum in eleemosynas, & usus pios, ac tandem*

quoad distributionem frumenti personis indigentibus?

V. *An Episcopus possit removere Administratores dictorum Locorum Piorum electos a Communitate non idoneos, vel male gerentes administrationem, atque alios per ipsum eligendos eorum loco substituere?*

VI. *An Episcopus possit exigere redditionem rationis a dictis Administratoribus independenter a Syndicatoribus a Communitate electis?*

VII. *An Episcopo privativa competat executio sententiæ Syndicatoriæ adversus Administratores, & inquisitio contra Debitores dictorum* Locorum *Piorum?*

VIII. *An substineantur electiones Officialium factæ à Communitate ab anno* 1751.

X. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad III. Affirmative. Ad IV. Affirmative ad primam partem, in reliquis negative. Ad V. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad VI. Affirmative unacum Sindicatoribus. Ad VII. Affirmative. Ad VIII. Affirmative accedente approbatione Episcopi. Ad IX. Negative.

Sess. 22. c. 8. & 9. sess. 25. c. 8. de Ref.

VITERBIEN., SEU MONTIS FALISCI HOSPITALIUM, cujus duo sunt Dubia.

I. *An sit prohibenda transmissio infirmorum exterorum ab Hospitali Montis Falisci ad Hospitale Viterbii in casu &c.* & quatenus affirmative.

II. *An sit prohibenda transmissio infirmorum ab Hospitalibus Terræ Martæ, Bolsenæ, & Balneoregii ad Hospitale Montis Falisci in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Proponatur citatis interesse habentibus.

Sess. 21. c. 4. de Ref. & sess. 24. c. 13. de Ref.

NOLANA PAROCHIALIS: Dedimus hanc Causam, quæ agitur inter Principem Striani, & PP. Congregationis Cælestinorum *Turris Annunciatæ* de nova Parochia erigenda in Territorio *di Bosco Reale*, quod ad Principem Striani pertinet, in *foglio Congregationis* habitæ *die* 3. *Februarii anno* 1753. Definita tamen non fuit, rescribentibus EE. PP. *Dilata, & coadjuventur probationes juxta instructionem, & scribatur Episcopo juxta mentem*. Quatuor fuerunt instructionis Capita, quæ erant in epistola ad Episcopum Nolanum data „ I. Quod, citatis omnibus interesse habentibus, „ elevaretur Planta Judicialis cum descriptione confinium, ac respective „ distantiæ inter se omnium Ecclesiarum intra limites Parochiæ existentium. „ II. Quod fieret computum omnium redituum Parochiæ, demptis emolumentis stolæ, contributionis Confraternitatum, aliisque incertis, de „ quibus fieret calculus separatus per decennium. III. Quod firmaretur „ status Animarum existentium tam in Terra Sanctissimæ Annunciationis, „ quam in Territorio di Bosco Regale, & quoad Incolas hujus latifundj exquiratur, an major, & sanior pars instet pro erectione novæ Parochiæ. „ IV. Quod transmitteretur minuta concordiæ super concessione Ecclesiæ sub „ Titulo S Mariæ Montis Virginis, quæ asseritur facta favore Principis „ Striani a Patronis. *Mens autem Episcopo Nolano explicata hæc fuit*, ut „ distincte referret statum Ecclesiarum Bosco Regale existentium, ac votum „ suum aperiret super petita dismembratione, & super necessaria quantitate „ congruæ assignandæ, sive pro alio remedio temporis, & loci circumstantiis opportune adhibendo „. Impleta fuerunt Capita omnia *instructionis*. Episcopus censet necesse omnino esse ob Locorum distantiam, & numerum habi-

habitatorum, ut in eo latifundio, aut duo constituantur œconomi, aut erigatur nova Parochia, & Parocho adjungatur œconomus; ex hac necessitate arguit male Patres Congregationis Cælestinorum sese opponere erectioni novæ Parochiæ, quia, si duo constituantur œconomi, stipendium, quod illis præstandum est, absumat omnes redditus, quos Patres percipiunt ex latifundio: Et ex diverso longe major sit fructus Animarum, qui colligi potest erectione novæ Parochiæ: Principem Striani auxisse annuam præstationem, sive congruam, ut novus Parochus œconomum retinere possit: redditum itaque annuum esse ducatorum 120., quæ quantitas satis est pro novo Parocho, & œconomo. Causa nunc proponitur, & idem Dubium disputatur. A Patribus Congregationis Cælestinorum nihil habuimus. Dubium est.

An sit locus dismembrationi, seu erectioni novæ Parochiæ in casu &c.

Dilata ad primam post Cineres.

GUARDIEN. CAPPELLANORUM. Imperio EE. PP. hæc Causa proponitur, quæ data fuit in *Folio Congregationis* habitæ *die* 23. transacti *mensis Novembris*, & Commendatario *dilatione* postulante, responsum accepit: *Dilata ad primam post Reges*. Nunc igitur duo ejus Capita expedienda sunt. *Sess. 21. c. 8. de Ref.*

I. *An Commendator pro tempore Commendæ, seu Granciæ S. Angeli in Palatio Terræ Aquævivæ Guardien. Diœcesis teneatur ex redditibus Commendæ manutenere sex Cappellanos, qui inserviant Choro, Divinis Officiis, & Parocho Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ Ester Terræ Aquævivæ in casu &c.* & quatenus affirmative.

II. *An, & pro qua summa teneatur respondere eisdem Cappellanis in casu &c.*

Ad I. Servetur conventio anni 1752. in omnibus. Ad II. Provisum in primo.

CIVITATIS CASTELLI PAROCHIALIS. Vacata in Mense Apostolicæ Sedi reservato Parochiali Ecclesia S. Mariæ *del Vingone*, quæ Abbatiæ titulo decoratur, Episcopus concursum indixit pro die 9. Aprilis transacti anni 1754. Ubi dies venit, novem affuerunt concurrentes, quos inter Octavius Gianninius Parochus Villæ S. Ansani de Plosina, & Andreas Rampaccius. Conclusi omnes in uno conclavi, nullo iis præfinito tempore, operam dederunt propositis quæstionibus enodandis: At Cancellarius, fame urgente, moræ omnis impatiens egressus est, ut cibum caperet, paulo postea reversus. Decem jam transactis horis, ingressus est Vicarius Generalis, ut interpellaret concurrentes, tempus jam esse, ut sese expedirent: etiam famulus quidam Episcopi transiit per conclave, ut curaret aliquid in interiori cubiculo. Re tandem a concurrentibus expleta, Examinatores nullum plene approbarunt: Gianninius dumtaxat, & Rampaccius approbati fuerunt in scientia a duobus Examinatoribus, & a tertio reprobati: uterque optime Concilii Caput vertit, uterque approbatus fuit in moribus ab Examinatoribus, sed in Evangelio explicando, & in prudentia vicit apud Examinatores Rampaccius, victus fuit Gianninius. Episcopus igitur, datis literis testimonialibus, magis dignum judicavit Rampaccium, qui a S. Sede Parochialem Ecclesiam obtinuit, quam nunc detinet. Appellavit Gianninius, & oblatis precibus Sacro huic Tribunali, Actisque translatis, auditus fuit Episcopus, qui causam relationis Examinatorum, & judicii sui defendit. Tria nunc Dubia proponuntur, urgente Gianninio nullitatem Concursus, quia contra formam ab hoc Sacro Tribunali præscriptam, & confirmatam in Epistola Enciclyca Sanctissimi Domini Nostri Cancellarius cubiculo egressus fuerit, contra vero Episcopus, Vicarius Generalis, & famulus Episcopi ingressi *Sess. 24. c. 18. de Ref.*

 fuerint

fuerint, itaut nimis probabile fiat Rampaccium instructum fuisse: male quoque retulisse Examinatores disputat, quod ipse enodaverit propositas quæstiones, non bene Rampaccius, ut probat luculenta, quam, dat apologia, & animadversionibus in responsa Rampaccii: Judicium Episcopi irrationabile fuisse, quia, spreto digniori, qualis erat Gianninius, minus dignum prætulerit.

Contra Rampaccius non fuisse *de forma* præscriptum, ne alii a concurrentibus egrederentur, aut ingrederentur conclave, & si *de forma* id esset, non eam fuisse Sacri hujus Tribunalis, & Summi Pontificis mentem, cum jusserunt, ut nullus conclave ingrederetur, aut egrederetur, ut vetare vellent, quæ necessaria sint, sed ut prohiberent, ne fraus aliqua fieret, & instrueretur aliquis ex concurrentibus: Cancellarium fame coactum, falsum esse, quod ait Gianninius de Episcopo, qui ad conclave numquam accessit: Ingressum fuisse Vicarium Generale, ut post decem horas finem indiceret, famulum, ut pararet necessaria humanæ vitæ: Testes, quibus Gianninius utitur, ut suspicionem injiciat de instructione data Rampaccio spectandos non esse, cum reprobati fuerint in concursu, singulares sint, & læsæ existimationis; frustra a Gianninio querelas proponi contra Examinatores, cum reprobatus non fuerit, sed approbatus, frustra apologiam, & animadversiones scripsisse, cum non desint errores in suis responsis: potuisse Episcopum præferre Rampaccium satis dignum in concursu Gianninii, quem, justis sibique notis causis, postponendum censuit. Hæc summa est libellorum, qui hinc inde dati sunt. Dubia vero hæc sunt.

I. *An constet de nullitate concursus Ecclesiæ Parochialis Abbatiæ S. Mariæ del Vingone in casu &c.* Et quatenus negative.

II. *An constet de mala relatione Examinatorum, itaut sit deveniendum ad novum examen in casu &c.* & quatenus negative.

III. *An constet de irrationabili Judicio Episcopi, itaut dicta Ecclesia Parochialis sit adjudicanda Sacerdoti Octavio Gannini in casu &c.*

Ad I. II. & III. Negative, & amplius.

Sess. 24. c. 8. de Ref.

ASCULANA FUNCTIONUM, & JURIUM PAROCHIALIUM: Sedet in Districtu Terræ *Arquatæ* Asculanæ Dioecesеos Villa *Trisunci*, cujus Populus partim Ecclesiæ Parochiali Sanctissimi Salvatoris, partim Ecclesiæ Parochiali S. Petri subiicitur. Utraque Parochialis Ecclesia distat a Villa quarta parte milliarii, difficili tamen accessu, hiberno præsertim tempore, vias traiicientibus Rivo quodam, & Torrente, qui nivibus, aut pluviis exundant. Hinc anno 1586. Familia *Angelucci*, quæ Parochiali Ecclesiæ Sanctissimi Salvatoris subiiciebatur, & Familia *Petrucci*, quæ ad aliam Parochiam S. Petri spectabat, tam proprio, quam universi Populi commodo consulentes duas in ipsa Villa Ecclesias a solo ædificare curarunt. Donatis igitur certis Fundis Basilicæ Lateranensi, & impetrata ab ejusdem Basilicæ Capitulo facultate erigendi has Ecclesias in solo Lateranensi cum Turri campanaria, & jure nominandi Rectores, qui *Missas etiam solemnes, aliaque Divina Officia celebrare, Confessiones audire, & Sacramenta ministrare possent*, Gens Angeluccia Ecclesiam *S. Jacobi*, Gens vero Petruccia Ecclesiam *S. Mariæ Gratiarum* extruxerunt, proposito singulis earum Rectore, tanto Vicanorum plausu, ut propria pecunia alium constituerint Sacerdotem, qui *Cappellanus Populi* nuncuparetur, quique singulis diebus Festis in utraque Ecclesia alternatim Sacrum faceret, & Sacramentales Confessiones, prævia Episcopi approbatione, exciperet.

Functiones omnes in his Ecclesiis expletæ fuerunt ad nostra hæc tempora a Rectoribus, quos duo Parochi numquam turbarunt, & cum defunctorum corpora in his Ecclesiis condita fuerunt, Parochi acceperunt quartam funerariam. Obstiterunt quidem anno 1710. Patronis familiaria sepulcra in iisdem Ecclesiis ædifi-

ædificantibus, sed victi fuerunt sententia A. C. Nuper autem Parochus, sive Præpositus Parochialis Ecclesiæ S. Petri turbas movit contra Rectorem Ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum, jus sibi afferens in eadem Ecclesia functiones omnes sive Parochiales, sive tantum Ecclesiasticas agendi, & redditus administrandi: Emolumenta quoque omnia sibi debita credidit, eaque percepit, defunctoque Michaele Petruccio, officium, & sacrum agere voluit *super cadavere*, Rectore nec quicquam reclamante, & ad hoc Sacrum Tribunal confugiente. Hinc audito jam Episcopo, Causa proponitur VIII. Capitulis collecta, neque alia nos addere possumus, quia a Parocho, sive Præposito nihil habuimus; a Rectore vero brevissimum libellum, in quo factum, quod hactenus dedimus, narrabatur. Capita Controversiæ hæc sunt.

I. *An Rectori Ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum in Villa Trisunci fundatæ in solo* Lateranensi *liceat ibi celebrare Missam solemnem in die Festo Titulari, & aliis Festis in propria Ecclesia absque licentia, interventu, & consensu Præpositi S. Petri?*

II. *An in dicta Ecclesia S. Mariæ Gratiarum liceat Parocho, seu Præposito S. Petri Terræ Arquatæ peragere functiones etiam Parochiales d. Ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum invito illius Rectore?*

III. *An præfato Rectori liceat in dicta Ecclesia celebrare Missam ante illam Parochi, vel Cappellani Curati?*

IV. *An eidem Rectori liceat in dicta Ecclesia administrare, vel administrare facere per idoneos Sacerdotes Sacramentum Pœnitentiæ invito Parocho?*

V. *An ipsi etiam competat independenter a Parocho deputare Syndicos sive Administratores prædictæ Ecclesiæ, necnon ab illis rationes exigere?*

VI. *An eidem Rectori privative quod Parochum competat explere Officium super cadaveribus, postquam ista sunt illata in prædictam Ecclesiam S. Mariæ Gratiarum?*

VII. *An eidem Rectori competat, seu debeatur ulla portio tam ceræ, quam aliorum emolumentorum occasione funeris subditorum Parochiæ, quorum cadavera tumulari contingat in d. Ecclesia?*

VIII. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Dilata ad primam post Cineres.

CAMERINEN. CAPPELLANIÆ: Testamento, quo decessit anno 1711. Mercurius Floravantes Terræ *Belfortis*, scripta hærede in usufructu universæ hæreditatis Laudemia uxore, jussit, ut post ejus obitum erigeretur Cappellania verbis his necessario apponendis „ Ordino, che di tutti li miei „ Beni &c. se ne erigga una Cappellania perpetua con peso di Messe 225. per „ qualsivoglia anno da celebrarsi dal Cappellano pro tempore in suffragio „ dell'Anima mia, della detta Signora Laudemia mia Consorte, e de miei „ Genitori, la qual Cappellania come sopra da eriggersi istituisco mia erede „ proprietaria: Il Jus Patronato di essa, e di nominare li Cappellani „ pro tempore, semper, & in perpetuum spetti, & appartenga al Signor „ Gio: Carlo Valentini e suoi &c. con che però si debba sempre preferire „ alla nomina di detta Cappellania li miei Parenti consanguinei, cioè il „ Signor Panichelli, e Fioravanti di Belforte, se di queste ve ne sarà in „ tempo di nominare qualcun Sacerdote, e capace di Confessione, volendo che ogni Cappellano come sopra da nominarsi sia anche Confessore, & oltre il peso delle sudette Messe 225. abbia anche quello di assistere al Confessionario tutte le Feste della Beatissima Vergine „. Post obitum hæredis usufructuariæ Velentinius Patronus Cappellaniam mere Laica- *Sess.* 21. *c.* 8. *de Ref.*

lem

lem erexit, & cum nullus esset inter vocatos a Testatore aptus ad eam obtinendam, nominavit primum Cappellanum Sacerdotem Andream Valentinium. Decessit hic anno 1743. neque tamen Patronus alium nominavit Cappellanum, sed onera Cappellaniæ implevit per simplicem Sacerdotem ad annum usque 1751., quo tempore, cum Episcopus contenderet rem esse de Cappellania Ecclesiastica, Valentinius petiit, ut ab Episcopo fieret erectio, & simul ad eam præsentavit Josephum Faroni Sacerdotem, & Confessarium.

Re comperta a Philippo Panichellio, cui nominationem promiserat Valentinius, quique licet Cortonæ in Hetruria natus originem tamen suam trahit a Panichellis Terræ Belfortis, confugit ad Eminentissimos Patres. Audito jam, ut moris est, Episcopo, Causa nunc proponitur, & disputat Panichellius non esse locum erectioni Cappellaniæ in Ecclesiasticam, cum agatur de mere Laicali, nullam enim Testator designavit Ecclesiam, nullum Altare, neque Episcopi auctoritatem requisivit, ut erigeretur. Eam autem sibi adjudicandam contendit, quod sit de Genere Panichelliorum Belfortis, quibus Testator vocando Panichellios Terræ Belfortis designare quidem, & demonstrare voluerit eorumdem originem, non vero nativitatem, & domicilium. Addit reiici non potuisse a Valentino, quod neque Sacerdos sit, neque Confessarius, quia cum Testator non expresserit Cappellanos teneri *per se ipsos* onera adjecta implere, censendum sit ea verba, ex quibus Valentinius, & Episcopus contendunt Cappellaniam esse Sacerdotalem, stare dumtaxat demonstrative ad obligationes, & onera etiam per alios adimplenda: satis igitur esse, si Cappellanus sit Sacerdos habitu, & idoneus Confessionibus suo tempore excipiendis, qualis ipse est testimonio Cortonensis Episcopi: eoque amplius, quod res est de consanguineo Testatoris, qui, ut præferatur extraneo actu Sacerdoti in Beneficiis, & Cappellaniis vere Sacerdotalibus, satis est, si habitu tantum Sacerdos sit juxta constantem Doctorum sententiam. Hæc Panichellius: A Valentinio nihil habuimus. Dubium est.

An Cappellania, de qua agitur, sit erigenda in Beneficium Ecclesiasticum, & respective, an, & cui sit adjudicanda in casu &c.

Affirmative ad primam partem accedente consensu Patroni, & quoad secundam partem adjudicandam esse Josepho Farroni, & amplius.

Sess. 24. c. 1. de ref. mat.

PRIMISLIEN. MATRIMONII. Patre Volyniæ Palatino defuncto nobilis Puella Christina Potockia ex destinatione paterna a Matre, Patruoque tradita fuit, ut educaretur Catarinæ Potockiæ sorori suæ nuptæ Stanislao Rossakouskio Castellano Caminensi. Cum jam a tribus, & ultra annis in ædibus sororis esset, & plenis annis nubilis, viroque matura, & forma, ac dote excelleret, nuptias ejus optavit Thomas Konauskius Castellanus Biecensis nobilitate, & opibus Puellæ non impar. Hic primum Matris, & Patrui animum, inde sororis, ejusque viri, sub quorum cura Puella erat, exploravit. Omnibus consensum præstantibus, Puellam ipsam adiit, quæ oblatas nuptias libens accepit. Præmissis igitur publicis denunciationibus, omnibusque paratis, die tandem 29. Octobris anno 1752. coram Parocho Stojanecensi, in cujus Parochia tribus jam annis degebat Christina, matrimonium contractum fuit, in quo læta omnia fuerunt, neque ullum dissentientis, coactæ, aut contrariæ voluntatis indicium datum fuit a Puella, quæ in ædes viri traducta, & splendido convivio discubuit, & choreas læta duxit: Ingressa nuptialem thalamum utero gravis reddita fuit, & ad hanc usque diem individuam cum viro vitæ consuetudinem servat.

Poenituit Matrem paulo post Thomæ filiam nuptui dedisse; causam poenitentiæ ignoramus; consiliumque cæpit irritandi matrimonium, quod, ut facilius perficere posset, voluit Filiam a viro abducere, & in Monastrium coniicere. Specie igitur eam visendi venit ad Oppidum Bokorodezanii, ubi conjuges moram trahebant. Occurrit Filia advenienti Matri ad rhedam usque: Mater

ter Filiam manu appræhensam secum conatur abducere: restitit Filia, & clamores emisit; Vir accurrit, eamque servavit. Ira percita Mater adiit Episcopum Primisliensem, & nullitatem proposuit Matrimonii a Filia contracti, causas plures esse dixit: Filiæ impubertas, defectus liberi consensus, repugnantia Matris, & Patrui, Parochum non fuisse proprium Puellæ. His cognitis a Christina, solemnem coram pluribus religiosis viris, aliisque dignissimis testibus declarationem emisit „ sinistrè charissimæ matri suæ delatum fuisse, quasi per aliquem raptum, dolum, angarizationem, coactionem, aut aliquem timorem reverentialem ab Illustrissima Catharina de Poteki Rostakovuska Castellana Camiensi incussum vinculo matrimoniali innodata sit, quin immo deliberate, sponte, nullo incusso metu, volens libensque in præsentia Parochi Testiumque Illustrissimo Thomæ Konauski Castellanidæ Biecensi assensisse, eumdemque assensum matrimonialem ad usque intaminatè conservare conservaturamque „. Neque hac declaratione, quam in actis edidit contenta, pluribus, viro absente, mandatum dedit ad Matrimonii validitatem tuendam, eadem repetens in mandatis, quæ expresserat in declaratione. Plures quoque ad virum, qui in Curia Primisliensi erat, ut litem ageret, epistolas dedit amoris plenas, eum præcipuè rogans, ut caveret, ne in Monasterium, ut mater postulabat, conjiceretur.

Placuit Episcopo decernere, ut intra novem dies Christina ingrederetur Monasterium Primisliense Ordinis S. Benedicti: Sed conjuges confugerunt ad Tribunal Signaturæ Justitiæ. Decreto Eminentissimi Domini Pro Auditoris Sanctissimi, Causæ cognitio data fuit Eminentissimis Patribus, rejecta Matre, quæ postulabat, ut Filia in Monasterio collocaretur. Causa nunc proponitur, & Conjuges validitatem Matrimonii ex facto, quod narravimus, defendunt, refelluntque eas, quas superiori loco retulimus, nullitatis causas a Matre propositas coram Episcopo Primisliensi. A Matre nihil habuimus. Dubium est.

An constet de validitate, seu potius nullitate Matrimonii in casu &c.

Dilata ad primam post Cineres.

Die Sabbathi 1. Martii 1755.

TRes priores, quas subiicimus, Causæ in ultima Congregatione habita die 25. Januarii dilationem obtinuerunt ad hanc Congregationem. Rogamus igitur Eminentissimos Patres, ut Folium ejusdem ultimæ Congregationis, in quo earum species habentur, iterum consulant.

NOLANA PAROCHIALIS, in qua quæritur:
An sit locus dismembrationi, seu erectioni novæ Parochiæ in casu &c. *Sess. 21. cap. 4. & sess. 24. c. 13. de Ref.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta Instructionem.

ASCULANA FUNCTIONUM, ET JURIUM PAROCHIALIUM, cujus octo sunt Capita ut in pag. 5. *Sess. 24. c. 18. de Ref.*
I. An &c.

Dilata ad sequentem.

PRI-

Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.

PRIMISLIEN. MATRIMONII: Hæc Causa dilationem obtinuit, quod nondum respondisset Episcopus Primisliensis: Advenit nunc ejus epistola, ex qua in dubium revocatur Parochum Stojanecensem fuisse Parochum alterutrius ex Conjugibus, & ex probationibus, quæ proponuntur, longe aliter *factum* narratur, ut Eminentissimi Patres agnoscent. Dubium ejus est.

An *constet de validitate, seu potius nullitate matrimonii in casu &c.*

Constare de validitate Matrimonii.

Sess. 22. decret. de obs. & evit. in celebr. Miss.

FAVENTINA APPLICATIONIS MISSARUM. Data fuit hæc Causa, quæ agitur inter Sodalitium Sanctæ Ursulæ, & Conventum Sancti Augustini Civitatis Faventiæ in Folio Congregationis habitæ die 12. Maii 1753., quod publici juris factum fuit *Vol. XXII. Thes. Resol. Sac. Congreg.* Responderunt Eminentissimi Patres -- *Dilata, & firmetur status* -- ea scilicet mente, ut ex annuo Prædii redditu dignoscerent, an Testator Bartolus Fornarius solam celebrationem voluerit Sacrorum, vel etiam applicationem. Mandata igitur Jurisdictione Episcopo Faventino, electi fuerunt hinc inde Periti, sed nihil actum est: nam Periti Conventus retulerunt impossibile esse in tanta temporis vetustate, & mutationibus culturæ ejusdem Prædii, sive ejus antiquum pretium, sive ejus antiquum redditum annuum rescire: id colligi tantum posse ex veteribus monimentis. Contra Peritus Sodalitii retulit probabile esse, ut Prædium reddiderit singulis annis scut.23. 80., & idem habent alii Periti extrajudiciales. Redit nunc his aliisque probationibus instructum Sodalitium Sanctæ Ursulæ ad Eminentissimos Patres, ut duo hujus Causæ Dubia definiant.

I. An *Patres Conventus Sancti Augustini teneantur ad applicationem Missæ celebrandæ singulis diebus Dominicis, & Festis in Ecclesia, seu Oratorio Confraternitatis Sanctæ Ursulæ Civitatis Faventiæ?* & quatenus negative.

II. *An, & a quo tempore iidem Patres cogendi sint ad satisfactionem Missarum in præteritum, ut ipsi asserunt, non applicatarum in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Provisum in primo.

Sess. 25. cap. 1. de Ref.

HIERACEN. SPOLII: *Species hujus Causæ repetenda est ex Folio Congregationis habitæ die 18. Decembris anni 1751. quod in lucem hominum editum fuit *Vol. XX. Thes. Resol. Sac. Congreg.* Respondit ea die Sacrum Tribunal -- *Dilata ad primam post Cineres*: Data igitur fuit Causa in Folio Congregationis habitæ die 26. Februarii sequentis anni 1752. Duo erant illius Capita „ I. An Reverendissimus Idelphonsus del Tufo olim Episcopus Hieracen. pro nunc condemnandus sit favore Capituli ad solutionem ducatorum 3461. ab ea debitorum ex causa reliquatus Assis spolii bon. mem. Episcopi Diez Antecessoris juxta relationem Episcopi Oppiden. Delegati Apostolici sine tamen præjudicio aliorum jurium dicti Capituli pro ulteriori redditione rationis Assis *spolii* prædicti in casu &c. II. An præter summam ducatorum 3461. debitorum ex causa reliquatus spolii bon. mem. Episcopi Diez juxta relationem Episcopi Oppiden. condemnandus quoque sit Reverendissimus Idelphonsus del Tufo olim Episcopus Hieracen. ad solutionem aliorum ducatorum 1536. ab eo debitorum vigore schedulæ exaratæ die 15. Aprilis 1730. in casu &c., *Respondit his Sacrum Tribunal*. „ Ad I. quod pecunias depositas in Monasterio negative, & amplius: In reliquis dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem. Ad II. Negative, ut in *Thes. Resolut. Sac. Congreg. Vol. XXI.*

Data fuit epistola ad Episcopum Hieracensem juxta mentem, quæ fuit „ ut „ Sacram Congregationem denuo redderet instructam circa argenta spectantia ad hæreditatem bon. mem. Episcopi Diez, num scilicet Reverendissimus

,, mus del Tufo restituerit Capitulo ipsamet argenta in hæreditate reperta, ,, seu potius alia æquivalentia ,, His literis numquam respondit Episcopus, licet rescripserit se responsurum, ubi in Civitatem reddiissent Dignitates, & Seniores, qui hac de re erant instructi. Moræ igitur tam longæ pertæsus Reverendissimus del Tufo causam iterum proponi postulavit, monstratque mandacium Capituli negantis recepisse ab eo argenta alia in locum eorum, quæ erant in hæreditate Episcopi Diez; Constat enim de hac traditione argentorum ex apocha subscripta a tribus Deputatis Capituli; constat etiam argenta hæc vendita fuisse a Capitulo pretio ducatorum mille, quibus Capitulum sua debita expunxit, & reliquum traditum fuit præsenti Episcopo. Hinc Reverendissimus del Tufo postulat ab Eminentissimis Patribus, ut non solum absolvatur in omnibus a longa Capituli vexatione, sed etiam, ut Capitulum condemnetur ad restitutionem ducatorum 158. ultra creditum exactorum, ut ducto calculo ostendit. A Capitulo nihil habuimus. Reproponitur itaque idem Dubium I., ut in omnibus expediatur.

An Reverendissimus Idelphonsus del Tufo olim Episcopus Hieracen. pro nunc condemnandus sit favore Capituli ad solutionem ducatorum 3461., ab eo debitorum ex causa reliquatus Assis spolii bonæ mem. Episcopi Diez Antecessoris juxta relationem Episcopi Oppiden. Delegati Apostolici sine tamen præjudicio aliorum jurium dicti Capituli pro ulteriori redditione rationis Assis spolii prædicti in casu &c.

Negative.

ROMANA, SEU ANAGNINA: Testamento, quo decessit anno 1681. Olimpia Aldobrandina Pamphilia quasdam Cappellanias certis in locis erigi jussit his verbis ,, A commodità de' miei Sudditi di Carpineto, Gavi- ,, gnano, e Maensa, e per suffragio dell'Anima mia, voglio che nella ,, Chiesa Parochiale di ciascheduno di detti Luoghi sia eretta avanti il Ve- ,, scovo una Cappellania amovibile ad arbitrio, e nominazione del Principe ,, D Gio: Battista mio Figlio, ed altri suoi descendenti, che sarà padrone di ,, detti Luogi, li quali Cappellani dovranno ciascheduno in ciascheduna di ,, dette Chiese celebrare per se stessi, ed applicare i Sagrificj per l'Anima ,, mia, e de' miei Congionti tutte le feste &c., e per Dote delle Cappella- ,, nie sopradette lascio scudi mille per ciascheduna da investirsi in tanti ,, Luoghi di Monti non Vacabili a credito di dette Cappellanie, acciocchè ,, il Cappellano possa far riscuotere li frutti da per se: Ed in caso di estraz- ,, zione col prezzo di essi si dovrà far nuovo investimento con ordine di ,, detto Principe Panfilj, e suoi Descendenti, e Successori come sopra, alli ,, quali lascio il Juspatronato di dette Cappellanie, volendo che ad ogni ,, mero, ed assoluto arbitrio del Padrone si possino rimuovere, e mutare ,, li Cappellani, e voglio che quelli, che hanno la facoltà di confessare ,, siano preferiti a quelli, che non l'hanno ,, Longo septuaginta, & ultra annorum spatio neglecta fuit harum Cappellaniarum erectio, licet Sacra a Testatrice præscripta neglecta non fuerint: sed, urgente demum Reverenda Fabrica Sancti Petri, coacti fuerunt tam Princeps Burghesius, quam Princeps Pamphilius, hic in Terra Carpineti Diœceseos Anagninæ, ille in Terra Gabiniani Diœceseos Signinæ Cappellanias auctoritate Episcoporum erigere. *Sess. 21. c. 4. de Ref.*

Cum tamen Episcopus Anagninus in literis erectionis sibi, suisque in Episcopatu Successoribus reservasset jus instituendi Cappellanos a Patronis nominatos, licet eorum nutu arbitrioque amovibiles, hinc Princeps Pamphilius postquam urbane, sed frustra postulavit ab Episcopo, ut eamdem reservationem literis erectionis expungeret, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus postulabat eam auctoritate Eminentissimorum Patrum deleri. Auditus Episcopus respondit, rem esse de Cappeallania Ecclesiastica, ut demonstrant Loci sacri designatio, dos non Cappellanis, aut hæredibus, sed ipsi Cappel-

 laniæ

laniæ relicta, onus Sacrorum, Sacerdotium, quo actu, habituque honestatos voluit Cappellanos, prælatio iis data, qui facultatem haberent Sacramentales Confessiones excipiendi, commoditas Populi, cui Testatrix prospicere voluit, auctoritas denique Episcopi, quam in erectione Cappellaniarum expresse adhibendam jussit ipsa Testatrix, unde arguit necessariam fuisse reservationem juris instituendi Cappellanos, cum Cappellania Ecclesiastica sit juxta Textus in *cap. consuluit* 15. *cap. relatum* 21. *de jurepatron. & cap. Beneficium de regul. jur. in 6.*, neque qualitati Ecclesiasticæ hujus Cappellaniæ officere, Testatricem voluisse Cappellanos amoveri posse arbitrio Patronorum, quia id non repugnet naturæ Cappellaniæ Ecclesiasticæ, cum necesse non sit, ut Beneficium sit perpetuum actu, sed satis sit habitu, & potentia, ut est in Beneficiis Regularibus Curatis, quæ & Ecclesiastica sunt, & institutione Episcopi conferuntur, licet Curati ad nutum Superiorum Regularium amoveri possint: Addit denique „ quod si Testatrix Cappellanum „ desideravit amovibilem, eademmet Cappellaniam quoque Ecclesiasticam „ esse voluit statim, ac illius erectionem coram Episcopo faciendam suis hæ„ redibus demandavit, & consequenter necessario quoque voluisse videtur „ Cappellanos fore ab Episcopo instituendos, ut ipsi occasione institutionis „ ordinario noti fiant, ut Episcopus scrutari queat, an a Patronis eligatur „ Sacerdos, an præferatur Confessarius, an Cappellani celebrent per se „ ipsos statutis diebus, ac in Loco præscripto, utrum Populus Carpineti „ ope hujus Cappellani illam sentiat commoditatem, quam Pia Testatrix „ præ oculis habuit, utque demum Episcopus in Loco suæ Dioecesis Sacer„ dotem agnoscat, a quo voluntas Testatricis implenda sit, & ab eo im„ plementi rationem exquirere valeat, eumque negligentem ad satisfacien„ dum adigere, quod profecto fieri non posset, si in libertate Patrono„ rum sisteret modo hunc, modo illum, Episcopo penitus inscio deputare.

Hæc Episcopus, cujus rationes latius ab ejusdem epistola accepimus, quia ignoramus, an ipse libellum jurium suorum sit oblaturus: Contra vero Princeps Pamphilius delenda omnino esse contendit reservationem institutionis, quia ea contraria sit, & directo pugnet cum natura Cappellaniæ, quam Testatrix voluit amovibilem ad nutum arbitriumque Patronorum: si enim Cappellanus instituendus esset ab Episcopo, qui posset nominatum non instituere, vel reiicere mutationem Cappellani, electio, nominatio, & mutatio non penderet a libero, & mero arbitrio Patronorum: Rem dudum definitam fuisse ab hoc Sacro Tribunali in *Pennen. Cappellæ* 26. *Novembris* 1672., *in Aprutina* 25. *Maii* 1675. relata a *Constantin. Vot. decis.* 421. *n.* 55. *& in Indiarum Cappellæ* 11. *Decembris* 1677. Neque rem esse de Cappellania Ecclesiastica, sed de Legato Pio cum onere Sacrorum, neque si res esset de Cappellania Ecclesiastica, requiri necessario institutionem Episcopi: non agi de Cappellania Ecclesiastica, sed de Legato pio Sacrorum, ut monstrant arbitrium Patronis datum Cappellanos amovendi, Cappellaniam non fuisse adscriptam alicui Altari, aut sub invocatione alicujus Sancti, verbum Cappellaniæ, non Beneficii, quo Testatrix semper usa est, fundatio facta a persona laica, & de bonis laicis, verbum denique nominationis, non præsentationis, quo eadem Testatrix utitur; nec mutare, quæ ad arguendam Cappellaniam Ecclesiasticam Episcopus congregavit, quia omnia conveniant Legato pio cum onere Sacrorum, & communia sint tam Legato pio, quam Ecclesiasticæ Cappellaniæ: Auctoritatem Episcopi, quam voluit Testatrix non facere, ut Cappellania dicenda sit Beneficium Ecclesiasticum, ut probat *Villan. in Vot. decis. impresso post Scarfanton. vol.* 1. *vot.* 62. *num. ultimo, & ipse Scarfanton. in addit.* 14. *vol.* 3., quod si etiam dici posset Cappellaniam hanc esse Ecclesiasticam, non ideo necessariam esse institutionem Episcopi, quia cum non desinat esse amovibilis, non requirit institutionem juxta communem sententiam *Navarr. cons.* 9. *de offic. ordin. Corrad. in prax. benef. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 277. Licet enim Beneficium Ecclesiasticum possideri

nequeat

nequeat sine Canonica Institutione, id tamen locum habet in Beneficiis Ecclesiasticis perpetuis, & collativis, non in iis, quæ licet sint Ecclesiastica, non sunt tamen perpetua, & collativa juxta distinctionem *Glos. in cap. 1. verb. pro expeditione de Regul. jur. in VI. & Piton. de controvers. patron. alleg. 31. num. 18.* Hæc, atque alia Princeps Pamphilius. Dubium est.

An in Cappellania, de qua agitur, Ordinarius reservare sibi potuerit jus instituendi in casu &c.

Negative.

Die Sabbathi 22. Martii 1755.

ASCULANA FUNCTIONUM, ET JURIUM PAROCHIALIUM: Duas jam hæc Causa dilationes obtinuit: Alteram in Congregatione habita die 25. Januarii, alteram in ultima Congregatione habita die 1. hujus mensis. Damus nunc eam, ut Eminentissimi Patres, repetita lectione Folii Congregationis habitæ die 25. superioris mensis Januarii, octo illius Capita expediant. *Sess. 24. c. 18. de Ref.*

I. *An &c. ut in p. 5. videre est.*

Iterum proponatur citato Capitulo Lateranensi.

HIERACEN. SPOLII: Hæc quoque Causa data fuit in Folio ejusdem ultimæ Congregationis, & frustra dilationem petente Capitulo Hieracensi, Dubio, quod erat „ An Reverendissimus Idelphonsus del Tufo olim Episcopus Hieracen. pro nunc condemnandus sit favore Capituli ad solutionem „ ducatorum 3461. ab eo debitorum ex causa reliquatus Actis spolii bon. me. „ Episcopi Diez antecessoris juxta relationem Episcopi Oppiden. Delegati „ Apostolici sine tamen præjudicio aliorum jurium dicti Capituli pro ulteriori redditione rationis Actis spolii prædicti in casu &c. „ responderunt Eminentissimi Patres - *Negative* - Cum vero Capitulum contra hanc definitionem *audiri* postulaverit, decernendum nunc est. *Sess. 25. c. 1. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

MONTIS ALTI EXPENSARUM: Data fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 23. Novembris transacto anno 1754., quod nuper Juris publici factum fuit *Vol. XXIII. Thes. Resolut. Sac. Congreg* Dubium erat „ An sit locus restitutioni summæ scut. 235. una cum fructibus, seu potius competat retentio pro prætensis expensis in casu &c. Respondit Sacrum „ Tribunal Affirmative ad primam partem quoad Capitale, & negative ad „ secundam: quo vero ad fructus placere de concordia ad mentem „ Non placuit Pascuccio hoc responsum, & postulavit iterum audiri, ideoque nunc respondendum erit. *Sess. 24. c. 12. de Regul.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

AUXIMANA ÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ: Causam hanc, quæ est de ædificanda nova Ecclesia in latifundio, quod possidet Pius Puccettus in Territorio Castri Apignani Diœcesеos Auximanæ, dedimus in Folio Congregationis habitæ die 6. Maii anno 1747., quod publici juris factum fuit *Vol. XVI. Thesaur. Resol. Sac. Congreg.* Proponi equidem non potuit ea *Sess. 12. c. 4. de Ref.*

die, sed proposita fuit *in sequenti Congregatione* habita die 20. ejusdem mensie, definita tamen non fuit, rescribentibus Eminentissimis Patribus „ *Episcopo pro meliori informatione audito Parocho*. Impleto hoc rescripto, Causa proposita fuit in Congregatione habita die 2. Septembris eodem anno 1747., Dubioque, quod erat: *An sit permittenda ædificatio novæ Ecclesiæ in casu &c.*, respondit Sacrum Tribunal „ *Negative*, *& amplius*, ut in eodem *Volum. XVI. Thesaur. Resol.* Cum autem post hoc responsum pluries idem Puccettus preces obtulerit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, & iterum iterumque auditi fuerint, & Episcopus, & Præsides Provinciæ, & ipsa Communitas, tandem obtinuit ab eodem Sacratissimo Principe, ut Causa ad novum Sacri hujus Tribunalis Judicium rediret. Disputat itaque nunc Parochus non esse mutandam sententiam ex rationibus, quas Eminentissimi Patres legent in suo libello. A Puccetto nihil adhuc nabuimus. Dubium est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 25. c. 5. de Ref.

CALARITANA SUPPRESSIONIS BENEFICIORUM, ET ATTENTATORUM: Speciem omnem hujus Causæ repetere poterunt Eminentissimi Patres ex Folio, quod scripsimus pro Congregatione habita die 31. Julii anno 1751., quodque in lucem homnium datum fuit *Vol. XX. Thesaur. Resol. Sac. Congreg.* Visum est ea die Sacro huic Tribunali rescribendum esse -- *Dilata*, *& scribatur moderno Archiepiscopo pro informatione*, *& voto auditis Partibus*. Advenit tandem epistola Archiepiscopi, in qua agit de natura bonorum, quæ pro Beneficiis assignata fuerunt a Syndicis, ut & de quantitate eorumdem. Nunc igitur Causa proponitur, & Communitas Beneficiariorum Ecclesiæ Sanctæ Eulaliæ Suburbii Leapolis vulgo *della Marina* Civitatis Calaris, a qua dumtaxat libellum habuimus, postulat, ut IV. Dubia, quæ in Congregatione diei 31. Julii anno 1751. definita non fuerunt, nunc secundum eam ab Eminentissimis Patribus definiantur. Dubia sunt.

I. *An constet de attentatis, itaut acta, & possessio capta per Sacerdotem Augustinum Sanna de Beneficio in Ecclesia Parochiali Sanctæ Eulaliæ per eum apud Sanctam Sedem impetrato, nec non præsentatio R. D. Francisci Mariæ Calvi, & aliorum per Syndicos expleta sint circumscribenda, & revocanda tamquam attentata in casu &c.*

II. *An quinque ex septem Beneficiis fundatis per Syndicos Suburbii* Leapolis *anno* 1620. *in dicta Ecclesia Parochiali Sanctæ Eulaliæ, & ad præsens vacantia sint supprimenda in casu &c.* & quatenus negative.

III. *An* Syndici *prædicti cogi debeant ad supplendam dotem eisdem Beneficiis insufficienter assignatam?* & quatenus negative.

IV. *An Beneficiatis possidentibus Beneficia erecta anno* 1620. *injungendum sit, quod habeant Massam separatam, & particularem, eisque prohibendum, ne quidquam accipiant ex redditibus Beneficiorum in eadem Ecclesia tam prius, quam posterius fundatorum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam nempe quoad Franciscum Mariam Calvi, & alios. Ad II. Pro facultate supprimendi arbitrio Archiepiscopi, prout de jure. Ad III. Negative. Ad IV. Ad eumdem Archiepiscopum prout de jure, prout in secundo.

MEDIO-

MEDIOLANEN. NULLITATIS PROFESSIONIS: Nondum elapso biennio a die professionis, quam emisit in Monasterio Patrum Minorum Conventualium Mediolani die 4. Septembris anno 1748. P. Ludovicus Gaddius, querelam nullitatis ejusdem professionis proposuit; duo erant nullitatis Capita, defectus interni consensus, vis & metus illatus a Fratre majori Josepho Antonio Gaddio, qui defuncto anno 1745. Innocentio Patre, quinque relictis filiis, Divino jam servitio tribus adscriptis, curam, & administrationem rei familiaris suscepit, utque ampliores opes, & pinguiorem ex matrimonio, ad quod animum appulerat, dotem sibi compararet, omnem operam collocavit, ut Ludovicus decimumsextum ætatis annum agens Monasterio nomen daret: id obtinuisse dicebat P. Ludovicus minis, & verberibus, quibus coactus fuerit Regularium Conventualium vestes suscipere. Dum probationis annum ageret, animum suum regulari disciplinæ contrarium aperuisse Patribus, & Josepho Antonio fratri, a quo minas, & verbera accepit: professionem itaque emisisse sed ficte, & simulate, eaque emissa, neque Clericalem Tonsuram, neque Minores Ordines suscepisse, neque regulas Religionis observasse, monitus licet, & objurgatus fuisset, quia nullam diceret professionem suam: morte obita a Josepho fratre, illico querelam proposuisse nullitatis professionis. Eminentissimus Archiepiscopus, & Præfectus Monasterio nullam pronunciarunt eamdem professionem. Appellavit *Defensor*, & re ad hoc Sacrum Tribunal delata, & eadem habet P. Ludovicus. Respondit *Defensor professionis* dissensum internum non satis a P. Ludovico panditum fuisse; Vim metumque gravem a fratre illatum non probari: si quam ipse initio habuit voluntatem contrariam vitæ Regulari, mutatam fuisse. Decernent Eminentissimi Patres, perpensis rationibus, quæ hinc inde proponuntur. *Sess. 25. c. 19. de Ref.*

An constet de nullitate Professionis in casu &c.

Iterum proponatur.

AUXIMANA CAPPELLANIÆ: Testamento, quo decessit anno 1738. Sacerdos Paulus Sebastiani, instituta hærede usufructuaria Angela Matre, jussit, ut, ea defuncta, erigeretur ex universa sua hæreditate Cappellania Laicalis perpetua in Ecclesia Parochiali S. Thomæ Apostoli Terræ Offaneæ, dato Cappellanis onere quatuor sacrorum singulis hebdomadis, & anniversarii singulis annis die suo emortuali, cui omnes ejusdem Terræ Sacerdotes interessent. Primum inde Cappellanum nominavit Joachim Sebastiani consobrinum suum hac lege, ut si tempore erectionis Cappellaniæ, neque Sacerdos esset, neque in Sacris Ordinibus constitutus Cappellaniæ redditus perciperet Plebanus Offaneæ, quos erogaret pro Joachim studiis operam navante, si quid vero superesset, in eleemosynam tot Sacrorum agendorum erogaretur: Ubi vero Sacris Ordinibus honestatus esset, Joachim ipse redditus omnes perciperet, impletis *per alium* Cappellaniæ oneribus. Addidit inde „ Morto „ poi, che sia detto Signor Gioacchino Sebastiani primo Cappellano nomi- „ nato, o pure non volendosi far Prete, o entrato in Sacris, non volendo „ ritenere, & esercitare detta Cappellania, vuole, che si nomini il Cap- „ pellano successore, e che la nomina per Juspatronato perpetuo, e Laicale „ del nuovo Cappellano spetti, e spettar debba perpetuamente alla linea „ mascolina del Signor Girolamo Sebastiani di questa terra d'Offagna Zio „ carnale dal lato paterno di detto Testatore, & in deficienza di mascolina „ spetti alla linea feminina. *Hanc denique adjecit declarationem, e qua* „ *mens ejus deprehendi melius posset* - dichiarando espressamente volere, ed „ intendere, che questa sua disposizione circa l'erezione di Cappellania non „ sia formale erezione di veruna Prebenda, o Beneficio, ma pura elemosi- „ na, che intende lasciare per l'anima sua, de suoi Genitori, & altri con- *Sess. 25. c. 5. de Ref.*

„ giun-

„ giunti &c., siccome vuole, che il medesimo Signor Gioacchino, entrato „ che sarà al possesso di detta Cappellania perpetua, e laicale, conviva col „ Signor Girolamo suo Genitore, e di lui Sorelle, se queste saranno nello „ stato di zitelle, come sono presentemente, affinchè esso Genitore, e So- „ relle partecipino del commodo di detta eredità, perchè così il dover vuole, „ e la convenienza.

Defuncta Angela hærede usufructuaria, cum mens pii testatoris exequi deberet, Joachim preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, quibus postulavit, ut ei liceret Cappellaniam retinere in statu laicali. Data postulationis hujus cognitione Sacro huic Tribunali, auditus fuit Episcopus, qui cum testamentaria dispositione, quam retulimus, literas misit Vicarii Foranei dictæ Terræ Offaneæ, quibus ipse audivisse dicebat ab eodem testatore ejus mentem esse, ut sua hæreditas in consanguineorum commodum cederet, ut coniici quoque poterat ex testamento: Joachim vero Sacris Ordinibus non insigniri, non quia nollet, sed quia non posset defectu literarum, quas in ætate majori discere difficile fuisset, cum puer eas neglixisset. Ex his Eminentissimi Patres die 15. Aprilis anno 1752. responderunt, ut Joachim Cappellaniam in statu laicali retinere posset, impletis per alium Sacerdotem ejusdem oneribus. Novas nunc idem Joachim preces obtulit: Cum enim unicus ipse sit masculus relictus a Hieronymo, cujus lineæ masculinæ primum, inde fœmininæ datum fuit a testatore Juspatronatus Cappellaniæ, uxorem liberorum quærendorum causa ducere cuperet, & ideo postulat, ut ei liceat eamdem Cappellaniam retinere etiam in statu conjugali, & ut declaretur Juspatronatus tam activum, quam passivum ejusdem Cappellaniæ ad descendentes suos pertinere. Duo itaque nunc Dubia proponuntur, quorum primo agitur de retentione, quam postulat, in statu conjugali: altero de Jurepatronatus tam activo, quam passivo. Urget ipse naturam Cappellaniæ, quæ tamquam laicalis possideri potest etiam a pueris, & fœminis, ideoque nihil proponi, cur possideri quoque ab eo non possit in statu conjugali: Rursus cum ipse sit filius masculus Hieronymi, & lineam ejus masculinam incipiat, quæ in filios suos masculos progredi debet, spectare ad eum, ejusque lineam contendit non solum Patronatum activum Cappellaniæ, de quo ob apertam testamentariæ dispositionis legem nulla esse potest controversia, sed etiam passivum, quia, cum a Testatore nulli datum sit locum habere, debeat juris dispositio, quæ vult, ut passivus Patronatus activum sequatur, & ab eo regulam, & normam accipiat. Hæc Joachim. Dubia sunt.

I. *An Joachim Sebastiani, cui per decretum factum die 15. Aprilis 1752. a Sacra Congregatione fuit concessa retentio Cappellaniæ laicalis, de qua agitur, in statu laicali, possit illam retinere etiam in statu conjugali in casu &c.*

II. *An durante linea dicti Sebastiani nominatio tam activa, quam passiva spectet ad eamdem lineam in casu &c.*

Dilata, & ad mentem.

Sess. 25. c. 11. de Ref.

CÆSENATEN BENEPLACITI; prope Flumen, quod *Rubiconem* jactant Cæsenates, Prædia possidet Vicaria Curata perpetua Cathedralis Ecclesiæ. Ea dividit a Flumine Via, quæ in ipsis Prædiis strata est. Viam corrodere cœpit Flumen negligentia Matthæi Lucchinii Vicarii Ripam non munientis. Canonicatum obtinuit Lucchinius, & Vicariam dimisit, quæ data fuit Angelo Felici Bono: Curavit hic Ripam celerrime munire, ne mora deterior fieret Viæ, & Prædiorum conditio, emissaque protestatione contra Lucchinium de damno sarciendo, postulavit ab Episcopo veniam incidendi arbores quasdam cæduas, & alias infructiferas, quæ in ipsis Prædiis sunt, quibus, vel earum pretio muniri posset Ripa: tenuissimi siquidem redditus im-

impares sunt huic impensæ. Peritos nominavit Episcopus, qui Ripæ muniendæ necessitatem, quantitate sumptuum, arborum cædendarum qualitatem recognoscerent, & earum pretium dicerent: Reparationum necessitatem agnoverunt Periti, impensas liquidarunt in scut. 60. aut 70., arbores æstimarunt scut.41.65. Censuit Episcopus ex dispositione cognitissimi *Can. Terrulas 12. qu.2.* Jus sibi esse veniam dandi Vicario cædendi arbores. dum tamen intra sex menses monstraret pecuniam in opus erogatam fuisse. At Vicarius, ut rem citius expediret, mutuas a Patre pecunias accepit restituturus, cæsis venditisque arboribus; his pecuniis Ripam munivit. Cum voluit arbores cædere, vetuit Capitulum Cathedralis contendens jus non esse Episcopo veniam hanc dandi, inconsulto Capitulo Vicariæ patrono. Re delata ad hoc Sacrum Tribunal, disputat Vicarius exequendum esse rescriptum Episcopi, cum de necessitate, utilitate Ecclesiæ, & tenuitate pretii constet ex relatione peritorum: tenuem esse summam illam, subjectamque dispositione *d.Can. Terrulas* probat sententia eorum, qui docent Episcopos facultatem habere usque ad summam scut. 50. *Quarant. in Summ. Bullar. verb. alienatio num.41. Antonell. de regim. Eccl. lib.1. cap. 8. §.2. Barbos. de potest. Episcop. part.3. alleg.95. num.51.*, quæ sententia usu, & moribus recepta est in ea Diæcesi: Capitulum audiri non debuisse, quia non probat Patronatum suum, quia Patroni consensus in his necessariis alienationibus, ex quibus nullum detrimentum infertur, non requiratur *Lotter. de re benef. lib.1. quæst.11. nu.66., & seqq. Corrad. in prax. benef. lib.9. cap.5.n.14.* A Capitulo nihil habuimus. *Sess. 24. c.18. de Ref.*

Duo sunt Causæ Capita.

I. *An licentia Episcopi ad effectum incidendi arbores, de quibus agitur, sustineatur absque consensu Capituli in casu &c.* & quatenus negative.

II. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.*

Dilata ad primam post Agnos.

BOVINEN. DECANATUS: Vacavit mense Octobris anno 1753. Decanatus Cathedralis Ecclesiæ Bovini, cui animarum cura adnexa est, & indictus fuit concursus habendus die 30. Januarii sequenti anno 1754. Tres dumtaxat ad concursum venerunt Caputus Cathedralis Mansionarius, Russomandus Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Terræ Iliceti, & Realis in Episcopali Curia Fisci Advocatus. Omnes propositis quæstionibus ita responderunt, ut nullus reprobatus fuerit, omnes approbati, primum tamen inter approbatos locum obtinuit Realis: de moribus, & prudentia Examinatores judicium dare noluerunt, illudque reliquerunt Episcopo. Abstinuit etiam Episcopus, nullaque facta dignioris electione, acta concursus cum epistola sua, in qua de concurrentium meritis, & qualitatibus agebatur, misit ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Pro-Datarium. Iterum itaque ab Examinatoribus Urbis perpensa acta illa fuerunt, & in *doctrina* primum etiam ab his locum obtinuit Realis, *cæteris* tamen *requisitis* eorum judicio vicit Russomandus. Factum id dicit Realis, quod Episcopi literas non viderint Examinatores, quia fuerint surreptæ. Hinc orta lis inter Realem, & Russomandum de adjudicatione Decanatus, Eminentissimus Pro-Datarius Causæ cognitionem dedit Sacro huic Tribunali. Vehementior ratio, quæ a Reali proponitur, est, quod Russomandus diffamatus sit publice, cui Episcopus anno 1748. *ob justas causas sibi notas* facultatem excipiendi Sacramentales Confessiones abstulerit, & quia in Vicarium Foraneum decretum Episcopale ei denunciantem, dum in Choro esset, impetum fecit, domi retentus fuerit loco carcerum, & per integrum mensem spiritualibus exercitiis vacare debuerit: neque audiendos esse testes, quos dat Russomandus, ut se purget a diffamatione, qui referunt id factum ab Episcopo, quod Russomandus preces afferre noluerit, quibus impetraret prorogationem facultatis ad aliud tempus, quod inepta ni-

nimis hæc sit excusatio, atque inverisimilis. A Russomando nihil habuimus. Dubium est.

An, & cui sit adjudicandus Decanatus in casu &c.

Dilata ad primam post Agnos.

Die Sabbathi 26. Aprilis 1755.

DUÆ, quas priore loco subjicimus, Causæ in ultima Amplissimi Ordinis Congregatione habita die 22. transacti mensis Martii dilationem obtinuerunt ad hanc Congregationem. Damus itaque eas rogantes Eminentissimos Patres, ut Folium ejusdem Congregationis, iterum consulant ad earum species repetendas, dubiaque earum expedienda.

Sess. 25. c. 11. de Ref. CÆSENATEN. BENEPLACITI, cujus duo sunt Capita.

I. *An licentia Episcopi ad effectum incidendi arbores, de quibus agitur, sustineatur absque consensu Capituli in casu &c.* & quatenus negative.

II. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.*

Iterum proponatur.

Sess. 24. c. 18. de Ref. BOVINEN. DECANATUS, in qua quæritur.

An, & cui sit adjudicandus Decanatus in casu &c.

Neutri, & fiat novus concursus.

Sess. 25. c. 5. de Ref. AUXIMANA CAPPELLANIÆ. Hæc quoque Causa data fuit in eodem Folio ultimæ Congregationis habitæ die 22. mensis Martii, sed definita non fuit, respondentibus Eminentissimis Patribus - *Dilata & ad mentem*: mens autem fuit, ut perquireretur, an ab hoc Sacro Tribunali definitum fuisset Cappellaniam fundatam a Sacerdote Paulo Sebastiani *laicalem* fuisse, prout supponebatur in Dubio. Actis igitur perquisitis, agnitum est datam fuisse a Sanctissimo Domino Nostro cognitionem Eminentissimis Patribus de postulatione Joachim Sebastiani retinendi eamdem Cappellaniam etiam in statu laicali; & die 15. Aprilis 1752. ab hoc Sacro Tribunali decretum fuisse „ attenta relatione Episcopi Auximani, benigne commisit eidem, ut veris existentibus narratis, & adimpletis per alium Sacerdotem omnibus oneribus „ supradictæ Cappellaniæ, Oratoris precibus pro sui arbitrio, & conscientia „ indulgeat juxta petita „, quæ omnia narrata pridem, & relata a nobis fuerant latius in præcedenti Folio. Numquam igitur definitum fuit Cappellaniam esse *laicalem*, sed indultum fuit dumtaxat Oratori *pro gratia*, ut eam retinere posset in *statu laicali*. Impleta itaque mente Sacri Tribunalis, Eminentissimi Patres duo, quæ tunc definita non fuerunt. Dubia poterunt expedire.

I. *An Joachim Sebastiani, cui per decretum factum die 15. Aprilis 1752. a Sacra Congregatione fuit concessa retentio Cappellaniæ laicalis, de qua agitur, in statu laicali, possit illam retinere etiam in statu conjugali in casu &c.*

II. *An durante linea d. Sebastiani nominatio tam activa, quam passiva spectet ad eamdem lineam in casu &c.*

Ad I. pro gratia etiam in statu conjugali adimpletis oneribus ad formam Decreti. Ad II. recurrat in casibus particularibus.

LA-

LARINEN., SEU VULTURARIEN. DECIMARUM: Repetenda est Causæ hujus species ex folio Congregationis habitæ die 21. Julii 1753. quod in lucem hominum editum fuit *Vol. XXII. Thes. Resol. Sac. Congr.* Responderunt ea die Eminentissimi Patres *Dilata, & coadjuventur probationes juxta instructionem*. Instructio vero hæc fuit, „ ut committeretur Episcopo viciniori deputationem Periti de consensu Partium eligendi, sin minus ex officio, qui, citatis Partibus, recognosceret, describeretque loca, quæ controvertuntur, eorumque limitibus designatis, & præsertim, an eadem sint, quæ nuncupantur Defensæ Vallis, cum illis, quæ Divi Petri in Valle vocantur, elevata planta judiciali factæ recognitionis, & descriptionis. Mandata igitur fuit Jurisdictio Episcopo Sancti Severi, qui utriusque partis accedente consensu, rem delegavit Vicario suo Generali. Hic ex consensu partium peritum elegit, accessitque cum eo, testibus, & partibus ad loca controversiæ, ubi cognitis, & descriptis finibus, offossisque muris veterum quorumdam dirutorum ædificiorum, quæ antiqua *Divi Petri in Valle* vestigia judicata fuerunt, testibusque in faciem loci examinatis, processum confecit, qui ad hoc Sacrum Tribunal transmissus fuit. Peritus duplicem chartam delineavit, alteram, quæ eorumdem veterum ædificiorum formam exhibet, alteram, quæ totius *Defensæ Vallis* ambitum ostendit. Cum igitur tum ex probationibus datis in prima Causæ propositione, & relatis in eodem Folio Congregationis habitæ die 21. Julii 1753., tum ex testium examine, totoque accessu putent Episcopus Larinas, & Archipresbyter, ac Clerus Collistorti certo constare *Defensam Vallis* sitam esse intra fines Dioecesеos Larinatis, & quod magis est, eam sitam esse, ubi olim erat Ecclesia, & Territorium *Divi Petri in Valle*, ideoque postulat responderi ab Eminentissimis Patribus decimas ad eos spectare, & duo, quæ definita non fuerunt, dubia secundum eos nunc expediri. Ab Episcopo Vulturariensi, & Clero Celentiæ nihil habuimus. Dubia sunt. *Sess. 25. c. 12. de Ref.*

I. *An, & ad quem, seu quos spectent Decimæ ex fructibus recolligen. ex Tenuta, seu Defensa Valle, seu la Valle nuncupata in casu &c.* Et quatenus spectent ad Episcopum Larinen. & ad Clerum Collistorti.

II. *An eisdem restituendæ sint Decimæ per Episcopum Vulturarien., & Clerum sæcularem Oppidi Celentiæ perceptæ ab anno 1748. usque ad præsens in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

VITERBIEN., SEU MONTIS FALISCI HOSPITALIUM: Causæ hæc, cujus species habetur in Folio Congregationis habitæ die 14. Decembris superiore anno 1754., quod publici juris factum est in *Vol. XXIII. Thesaur. Resolut. Sac. Congr.* definita fuit ab Eminentissimis Patribus in Congregatione habita die 25. superioris mensis Januarii. Duo erant ejus Capita: „ I. An sit prohibenda transmissio infirmorum exterorum ab Hospitali Montis Falisci ad Hospitale Viterbii in casu &c. *& quatenus affirmative*. II. An sit prohibenda transmissio infirmorum ab Hospitalibus Terræ Martæ, Bolsenæ, & Balneoregii ad Hospitale Montis Falisci in casu &c. Responderunt Emi Patres: *Ad I. Affirmative: Ad II. Proponatur citatis interesse habentibus.* Cum hæc definitio non placuerit Rectoribus Seminarii Montis Falisci, *audiri* contra eam postularunt. Citati fuerunt interessæ habentes, qui alios in jus vocarunt, itaut aliud Dubium debuerit adjungi. Causa igitur tribus Capitibus collecta reproponitur. *Sess. 22. c. 8. & 9. sess. 25. c. 8. de Ref.*

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum Dubium in casu &c.* & quatenus standum sit in decisis.

II. *An sit prohibenda transmissio infirmorum ab Hospitalibus Terræ Martæ, Bolsenæ, & Balneoregii ad Hospitale Montis Falisci in casu &c.* Et quatenus affirmative quoad Hospitale Terræ Martæ.

III. *An sit prohibenda transmissio infirmorum ab Hospitalibus Valentani, & Capitis Montis ad illud Terræ Martæ in casu &c.*

Ad I. in decisis juxta modum exceptis iis, quorum fit mentio in cap. XI. Unionis. Ad II. & III. Negative.

Sess. 25. c. 13. de Ref.

TUSCULANA JURIS TUMULANDI: Cum anno 1697. Hieronymus Coscia Syndicus esset Cœnobii Patrum Minorum Observantium Reformatorum Civitatis Tusculi, veniam impetravit ab iisdem Patribus construendi in eorum Ecclesia sepulcrum *per se, e suoi successori*. Locus datus fuit intra Bema, seu Presbyterium, & loco apposita fuit inscriptio - Hieronymus Coscia hujus Cænobii Apostolicus Syndicus in mortalitatis fastigium sibi suisque Hæredibus hoc monumentum paravit Anno 1702. - Primus illatus fuit Petrus Hieronymi filius, qui, turbato naturæ ordine, Patri prædecessit; inde ipse Hieronymus. Huic tres filii superstites fuerunt, masculus Joannes Joseph, duæ fœminæ Julia, & Agatha. Julia nupsit Marco Fallani, Agatha Petro Orlandi. Descendentes omnes a Hieronymo in hoc sepulcro conditi sunt, atque inter eos Prudentia Juliæ filia; hæc enixa fuerat Gertrudem, quæ, cum decesserit transacto anno 1754, controversiæ causam dedit inter Patres Reformatos, & Capitulum Cathedralis, ac Parochialis Ecclesiæ Tusculanæ. Contendebant enim Patres eam in hæreditarium Hieronymi Abavi sepulcrum inferendam esse, eoque amplius, quod sepulturam ibidem elegisset: Contra Capitulum inferendam esse dicebat in Ecclesiam Parochialem, quia sepulcrum illud acquisitum fuerit *hæredibus sanguinis, & familiæ*. Vicarius Generalis decrevit, ut sine Partium præjudicio deponeretur in Parochiali, sed tamen corpus conditum fuit non in loco separato, sed in communi sepulcro. Tandem idem Vicarius victus a decreto lato anno 1703. a Visitatore Apostolico de Aste, quo interdixit sepulcrum illud Hieronymi, & præcipue vetuit, ne in eo Fœminæ conderentur, secundum Capitulum pronunciavit.

Appellarunt Patres Reformati ad hoc Sacrum Tribunal, & disputant rem esse de sepulcro hæreditario, ut ipse docet epigraphe lapidi insculpta, ideoque, & mares, & fœminas in eo condi posse, quia traslaticium sit *Hæredum* nomine venire feminas: devium esse a Juris disciplina verba illa sibi suisque hæreredibus accipere de hæredibus *sanguinis, & familiæ*, tacente inscriptione, præsertim cum ea, de qua agitur, materia non respuat fæminas, no respuat hæredes extraneos: Decretum Visitatoris de Aste spectandum non esse, quod numquam observatum fuerit, & plures in illud sepulcrum, eodem decreto necquicquam obstante, illatæ fuerint fæminæ; Rem novam non esse, ut intra ipsum Bema, sive Presbyterium Templorum sepulcra, & gentilitia, & hæreditaria extructa fuerint: mutata siquidem dudum fuit forma, & structura Ecclesiarum, mutata fuit disciplina illa vetus Ecclesiastica, quæ de sepulcris erat: Rem denique omnem finiri electione hujus sepulcri facta a Gertrude, quod extremum est cuique datum, quia iterum non redit arbitrium. Hæc atque alia plura Patres in libello, quem dederunt. A Capitulo nihil habuimus. Dubium est.

An cadaver Gertrudis de Matthia sepelliendum esset in Ecclesia Parochiali Sancti Petri, seu potius in altera S. Bonaventuræ Patrum Minorum Reformatorum, itaut istis restituendum sit cum emolumentis funerariis in casu &c.

Reliquæ non propositæ.

Sess. 14. c. 7. de Ref. & Sess. 24. c. 6. de Ref.

CAPUTAQUEN. DISPENSATIONIS: Decessit die 11. Julii anno 1738. ex illato lethali vulnere parvi tormenti bellici Cæcilia Papa terræ Porcilio-

liorum Cilenti Diœcefeos Caputaquenfis . Cęcilia ipfa, ejufque filia Catarina uxor Caroli Panza vulneris auctorem fecerunt Sacerdotem Jofephum Bartolinium, afferentes eum erraffe, & cum filiam impeteret, occidiffe matrem: ea vox, & fama de criminis hujus auctore per univerfum illum locum percrebuit. Aufugit diffamatus Sacerdos, & fequenti anno 1739. preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus petebat abfolutionem ab irregularitate ob impictum hoc homicidii crimen. Preces hæ miffæ, ut fieri folet, ad Epifcopum *pro informatione*, *& voto*, novum ei præbuerunt indicium contra Sacerdotem, ideoque non dubitavit die 20. Julii anno 1740. contra eum qui fponte fefe in carceribus conftituerat, fententiam ferre, qua pronunciavit, „ conftare per graviora indicia ex publica voce, & fama de homicidio „ &c. prout ex relatione pro hujufmodi effectu porrecta ad Sac. Congregatio„ nem conftat &c. ideo condemnandum ad exulandum &c. per triennium, „ falva facultate moderandi &c. & in caufa declaratur irregularis, donec a „ Sancta Sede difpenfationis gratiam non obtinuerit „. Romam venit Bartolinius, & fefe adfcripfit fervitio Ecclefiæ primum S. Mariæ *in Campo Carleo*, inde S. Mariæ *Liberatricis*. Lapfis jam decem, & feptem annis a die obitus Cæciliæ, rediit ad hoc Sacrum Tribunal, & duo poftulat primum, ut declaretur non conftare de homicidio, alterum vero, ut, fi contra Eminentiffimis Patribus videatur, refpondeant locum effe difpenfationi: negat conftare de homicidio, quia neque in genere, neque in fpecie conftet de corpore delicti: multa quidem hac de re habet, quæ fortaffe inutilia videri poterunt Eminentiffimis Patribus, cum obftet fententia Epifcopalis, a qua non appellavit: Difpenfationi vero ab irregularitate locum effe dicit, quia longa decem, & feptem annorum pœnitentia eam mereatur, nam jure Pontificio conftitutum eft, ut Presbyteri homicidæ duodecim annis pœniteant *can. fi quis homicidium fecerit diftinct.* 50. Hæc Bartolinius. Duo dubia funt.

I. *An conftet de homicidio?* & quatenus affirmative.

II. *An fit locus difpenfationi in cafu &c.*

REATINA CAPPELLANIÆ: Ecclefiam, five Cappellam Sanctæ Mariæ de Monte in Pago Civitellæ Veruici populus ædificavit anno 1535. Terræmotus anno 1703. funditus diruit, Sacerdos Recuperus Sanctinius fua pecunia reftituit. Hic Teftamento, quo deceffit anno 1743., hæc ait, quæ longiufcula licet, neceffario tamen funt apponenda „ Dichiaro in oltre di ave„ re, e poffedere in detta Patria una Chiefa, o fia Cappella fotto il Titolo „ di S. Maria del Monte con diverfi beni ftabili foggetti alla medema, & a „ me fpettanti, & appartenenti lafciatimi dal quondam Bernardino mio Pa„ dre con obligo di dover celebrare una Meffa, e ficcome poffiedo diverfi „ Beni e ragioni lafciatimi dal quondam Antonio Marino mio nipote, però „ voglio, che feguita la mia morte, tutti li fudetti Beni, e ragioni lafciati„ mi da detto quondam Antonio Marini, dall' infrafcritti miei eredi fi deb„ bino incorporare, & unire alli fuddetti altri Beni fuggetti come fopra a „ detta Cappella, o fia Chiefa per aumento, e fondo di detta Cappellania, „ e che li medemi infrafcritti miei eredi debbano nominare, & eleggere un „ Cappellano amovibile a lor piacere, qual Cappellano fia tenuto, & obli„ gato celebrare una Meffa il giorno in perpetuo con l'elemofina di grani die„ ci della fudetta moneta di Regno, comprefavi però la Meffa, come fopra „ lafciata da detto quondam Bernardino mio padre, di modo tale, che detto „ Cappellano non fia tenuto, fe non che alla celebrazione di una Meffa il „ giorno in perpetuo in fuffragio dell'Anima mia, e di detto quond. Bernardi„ no con la fudetta elemofina &c. della quale celebrazione di Meffa il fudet„ to Cappellano debba far coftare per documento autentico all' infrafcritti „ miei eredi ad ogni lor richiefta il puntuale adempimento: Con dichiarazio„ ne peró, e condizione efpreffa, che di tutti li fudetti Beni come fopra, „ cioè

Sefs. 14. c. 12. Sefs. 25. c. 9. de Ref.

„ cioè li sudetti presentemente soggetti, e spettanti alla sudetta Chiesa, o
„ sia Cappellania da me posseduta, e gl' altri Beni, come sopra, ho ordinato
„ che s' incorporino, ed unischino alla sudetta Cappellania, intendo, e
„ voglio solamente, che si debba costituire, & assegnare un fondo stabile,
„ e perpetuo, che possa corrispondere alli sudetti grani dieci elemosina, come
„ sopra stabilita &c. talmente che fra tutti li sudetti Beni intendo, e voglio,
„ che si debba assegnare il sudetto annuo, e perpetuo fondo, e quello
„ di piú che avanzerà, debba spettare liberamente alli infrascritti miei
„ Eredi.

Defuncto Testatore, Joannes, & Innocentius Fratres Cherubinii hæredes scripti Cappellanum, *quoad viveret*, nominarunt Sacerdotem Joannem de Felicibus. Anno vero 1746. Innocentius Cherubinius, qui jam ratam bonorum a Testatore relictam, & alia etiam bona propria pro fundo Cappellaniæ assignaverat, Jus Patronatus cessit, & donavit Felici Angelo Gratioso, cui plurimum se debere professus fuit „ con riserbo pero, che il detto Graziosi
„ non si possa, ne si abbia a valere di detta ragione di nominare il Cappellano
„ alla detta Cappellania, se non che dopo la morte di detto Signor de Felicibus
„ da lui nominato, fintanto che lui vive „. Fratris exemplum sequutus Joannes Cherubinius jam senex, & a filiis derelictus anno 1750. Jus Patronatus cessit, & donavit Michaeli Jannarellio consanguineo suo, ejusque hæredibus, dato onere solvendi in perpetuum Cappellano ratam stipendii, seu ducatos annuos 18. Has cessiones, & donationes Jurispatronatus confirmavit Episcopus Reatinus anno 1753. At hoc eodem anno Joannes de Felicibus Cappellanus preces obtulit eidem Episcopo, quibus postulabat, ut onera sacrorum a Testatore adjecta reduceret, ea ratione, quod Testator in assignatione annuorum Ducatorum 36. pro sacro quotidiano „ incorporò alcuni
„ Beni spettanti a detta Chiesa, e non pensò al peso della Fabrica, suppel-
„ lettili, cera, & altro bisognevole alla medema, che resta affatto spoglia-
„ ta della sua dote &c. tanto maggiormente che le lascite di Messe non si
„ permettono per grana dieci l' una, e pensare con questi a tutto il bisogne-
„ vole per detta celebrazione „. His rationibus ductus Episcopus sacra reduxit ad numerum viginti singulis mensibus: Sed Jannarellius, ubi id rescivit, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus negabat locum esse debere reductioni, contendens bona relicta, & pro fundo Cappellaniæ assignata reddere majorem summam Ducatorum 36., obtulitque se summam illam soluturum, si fructus bonorum ipsi concederentur. Auditus igitur fuit Episcopus qui auditis partibus, ita respondit „ quia Bona in variis contradis, & in par-
„ va quantitate dispersa reperiuntur, & de facili deteriorari possent in ma-
„ nibus Cappellani amovibilis &c, ideo, dummodo omnia bona a testatore
„ relicta in perpetuum favore Cappellaniæ cum expressa prohibitione aliena-
„ tionis hypothecata remaneant, crederem obligationem faciendam a cessio-
„ nariis oblatam esse amplectendam, & in utilitatem Cappellaniæ, & Ec-
„ clesiæ cedere, ex quo per solutionem pecuniæ numeratæ Cappellano amo-
„ vibili faciendam amitteretur jus reductionem petendi, & Ecclesia tam pro
„ supellectili, quam fabrica provisa remaneret.

His literis adjunxit Episcopus *Folium* ei oblatum a Cappellano, in quo, ut locum faceret reductioni, & patronum reiiceret ab administratione bonorum quam sibi dari postulaverat, plura habebat, quibus probare intendebat Patronatum Ecclesiæ, & Cappellaniæ spectare ad Communitatem, quæ Ecclesiam ædificaverat, & dotaverat, neque potuisse Sacerdotem Recuperum Ecclesiæ, quam reædificaverat, patronatum acquirere, quia non sua pecunia, sed ipsius Ecclesiæ redditibus illam reædificaverat: Augumentum vero dotis, quod ipse fecerat, onerosum fuisse, ideoque obstante hac ejus natura, non potuisse acquiri jus nominandi Cappellanum: Gratiosum, & Jannarellium non esse de sanguine Fundatoris, sed omnino extraneos, & consequenter non posse iis dari administrationem illam, quæ ad Cappellanos spectabat

etiam

etiam privative ad hæredes Recuperi: Ceſſiones, & donationes Juriſpatronatus immunes non fuiſſe a ſuſpicione ſimoniæ. Sacrum Tribunal „ quoad petitam reductionem Miſſarum inſtantiam rejecit, in reliquis mandavit „ Epiſcopo, ut competentem terminum præfigeret omnibus intereſſe habentibus, ac etiam Univerſitati ad eorum jura deducenda in Sacra Congregatione „. Epiſcopo interim defuncto, terminus omnibus præfixus fuit a Vicario Capitulari: Sed patroni ceſſionarii non ferentes ingratitudinem Cappellani, qui cum nominatus fuiſſet ab hæredibus Recuperi, negaverat patronatum a Recupero acquiri potuiſſe, & ceſſionum validitatem in dubium revocaverat, cenſuerunt eum uti indignum, ingratumque eadem Cappellania privari debere, & nacti occaſionem poſtularunt ab Eminentiſſimis Patribus ejus remotionem. Auditus fuit de hac poſtulatione idem Vicarius Capitularis, & nunc cauſa tribus Capitibus collecta proponitur, quorum lectione facile intelligitur quid ſit id, de quo diſputatur; longum enim eſſet in facto rationes referre, quibus utuntur ceſſionarii, a quibus dumtaxat, non vero a Cappellano, & ab Univerſitate libellum habuimus. Capita controverſiæ hæc ſunt.

I. *An Jus nominandi Cappellanum ad Cappellaniam fundatam a Recupero Sanctini ſpectet integraliter, & privative ad Felicem Angelum Gratioſi, & Michaelem Jannarelli, ſeu potius cumulative cum Univerſitate, & hominibus Villæ Civitellæ Veruici?*

II. *An ſit locus remotioni Joannis de Felici Cappellani deputati ab Innocentio, & Joanne Cherubini?* & quatenus negative.

III. *An adminiſtratio bonorum aſſignatorum pro dicta Cappellania facienda ſit per Joannem de Felici Cappellanum, ſeu potius per Felicem Angelum Gratioſi, & Michaelem Jannarelli in caſu &c.*

CARTHAGINEN. ORDINATIONIS: Ad Cappellaniam fundatam in Parochiali Eccleſia Sanctæ Eulaliæ Civitatis Murciæ præſentatus fuit a Patrono Joſeph a Prado, & fruſtra contradicente Promotore Fiſcali Curiæ Epiſcopalis, eam obtinuit lata a Vicario Generali definitiva ſententia, addita conditione, ut collatio non fieret, niſi ab eo ſuſcepta Tonſura, & ad eam ſuſcipiendam trium menſium terminus præfixus fuit. Epiſcopo abſente, ſupplicavit Joſeph novo Proviſori, ſeu Vicario Generali, ut literas dimiſſoriales relaxaret, ſed rejectus fuit ea ratione, quod Filius, & nepos eſſet obſtetricum: neque Vicarium illum flectare potuit exemplum Antonii a Prado germani Fratris Joſephi, qui, ea ratione non obſtante, ordinatus fuerat ab Epiſcopo prædeceſſore. Confugit igitur Joſeph ad hoc Sacrum Tribunal, & ut fieri ſolet, datæ fuerunt literæ ad Epiſcopum, addita clauſula, *& interim Tempus, & Tempora non currere*. Epiſcopo non reſpondente, iterum, & tertio ſcriptum fuit: nondum adveniente reſponſo, precibus Joſephi reſcriptum fuit -- *Nuncio Apoſtolico pro Informatione audito Epiſcopo* - & iterum repetita fuit eadem clauſula. Advenerunt interim literæ Epiſcopi, & inde aliæ a Nuncio. Epiſcopus refert præſentationem Patroni, & adjudicationem Cappellaniæ Joſepho a Prado, eumque dicit „ de legitimo matrimonio progenitum fuiſſe, ac bonis moribus, & vitæ honeſtate præditum, atque ad „ ſervitium Eccleſiæ propenſum eſſe: Inter ejus aſcendentes extitiſſe, & exiſtere Sacerdotes Sæculares, & Regulares, ejuſque Germanum Antonium „ deputatum fuiſſe pro ſervitio Eccleſiæ Parochialis S. Nicolai: *Addit tamen*: Eſt filius, & nepos matronarum, ſeu obſtetricum, a quibus publice exercitum fuit, & actualiter exercetur hoc miniſterium, cumque illud „ ſit ex vilioribus, & magis abjectis, quæ inibi conſiderentur, ſi ad Ordines promoveri obtineret, tale eſſet opprobrium, & averſio aliorum Eccleſiaſticorum, cum quibus ſe immiſcere intentaret, ut, ne cum ipſo communicarent, ab Eccleſiæ aſſiſtentia potius deſiſterent. „ Adjungit exemplum

Seſs. 24. c. 4. de Ref.

plum filii obstetricis, qui cum fuisset ignoranter ordinatus a cl. r. mem. Cardinali Belluga, cum Episcopus Carthaginensis esset, ad servitium ruralis Cappellæ ablegatus fuit. Antonium Josephi Fratrem ordinatum fuisse, quia Episcopus ignoravit ipsum esse obstetricis Nepotem, Mater enim eo tempore hoc munus non exercebat. Hæc Episcopus, & ex Episcopi mente eamdem rejectionis Josephi causam retulit Nuncius.

Disputat nunc contra Joseph, sine justa causa denegari non posse literas dimissoriales: hujus generis eam non esse, quod ipse filius sit, & nepos obstetricum: Filios non matris, sed Patris conditionem sequi, & si matris conditio sequenda sit, obstetricis officium neque Juris neque facti infamia notari: si vile est obstetricis officium, non esse infame: Infamia sive juris, sive facti notatos repelli ab Ordinibus, non viles, quia in Ecclesia Dei non spectatur vilitas, aut splendor natalium: Obstetrices tum in legibus Romanorum, tum in Sacris Canonibus plurimum æstimari, cum earum Judicio in pluribus deferatur etiam in causis matrimoniorum, quæ omnium gravissimæ reputantur: hinc obstetrices *Medicæ* vocantur in Jure Romano, ut observavit *Merillius lib. 5. observ. Jur. cap. 21.* Spernendam esse erroneam opinionem, quæ de ipsis est in Civitate Murciæ, quæque ad rem non pertinet: nam si obstetrices Populus ille viles censet, non tamen eas reputat infames: Consuetudinem esse Curiæ Episcopalis, ut nullus sine præcedenti inquisitione ad Ordines admittatur, ideoque inverisimile prorsus esse id, quod dicitur de ablegato in ruralem Cappellam a Cardinali Belluga, & de Antonio Josephi Fratre: Sicuti igitur non dedignantur Ecclesiastici Civitatis communicare cum eodem Antonio, ita non dedignaturos communicare cum Josepho. Quia vero Episcopus scribit, ut ,, si Sacra Congregatio consideret, ac resolvat hu- ,, jusmodi defectum, ac inconvenientia, quæ exinde resultare possint, Jo- ,, sepho non obstare &c. paratus est dimissoriales necessarias ad primam Ton- ,, suram ad ejus favorem expedire, & consequenter eumdem canonice insti- ,, tuere in Cappellania ,, ideo cum nullus sit ejus defectus, nullaque timeri debeant inconvenientia, supplicat Joseph Eminentissimis Patribus, ut dubium, quod sequitur, secundum eum definiant.

An sint concedendæ Dimissoriæ in casu &c.

Die Sabbathi 10. Maii 1755.

E*x quinque* prioribus, quas subiicimus, Causis prima *dilationem* obtinuit in ultima Congregatione habita die 26. transacti mensis Aprilis, cæteræ *propositæ non fuerunt*: Rogatos itaque volumus Eminentissimos Patres, ut, repetita lectione Folii ejusdem ultimæ Congregationis, eas expediant.

Sess. 25. c. 12. de Ref. LARINEN., SEU VULTURARIEN. DECIMARUM, cujus duo sunt Dubia.

I. *An, & ad quem, seu quos spectent Decimæ ex fructibus recolligen. ex Tenuta, seu Defensa Valle, seu la Valle nuncupata in casu &c.* Et quatenus spectent ad Episcopum Larinen., & ad Clerum Collistorti.

II. *An eidem restituendæ sint Decimæ per Episcopum Vulturarien., & Clerum sæcularem Oppidi Celentiæ perceptæ ab anno 1748. usque ad præsens in casu &c.*

Ad I. Decimas spectare ad Episcopum Larinen., & Clerum Collistorti.
Ad II. Esse restituendas a die motæ litis.

TUS-

TUSCULANA JURIS TUMULANDI, in qua quæritur. *Seff. 25. c. 13. de Reg.*

An cadaver Gertrudis de Matthia sepelliendum esset in Ecclesia Parochiali S. Petri, seu potius in altera S. Bonaventuræ Patrum Minorum Reformatorum, ita ut istis restituendum sit cum emolumentis funerariis in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, & amplius.

CAPUTAQUEN. DISPENSATIONIS, quæ duo habet Capita. *Sess. 24. c. 7. & sess. 24. c. 6. de Ref.*

I. *An constet de homicidio?* & quatenus affirmative.
II. *An sit locus dispensationi in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Negative.

REATINA CAPPELLANIÆ, in qua tria Dubia disputantur. *Sess. 14. c. 12. & sess. 25. c. 9. de Ref.*

I. *An Jus nominandi Cappellanum ad Cappellaniam fundatam a Recupero Sanctini spectet integraliter, & privative ad Felicem Angelum Gratiosi, & Michaelem Jannarelli, seu potius cumulative cum Universitate, & hominibus Villæ Civitellæ Veruici?*
II. *An sit locus remotioni Joannis de Felici Cappellani deputati ab Innocentio, & Joanne Cherubini?* & quatenus negative.
III. *An administratio bonorum assignatorum pro dicta Cappellania facienda sit per Joannem de Felici Cappellanum, seu potius par Felicem Angelum Gratiosi, & Michaelem Joannarelli in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius. Ad II. Negative salva auctoritate Episcopi, & amplius. Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

CARTHAGINEN. ORDINATIONIS, cujus Caput. *Sess. 24. c. 4. de Ref.*

An sint concedendæ Dimissoriæ in casu &c.

Affirmative, & Amplius.

MONTIS ALTI. Propositis in Congregatione habita die 25. superioris mensis Januarii IX. Dubiis hujus Causæ, quæ agitur inter Episcopum Montis Alti, & Communitatem Terræ Montis Elpari, nempe „ I. An loca „ Pia Montis Elpari Hospitale scilicet, Mons Pietatis, & Mons Frumentarius subsint Jurisdictioni, Visitationi, & Correctioni Episcopi Montis „ Alti? II. An administratio œconomica eorumdem Locorum Piorum exercenda sit libere a Communitate Laicali, vel potius dependenter a directione, & auctoritate Episcopi? III. An eidem Episcopo jus comperat tam „ faciendi ordinationes pro recta dictorum locorum administratione, quam „ approbandi Officiales, Administratores, & Revisores computorum a Communitate electos? IV. An ad præfatum Episcopum pertineat approbare „ resolutiones, vel ab eadem Communitate, vel a suis Officialibus captas „ tam circa contractus nomine Locorum Piorum ineundos, quam circa erogationem proventuum in eleemosynas, & usus pios, & tandem quoad distributionem frumenti? V. An Episcopus possit removere Administratores dictorum Locorum Piorum electos a Communitate non idoneos, vel „ male gerentes administrationem, atque alios per ipsum eligendos eorum „ loco substituere? VI. An rationum redditio, & liberationes dictorum Administratorum faciendæ sint cum interventu Episcopi, vel alterius ab eo *Sess. 7. c. 15. Sess. 22. c. 8. & 9. sess. 25. c. 8. de Ref.*

„ dele-

„ delegandi? VII. An Episcopo privative competat exequutio sententiæ syndicatoriæ adversus Administratores, ac inquisitio contra debitores dictorum Locorum Piorum? VIII. An sustineantur electiones Officialium factæ a Communitate ab anno 1751.? IX. An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c. *Respondit Sacrum Tribunal*: Ad I. Affirmative. Ad II. Negative ad primam partem affirmative ad secundam. Ad III. Affirmative. Ad IV. Affirmative ad primam partem, in reliquis negative. Ad V. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad VI. Affirmative una cum Syndicatoribus. Ad VII. Affirmative accedente tamen approbatione Episcopi. Ad IX. Negative.„ Non placuit Episcopo definitio secundæ partis quarti Dubii, & petiit contra eam audiri, ideoque nunc respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundam partem quarti dubii?

In decisis salva auctoritate Episcopi juxta Resolutiones II., & III. Dubii.

Sess. 25. c. 9. de Ref.

CLUSINA ERECTIONIS COLLEGIATÆ: Dedimus omnem Causæ hujus speciem in Folio Congregationis habitæ die 20. Julii transacto anno 1754., quod publici juris factum est *Vol. XXIII. Thes. Resol. Sac. Congregat.* Dilata fuit ea die Causæ definitio *ad sequentem Congregationem*. In sequenti vero Congregatione diei 24. Augusti responderunt Eminentissimi Patres -- *Dilata, & exquiratur novum Votum auditis Officialibus Datariæ*. Rogatus fuit Eminentissimus Dominus Cardinalis Columna de Sciarra, ut rem perpendere dignaretur, & auditis Officialibus Datariæ sententiam animi sui aperiret. Auditis igitur ab eodem Eminentissimo Domino Datariæ Ministris, hi primo Causæ hujus Capiti, quod est de prima Dignitate, his verbis responderunt „ quia modernus Parochialis Ecclesiæ S. Laurentii Plebanus non aliter erectioni Collegiatæ in propria Ecclesia consensum præstat, quam certis sub conditionibus, ea præsertim, quod Plebanus erigatur in primam ejusdem Collegiatæ Dignitatem, & Archipresbyteratus titulo decoretur, itaut Plebanus pro tempore sit Collegiatæ præfatæ Caput, & prima Dignitas, & Archipresbyter nuncupetur: hinc ambigendum prorsus non videtur, quod prima hæc Dignitas, Archipresbyteratus nuncupanda erigenda, sit obnoxia Regulæ IV. Cancellariæ, itaut semper, ac illius sequatur vacatio, nemo alius præter Summum Pontificem de illa disponere valeat, & quidem libere, uti subrogata loco Plebanatus, qui liberæ collationis, & a quocumque servitutis Patronalis vinculo immunis existit.

Alteri vero Capiti Causæ, in quo major est difficultas, quodque est de erectione alterius Dignitatis ex voluntate fundatoris, nuncupandæ *Præpositura*, & in eadem Ecclesia nomine *secundæ Dignitatis* erigendæ, nec non de quatuor Canonicatibus, in quibus omnibus quæritur „ an erigi debeant uti de libera collatione, & proinde subjecta reservationibus contentis in Regulis Cancellariæ, seu potius obnoxia Juripatronatus laicali reservationes præfatas excludenti, *respondent iidem Ministri* -- Id pendere ab indagine, an post obitum Joannis Gabrielli postremi de Fundatoris descendentia, qui anno 1729. diem clausit extremum, revera supersint, qui laicalem Patronatum ad sacerdotia præfata jure sibi vindicare valeant.„ Si igitur Eminentissimi Patres superesse putent, qui vocati dici possint ad Patronatum, sciunt Ministri Datariæ quod hujusce indolis Beneficia, Sedis Apostolicæ indulgentia, sunt exempta, & immunia a reservationibus Apostolicis; quodque si certis in casibus a Pontifice de illis disponi contingat, collatio non aliorum favore expleri solet, quam eorum, qui a veris legitimisque Patronis sint rite præsentati„. Si vero Eminentissimis Patribus videatur nullos superesse, quibus ex voluntate Fundatoris competere possit

Pa-

Patronatus Præpositur in ſecundam Dignitatem erigendæ, & quatuor Canonicatuum, cenſent hoc caſu iidem Miniſtri „ collationem regulandam eſſe „ ad tramites Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Regularum Cancellariæ, „ neque aſſentiri poſſunt primo Voto clar. mem. Cardinalis Bichii, in quo „ legitur Canonicatus erigendos eſſe de libera collatione Ordinarii in prima „ inſtitutione, & deinde ſive Sedis Apoſtolicæ, ſive Ordinarii juxta tem„ pora illorum vacationum; nam Canonicatus, cæteraque Beneficia Eccle„ ſiaſtica, quorum erectio a Pontifice expletur, tamquam vacantes, ut No„ ſtrates loquuntur, a primæva eorum erectione, cenſentur vacare apud „ Sedem, proindeque non ab aliis decet, quam ab ipſomet Pontifice prima „ vice de illis libere.

Addunt iidem Miniſtri „ Eademque ratione, quod Sacerdotia præfata a Ponti„ fice erigenda cenſerentur a primæva erectione vacare apud Sedem, perne„ ceſſe ſequitur, quod in altera quoque contraria hypotheſi, qua Eminen„ tiſſimi Patres declaraverint illa obnoxia Juri patronatus laicali adhuc eo„ rum collatio prima vice ad Pontificem ſpectabit, qui certe non dedignabi„ tur veſtigia Anteceſſorum calcando de illis diſponere non libere, ſed ad „ Patronorum præſentationem. *Hæc Datariæ Miniſtri quorum* ſententiam „ lubens in qualibet parte amplectitur *Eminentiſſimus Dominus Cardinalis* „ *Columna de Sciarra*, *qui* in unica, quam ipſi habent, dubietate ſuper „ exiſtentia eorum, qui laicalem Patronatum, de quo agitur, jure ſibi vin„ dicare valeant, *rem expedit his verbis*. Verius videtur Pium Fundato„ rem literaliter invitaſſe ad dictum Patronatum etiam filios, & deſcenden„ tes a filiabus ſuorum hæredum, cum ſubſtitutione in eorum defectum ad „ filios maſculos deſcendentes a Juditta ſorore, a Gabriele nepote, & ab „ Octavio germano fratre: Unde in caſu minime deeſſe videntur plures de„ ſcendentes a fœminis, qui jus ſuum a nitida teſtamentaria vocatione me„ tientes poſſint etiam dicto Jure Patronatus potiri, & ad legitimum exerci„ tium deducere „. Duo tantum Juriſprudentiæ Eminentiſſimorum Patrum relinquere voluit definienda idem Eminentiſſimus Dominus Cardinalis: Primum eſt, an inter hos deſcendentes concurrere poſſit ad Patronatum etiam Nicolaus Fortiguerra qui *per duplex medium fœmininum* a Teſtatore deſcendit: Alterum eſt, an fides Baptiſmatum *a Libris Bincherna* deſumptæ deſcendentiam probare valeant. Impletis igitur omnibus, quæ ab Eminentiſſimis Patribus mandata fuerunt, idem Dubium nunc reproponitur.

An, & quomodo ſit recedendum a deciſis in caſu &c.

Recedendum a deciſis juxta votum Eminentiſſimi Relatoris.

ASCULANA BENEPLACITI APOSTOLICI. Muris Eccleſiæ Parochialis Villæ Roſaræ Aſculanæ Diœceſeos adhærebat hortulus, qui uſibus Parochi deſtinatus ad Eccleſiam ipſam ſpectabat. Huic hortulo, facta inter Parochum, & homines Villæ conventione, impoſitum fuit ab iiſdem hominibus ædificium duobus partibus conſtans, ut liquet ex monimento hujus rei ſcripto manu Parochi, repertoque in libris Baptiſmatum his verbis „ 1704. „ fu fatta la fabrica dietro la Chieſa dalle Compagnie con patto, che ſotto „ debba ſervire per loro, e di ſopra per il Curato con pagargli il Tetto, e „ fare il bianconato a loro ſpeſe, quando ſe ne vorrà ſervire, e nello ſteſſo „ tempo a ſpeſe delle dette Compagnie fu rialzata la muraglia „. Cum ſuperior pars hujus ædificii ab iiſdem hominibus retineretur pro Monte Frumentario, Parochus Baldaxar Cretti, anno 1750. edita eadem adnotatione, poſtulavit coram Vicario Generali Aſculi contra homines dictæ Villæ reintegrationem ad poſſeſſionem ſuperioris partis ejuſdem ædificij, eamque obtinuit, facto prius ab eodem Vicario Generali acceſſu ad locum, auditiſque Teſtibus, & delineata a Peritis Charta: ſed Rota Maceratenſis, ad quam homines Villæ provocaverant, duplici ſententia revocavit decretum Vicarii Ge-

Seſs. 25. c. 11. de Ref.

Generalis. Confugit Parochus ad hoc Sacrum Tribunal, petiitque avocationem Causæ a Rota Maceratensi, ejusque reasumptionem, quia hæc cognitio ad Eminentissimos Patres pertinet. Postulabat enim, ut alienatio hortuli, & ædificatio illa, & qua plures Ecclesiæ, & domui Parochiali illatæ fuerunt servitutes, ab hoc Sacro Tribunali nullæ declararentur, quia solo Parochi consensu, non vero accedente Apostolico beneplacito, ædificium constructum fuerit. Auditus fuit Episcopus, ut rem aperiret, *auditis interesse habentibus*. Respondit Episcopus Patronos Ecclesiæ, & homines Villæ Jura sua propostituros in Sacra Congregatione, aperuitque sententiam animi sui secundum Parochum, censens nullam fuisse alienationem soli, & ædificationem in eo factam defectu Apostolici beneplaciti.

Homines tamen Villæ, expedito mandato pro impensis litis actæ in Rota Maceratensi, illud exequi curarunt pignoratis tribus bobus Parochi, qui inde plus offerenti deliberati fuerunt. Postulavit igitur Parochus purgationem attentatorum, quod, pendente in hoc Sacro Tribunali lite, quam homines ab Episcopo resciverant, non posset mandatum pro expensis expediri, & exequi. Cognitio igitur etiam de his attentatis Jurisprudentiæ Eminentissimorum Patrum relicta fuit, collecta Causa omni duobus Dubiis, quæ nunc proponuntur. Disputat Parochus nullam omnino fuisse alienationem hortuli, & ædificationem in eo factam sine beneplacito Apostolico, quod ex cognitissima *Extravag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alienand* semper requiritur, sed præsertim eo casu, quo Ecclesia alicui servituti sit subiicienda: neque hoc Beneplacitum præsumi posse fuga 30., vel 40. annorum, sed requiri centenarii temporis lapsum post Constitutionem 175. Urbani VIII. Summi Pontificis, de qua præ aliis *Card. de Luca de alienat. disc. 1. n* 95. De attentatis vero rem esse apertam, cum lis in hoc Sacro Tribunali penderet, data jam epistola ad Episcopum *pro Informatione, & Voto auditis interesse habentibus*; quæ pendentiam litis induxit, postquam Episcopus certiores fecit homines Villæ: neque excusari posse attentata prætextu diversitatis Judiciorum, quia nunc in Judicio petitorio res cognoscatur, Rota vero Maceratensis in possessorio pronunciaverit: Contendit enim Parochus Rotam illam rem cognovisse in petitorio, ut refert Episcopus, neque, si secus esset, potuisse homines sibi jus dicere, sed petere debuisse exequutionem mandati pro impensis litis ab hoc Sacro Tribunali. Hæc Parochus. Ab hominibus Villæ nihis hactenus habuimus. Dubia sunt.

I. *An ædificatio facta in solo Ecclesiæ fuerit legitime facta absque Beneplacito Apostolico in casu &c.*

II. *An prætensa attentata sint purganda in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius.. Ad II. Affirmative per viam nullitatis.

Sess. 22. c. 5. de Ref.

LEODIEN. DISPENSATIONIS. Nuptiis contractis anno 1743. inter Arnoldum Coemans, & Catharinam Claes, individuam vitæ consuetudinem servarunt Conjuges ad annum usque 1748., quo Arnoldus decessit. Morte obita a Viro, Catharina, quæ in eadem domo cum Socero, & Johanne Coemans defuncti germano fratre permanserat, & familiari cum Johanne conversatione mutuum amorem contraxit, & ab eo compressa utero gravis reddita fuit, filiam tandem enixa. Ad hanc turpitudinis notam delendam, & sobolem legitimandam matrimonium inter se contrahere cogitarunt, & Apostolicam dispensationem postularunt ab impedimento publicæ honestatis, quod oriebatur ex matrimonio cum defuncto Arnoldo Johannis fratre contracto, quod ratum dumtaxat, non vero consumatum ob imbecillitatem viri Catharina afferebat. Dispensationem tamen impetrare non potuerunt, cum defuncti viri imbecillitas non probaretur. Igitur Catharina coram Parocho, & Testibus jusjurandum præstitit de inertia viri defuncti, seque ab eo intactam inviolatamque fuisse. Hoc sacramento supplere posse censuit probationes,

nes, quas impossibile erat habere, cum, vivo viro, nullum verbum fecerit de illius imbecillitate, præterquam in Sacramentalibus Confessionibus, & Confessarius, licet ei facta fuisset a Catharina potestas narrandi, quæ hac de re ipsa audiverat, non recordaretur. Post hæc iterum petita fuit dispensatio: dum hac de re Romæ agitur, familiaris illa conversatio inter Johannem, & Catharinam in causa fuit, ut ipsa iterum ex Leviro conciperet, alteramque post novem mensium fastidia peperit filiam. Precibus pro impetranda dispensatione oblatis rescriptum fuit „ *Instent post obtentam sententiam ab Ordinario super matrimonio rato, & non consumato*. Sententiam hanc ferri curarunt a Curia Leodiensi, quæ provinciam hanc mandavit Examinatoribus Synodalibus. Renovavit Catharina coram Notario, & Testibus jusjurandum de imbecillitate, atque inertia viri, & impollutam, ac non vitiatam ab eo fuisse Examinatores ita decreverunt „ Visa examinataque præ-„ senti supplicatione cum omnibus circumstantiis in ea contentis, audito-„ que desuper Parocho, seu Vice Parocho oratorum, censemus eis credi „ posse.

Tertio igitur supplicatum fuit SS. D. N. pro dispensatione, qui cognitionem hanc Eminentissimis Patribus mandavit. Auditus Officialis Leodiensis *idem censuit, quod examinatores censuerunt, videlicet posse adhiberi fidem Oratoribus*. Postulant itaque nunc Joannes, & Catharina, ut sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione, quia nullum affinitatis impedimentum oriri potuerit ex matrimonio, quod ratum solum fuit, non etiam consumatum, ideoque solo detineri eos impedimento publicæ honestatis, ut declaravit S. Pius V. *Const. sua 62.*, & pluries ab hoc S Tribunali definitum fuisse testatur *Corrad. in prax. dispens. lib.8. cap 7. num.15.*, *&* 20. a quo etiam in his casibus dispensationem concedi consuevisse referunt idem *Corrad. eod. cap. 7. num. 21. Aldan. in Compend. Canon. resol. lib.1. tit. 8. numer. 55. Barbos. ad Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. de ref. sub num* 13. De inertia, atque imbecillitate defuncti viri hoc casu, in quo non agitur, ut solvatur matrimonium, sed ne obstet affinitatis impedimentum, satis constare censent ex jurata mulieris confessione, quam, spectatis rei circumstantiis, spectandum esse tradunt *Sanch. de matr. lib.2. disp. 45. nu. 12. Ciarlin. contr. for. cap.131. nu.37. Ursaya discept. Eccles. 22. num.17. tom.5. par.2*; Res enim in eum statum venit, ut locus esse non possit inspectioni corporis sive viri, qui defunctus est, sive mulieris, quæ a Joanne compressa fuit, ideoque necessario sequenda est ejus confessio comprobata sacramento, quod cum præstitum fuerit, postquam de nullitate dispensationis, si pejeraret, monita fuit, magnam sibi fidem conciliat, cum præsumendum non sit pejerare eam voluisse, ut actum faceret nullum. Accedit quinquennio illo, quo vixit Arnoldus, nullum apparuisse conceptionis signum, quod tamen bis apparuit, postquam a Joanne viro forti vitiata fuit; Nullus quoque huic dispensationi sese præstat contradictorem: Agitur de reintegranda fama mulieris, & sobole legitimanda. Periculum est, ut hi amantes in proxima hæreticorum loca secedant. Judicium Examinatorum, & Officialis Leodiensis iis favet. Videant igitur EE. PP., qua ratione expediendum sit Dubium.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Negative.

Die Sabbathi 7. Junii 1755.

REATINA CAPPELLANIÆ: Definita fuit ab Eminentissimis Patribus hac Causa in ultima Congregatione habita die 10. transacti mensis Maii, & tribus ejus Dubiis, quorum „ I. erat An jus nominandi Cappellanum ad *Sess.24. c.12. & sess. 23. cap. 9. de Ref.*

 „ Cap-

„ Cappellaniam fundatam a Recupero Santini spectet integraliter, & privative ad Felicem Angelum Gratiosi, & Michaelem Jannarelli, seu potius cumulative cum Universitate, & hominibus Villae Civitellae Veruici? „ II. An sit locus remotioni Joannis de Felici Cappellani deputati ab Innocentio, & Joanne Cherubini; & quatenus negative. III. An administratio bonorum assignatorum pro dicta Cappellania facienda sit per Joannem de Felici Cappellanum, seu potius per Felicem Angelum Gratiosi, & Michaelem Jannarelli in casu &c. Responderunt: Ad I. Affirmative ad primam partem, & negative ad secundam, & amplius. Ad II. Negative salva auctoritate Episcopi, & amplius. Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam „ Tertii hujus Dubii definitio non placuit Gratioso, & Jannarellio Patronis, ac adversus eam postularunt *audiri*, ut nunc respondendum sit.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad III. Dubium in casu &c.

In decisis, & amplius,

Sess.22.decret. de obser. & evit. in celeb. Missa.

FAVENTINA APPLICATIONIS MISSARUM: Redit ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium haec Causa, quae in Congregatione habita die 1. praeteriti mensis Martii contra Sodales S. Ursulae definita fuit; Duo erant ejus Capita „ I. An Patres Conventus S. Augustini teneantur ad applicationem Missae celebrandae singulis diebus Dominicis, & Festis in Ecclesia, seu Oratorio Confraternitatis S. Ursulae Civitatis Faventiae? & quatenus affirmative. II. An, & a quo tempore iidem Patres cogendi sint ad satisfactionem Missarum in praeteritum, ut ipsi asserunt, non applicatarum &c. Responditque Sacrum Tribunal: Ad I. Negative. Ad II. Provisum in primo, nunc autem decernendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.24. cap.5. de ref. matr.

LISBONEN. NULLITATIS MATRIMONII. Postquam de validitate, vel nullitate matrimonii Zamorrae contracti inter Violantem Josepham Henriquez de Almada, & Ludovicum Franciscum Sanchez de Baena varia marte decertatum fuerat in hoc Sacro Tribunali, *cum nullum* illud declarassent Eminentissimi Patres in Congregatione habita die 14. Decembris anno 1748, contra vero in Congregatione habita die 24. Januar. anno 1750. rescripsissent: *Praevio recessu a decisis non constare de nullitate matrimonii*; Tandem melior visa est Ludovici causa, cum in Congregatione habita die 5. Junii eodem anno 1750. Dubio, quod erat „ An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c responsum fuerit, in secundo loco decisis, & amplius „ ut in *Thesaur. Resolut. S. Congreg. Vol.XIX.* Ut hanc definitionem firmiorem redderet, Ludovicus curavit, ut a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO confirmaretur Brevi dato die 8. Julii eodem anno, & munito clausula *sublata*, Decretoque *irritanti*. At pervento Lisbonam nuncio recessus Sacri hujus Tribunalis a primo responso dato die 14. Decembris anno 1748 coepit Violantes acta perquirere, ut posset probationes Ludovici refellere, atque hac occasione vidit dispensationem Apostolicam contrahendi inter ipsos matrimonium, non obstante impedimento tertii, & quarti gradus *simplicis* consanguinitatis datam a san. mem. Clemente XII. anno 1739., & cum ab Avunculo, Patruoque certior facta fuisset, non ex uno tantum, sed ex *utroque latere* paterno scilicet, & materno conjunctam esse Ludovico in tertio, & quarto consanguinitatis gradu, consulere coepit Theologos, Jurisperitos, & negotiorum gestores, an fuisset necessaria ad validitatem dispensationis expressio *duplicis* consanguinitatis, auditoque unanimi omnium responso necessariam eam esse, jussit, ut ea, qua posset, major

majori cautione perquirerentur probationes duplicis consanguinitatis proponendæ in hoc Sacro Tribunali, ut ad primam sententiam rediret. Sed dum Violantes acta quærit, Theologos, Jurisconsultosque consulit, curatque, ut educantur e libris publicis probationes duplicis consanguinitatis, tempus labitur, & Causa tertio proposita die 5. Junii responsum, ut diximus, accepit *in secundo loco decisis*.

Cautio Violantis in perquirendis probationibus duplicis consanguinitatis tanta esse non potuit, ut rumor ad aures consanguineorum Ludovici non perveniret, a quibus, ut narrat Violantes, ipse certior factus, adiit SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM, narratoque defectu expressionis *duplicis impedimenti*, postulavit, ut cum Violantes ignoraret hoc impedimentum eumdem sanaret defectum, obtinuitque literas Apostolicas datas in forma *perinde valere*, *die* 12. *Septembris eodem anno* 1750., quibus Summus Pontifex, non obstante duplici impedimento tertii, & quarti gradus consanguinitatis dispensavit, ut remanere possent in matrimonio contracto „ absque eo, „ quod Violantes Josepha de alio impedimento hujusmodi moneatur, nec no„ vus ejusdem Violantis Josephæ consensus, etiamsi aliud impedimentum „ præfatum ad illius notitiam pervenire contingat, requiratur„ Perventis post hæc ad Urbem probationibus omnibus missis a Violante, cum obstaret clausula *sublata*, & Decretum *irritans* in Literis Apostolicis apposita, postulavit Violantes a Sacratissimo Principe Nostro *oris aperitionem*, quam obtinuit ea lege, ut silentio præteritis aliis nullitatibus matrimonii jam propositis in hoc Sacro Tribunali, de una hac ageretur nullitate matrimonii contracti cum dispensatione ab impedimento *simplicis* consanguinitatis in tertio, & quarto gradu, & an illud revalidatum fuerit Literis Apostolicis datis in forma *perinde valere*. Causa itaque in hoc statu proponitur, & disputat Violantes nullum, atque irritum fuisse matrimonium inter eam, & Ludovicum initum, obstante duplici impedimento consanguinitatis, quod sublatum non fuit dispensatione Apostolica, quæ impetrata fuerat pro simplici consanguinitate, sive ex uno latere tantum; collecto siquidem Theologorum, & Canonistarum agmine, probat necessariam fuisse ad validitatem matrimonii expressionem, & dispensationem ab utroque impedimento consanguinitatis in tertio, & quarto gradu ex utroque latere, paterno scilicet, & materno.

Pergit autem idem nullum matrimonium revalidari, & convalescere non potuisse Literis Apostolicis datis in forma *perinde valere* die 12. Septembris anno 1750., tum quia subreptitiæ, & obreptitiæ sunt, cum Summo Pontifici suggestum fuerit Violantem ignorasse illud impedimentum, quando plenam illius *scientiam* habuerat *a mense Martio ejusdem anni*, & sic sex mensibus ante datas literas, tum quia Violantes revocaverat mandatum Procuræ, quo Matrimonium Zamorræ contractum fuit, ideoque, revocato consensu, non possit retrotrahi validatio, obstante defectu extremi, in quo fundetur. Causam igitur in una cognitione positam esse, an Violantes ante datas Literas Apostolicas impedimentum illud duplicis vinculi sciret, vel ignoraret. *Scientiam* suam probat Violantes solemni *sua declaratione*, qua rem omnem narrat sub jurisjurandi, *testificationibus* nobilium virorum *Patrui*, *&* *Avunculi*, qui acta, & probationes perquisiverunt, & consuluerunt Theologos, & Jure consultos, *negociorum* in Regno Portugalliæ *gestorum*, qui, & ipsi consulti fuerunt, celeberrimi *Advocati*, qui responsum, seu consultationem scripsit, *Theologorum* tum inclytæ Dominicanæ Familiæ, tum inclytæ Societatis Jesu doctrina, probitate, & muneribus, ac Dignitate præstantium, qui vel consulti fuerunt hac de re a Violante, vel acta, & probationes perquisiverunt, & in Urbem transmiserunt, vel acceperunt in Urbe, *Notariorum*, qui acta tradiderunt, *Parochorum* denique, qui fides Baptismatum e libris exceperunt. Hæc summa est libelli dati a Violante. A Ludovico nihil adhuc habuimus. Dubium unum est, quod expediri debet.

An Literæ Apostolicæ in forma perinde valere expeditæ die 12. *Septembris* 1750.

sint

sint servandæ, itaut sit standum in primo, vel in secundo, & tertio loco decisis in casu &c.

Dilata ad primam mensis Augusti etiam unica.

Sess. 14. c. 12. & sess. 24. c. 18. de Ref. Matr.

RUREMUNDEN. VICARIÆ: Nulla est in Diœcesi Ruremundensi Parochialis Ecclesia, nulla Vicaria perpetua Ecclesiastici Patronatus, quarum collatio, vel institutio detur sine Concursu ab Episcopo indicendo. Est in eadem Dioecesi Pastoratus, seu Vicaria perpetua in *Wierstein*, in qua jus habet Præpositus, & Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ *S.* Gereonis Coloniæ. Hæc postremis duabus vacationibus obventis anno 1684., & anno 1724. prævio Concursu ab Episcopo Ruremundensi indicto, collata fuit a Præpositis Capituloque S. Gereonis, & præsentati instituti fuerunt ab Episcopo: Cum transacto anno vacaverit, indictus fuit ab Episcopo Concursus, & inter quatuor approbatos primum locum obtinuit Sacerdos Michael Thynen. Episcopus igitur requisivit Archiepiscopum Pragensem, qui Præpositus nunc est, Capitulumque S. Gereonis, ut ex quatuor illis, quem vellent, eligerent, Nominatus fuit idem Michael Thynen., & Capituli nomine datæ fuerunt literæ ad Episcopum Ruremundensem, quibus significabatur non potuisse Concursum indici, quod Vicaria illa perpetua unita esset Capitulo, atque hac de re querelam jam propositam esse in Tribunalibus Urbis. Vera hæc erat assertio, nam Michael in Dataria postulaverat, ut sibi eadem Vicaria conferretur *pro nominato*, utque exequutio, seu institutio committeretur Nuncio Apostolico Bruxellensi, non Episcopo Ruremundensi, quia *hic prætextu, quod Vicaria ista Concursui subjecta existat, ipsum in Vicaria præfata instituere recusavit*. His cognitis a Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis Ruremundensis, operam dedit, ne supplicatio favore Michaelis relaxaretur: sed Eminentissimus Dominus Cardinalis Pro Datarius remisit Causam ad Sacram Congregationem Concilii *pro Voto*.

Disputat itaque nunc idem Promotor Vicariam hanc, cui annexa est cura animarum, ex dispositione Tridentini, ex consuetudine universali totius Belgii, & particulari Dioecefeos Ruremundensis, ex observantia denique duorum statuum postremorum subjectam omnino esse Concursui: Unionem enim illam quam afferunt Capitulares, & Michael Thynen. neque publicis tabulis, neque re judicata, neque immemoriali usu probari; immo contrarium evinci ex præsentationibus, in quibus enunciatum fuit eam esse juris patronatus: Idem evinci ex verbis, quibus usi sunt Capitulares; *Vacare* enim Vicariam dixerunt, & eam *conferre, cum omnibus fructibus, & redditibus*, quæ repugnent unioni, cum si Vicaria Capitulo unita esset, neque vacare potuisset, neque conferri, neque omnes redditus dati fuissent Vicario, sed congrua tantum portio: Accedere factum ipsius Michaelis, qui ad Concursum venit, & uti approbatus nominationem obtinuit: Spectandum esse ultimum statum, in quo Concursus indictus fuit, cum quæstio unionis, quam jactant Capitulares, agenda sit judicio petitorio: nec mutare, Præpositum S Gereonis in postrema vacatione anni 1724. præsentasse quidem approbatum in „ Concursu „ cum hac tamen expressa protestatione, quod non intendebat „ per eam provisionem, seu collationem Concursum institutum in suum „ præjudicium approbare „ cum protestatio isthæc uti contraria ipsius facto spernenda sit; non enim poterat Præpositus uno eodemque actu, & Concursum approbare præsentando approbatum in illo, & Concursum reprobare protestatione. Hæc Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Ruremundensis. A Michaele Thynen nihil habuimus. Dubium est.

An sit relaxanda supplicatio favore Rev. Thynen., sive potius sustineri debeat prætensus Concursus indictus ab Episcopo Ruremundensi in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

APRU-

APRUTINA DISTRIBUTIONUM. Impleto jam decennio servitii ab anno 1728, quo Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Therami obtinuerat Joannes Joseph Caresti, incidit ex acri stillantium oculorum fluxu in glaucoma, a quo misere cæcus omnino factus fuit, itaut coactus fuerit Cathedralis Ecclesiæ servitium deserere, & solum potis sit „ andare a tastoni, o „ con la guida d'altri ad una vicina Chiesa di S. Bartolomeo così per ricevere li dovuti Sagramenti, come per esercitare in essa qualche devozione, ed esercizio di cristiano, e religioso „, ut his verbis referunt medici, quibuscum conveniunt vicini, aliique plurimi testes. Capitulum ei quotidianas distributiones solvi jussit, sed decennio post vetuit Rationali, ne in divisione specierum, ex quibus universi Ecclesiæ redditus constant, *dovesse includere il suddetto Canonico Caresti nella division del guadagno delle puntature*. Confugit Carestius ad hoc Sacrum Tribunal, & die 24. Januarii anno 1750. datæ fuerunt ad Episcopum Literæ, ut moris est, sed Episcopus officia sua interposuit, ut res amice componeretur. Rem esse apertam dicebat Carestius: Cæco, qui uti infirmus habetur, debitas esse quotidianas distributiones, atque ita lucrifacere debere id, quod aliis adimitur, qui voluntarie deficiunt. Negabat Capitulum dici posse infirmum eum, qui licet coecus esset, bene valeret, utque in alias Ecclesias, & quo ipse vellet, se conferebat, ita venire posse dicebat ad Chorum Ecclesiæ Cathedralis: quod si adhuc uti infirmus accipiendus esset, posse hoc malum facere, ne privaretur distributionibus quotidianis, non vero ut absens lucrum faceret de multa absentium: denique teneri eum subire onus Sacri Conventualis ab alio Canonico, sed ejus sumptibus persolvendum. Modum componendi hæc dissidia proposuit Episcopus, sed eum non accepit Carestius, negans transigi posse de Jure claro, atque aperto, rediitque ad Eminentissimos Patres, disputans ex Canonistarum sententia coeco deberi distributiones quotidianas, & lucrifacere aliorum fallentias, ut respondit hoc Sacrum Tribunal in *Mediolanen. distributionum 7. Octobris* 1715., præsertim cum per decennium eas lucrifecerit: Ita pariter non teneri ad Sacrum Conventuale ex responso ejusdem Sacri Tribunalis in *Prænestina* 11. *Martii* 1662. *apud Panimoll. dec.* 20. *annot.* 3. *num.* 71. A Capitulo nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita. *Sess. 24. c. 12. de Ref.*

I. *An Canonico Joanni Joseph Caresti pratenso coeco debeantur distributiones quotidianæ etiam provenientes ex Canonicorum fallentiis in casu &c.* & quatenus affirmative.

II. *An idem Canonicus teneatur subire onus Missæ Conventualis per alium vice sua celebrari in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative, & amplius in omnibus.

OMOLUCEN. JURISDICTIONIS: Usque ab anno 1665. Episcopus Omolucensis Sacram hanc Congregationem consuluit, pluribus propositis Dubiis, quæ respiciebant Jurisdictionem suam in Monasteria Sanctimonialium Regularibus Ordinibus subjecta ad intellectum cognitissimæ Constitutionis Gregorianæ, cujus initium est *Inscrutabili*, respondit S. hoc Tribunal, Dubiaque proposita definivit, sed nondum exequi potuerunt. Præcipui, qui inter Ordines Regulares sese opponant Episcopi Jurisdictioni in Moravia Benedictini sunt, Cistercienses, & Præmonstratenses. Multa sunt, quæ hi præsidio exemptionum hactenus gesserunt ad declinandam Visitationem Episcopalem in Parochiis, quæ, vel unitæ sunt eorum Monasteriis, vel eorum Jurispatronatus sunt, & Jurisdictionem Episcopalem in Monasteriis Sanctimonialium, quorum ipsi curam, & regimen habent. Hæc ferre non valens Eminentissimus Dominus Cardinalis De Troyer Episcopus Omolucensis, ductusque eo, quo præstat, zelo servandi Sacrorum Canonum, & Constitutionum Pontificiarum dispositionem, atque Ecclesiasticam disciplinam, narravit omnia in Visitatione Sacrorum Liminum, itaut necesse fuerit etiam aucto- *Sess. 6. c. 2. de refor. sess. 24. c. 11. de refor. sess. 25. c. 5 9. & 11. de reg. & sess. 25. decret., & Reliq. & Sac. Imag.*

auctoritate SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI plura adhibere remedia, quibus in ordinem redigeretur Regularium illorum adversus Episcopalem Jurisdictionem licentia. Res tandem dilata fuit ad Judicium Eminentissimorum Patrum. Longum esset singula, quæ Regulares sibi debita esse contendunt, Capita referre, poterunt Eminentissimi Patres illico ea assequi lectione XVI. Dubiorum, quibus causa omnis collecta fuit, quæque hic subiicimus nullo negocio expedienda, cum fere omnia pluries sint in aliis Causis definita, vel in ipsa littera Apostolicarum Constitutionum reperiantur expedita. Facta etiam plurima, quæ his Dubiis disputandis causam dederunt, quæque si referrentur, *folium* in Volumen excresceret, legent in Libello Eminentissimi Episcopi. Cautum quoque fuit Decreto ea Dubia non esse disputanda, quæ sive ab uno, sive ab altero eorumdem Ordinum Regularium legitime in Actis acceptarentur, ut fieri velle assertum fuit: quia vero nondum id factum esse scimus, ideo omnia Dubia subiicimus. A Regularibus nihil habuimus.

I. *An Parochi Regulares cujuscumque Ordinis illi sint, & præsertim Præmonstratenses, Cistercienses, & Benedictini exercentes Curam Animarum Personarum sæcularium, & non commensalium in Parochiis in Dioecesi Omolucensi, licet illæ Monasteriis exemptis sint unitæ, & annexæ, sive sint de Jurepatronatus, etiamsi Cura Animarum residere dicatur in Abbatibus, Visitationem Episcopi subire teneantur in iis, quæ pertinent ad Curam Animarum, sive Episcopus visitet per se sive per alium, non obstantibus Privilegiis dictorum Monasteriorum?* Et quatenus Affirmative.

II. *An dicti Parochi Procurationem solvere teneantur? Vocati ad Synodum accedere sint cogendi? Festa Dioecesis Populo annunciare, & celebrare? Pariter Chrisma, & Olea SS. ab Episcopo Dioecesano accipere teneantur?*

III. *An Parochi Regulares, etiamsi sint Abbates possint a Superioribus Regularibus ad Curam Animarum destinari, illamque exercere sine approbatione Episcopi.*

IV. *An Regulares dari in* Coadjutores *dictorum Parochorum possint a Superioribus Regularibus sine expressa licentia Episcopi: sive potius sit in potestate Episcopi in approbatione Confessariorum Regularium limitare eorumdem facultates non solum, quoad tempus, sed etiam quoad Personas, & Loca, in quibus debent Confessiones audire?*

V. *An liceat sive Abbatibus, sive Parochis Regularibus, præsertim Cistercienſibus pro libitu, & sine licentia Episcopi pro Parochiis modo unam, modo alteram Ecclesiam sive Cappellam, in qua Sacramenta a Parochis administrentur Fidelibus Dioecesis Omolucensis, constituere?*

VI. *An Prælati Regulares, ubi habent purum Juspatronatus Parochiarum acquisitum, vel cessum a Laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur Episcopo præsentare Sacerdotes Sæculares, ut antea Laici tenebantur: An vero possint substituere Monachos eosque pro libito, non salutato Episcopo, removere?*

VII. *An ad Episcopum spectet cura clausuræ Monasteriorum Monialium Regularibus, & præsertim Cistercienſibus, & Benedictinis subjectarum, eamdem clausuram demandare servandam ad præscri-*

ptum

ptum Sac. Concilii Tridentini? Et quatenus negative.

VIII. *An competat Episcopo Prælatis Regularibus præsertim Cisterciensibus, & Benedictinis prohibere, ne pluries in anno occasione Visitationis ingrediantur septa Monasterii Monialium sibi subjecti sine præsentia ejusdem Episcopi, sive alterius personæ ab eo deputandæ?*

IX. *An possit Episcopus inhibere Regularibus præsertim Cisterciensibus, & Benedictinis, ut sine examine Ordinarii Puellas ad habitum, & Professionem admittant, & præcise ne ad electionem Abbatissarum exemptarum deveniatur, non significata Ordinario die electionis, cui Episcopus sive per se, sive per alium interesse, & præsidere possit?*

X. *An competat Episcopo rationes exigere ab Administratoribus Bonorum temporalium dictorum Monasteriorum exemptorum Monialium, & in Administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, & prohibere, ne Dotes alienentur sine Indulto Pontificio, & Episcopi licentia?*

XI. *An Confessarii ab Episcopo approbati ad audiendas Confessiones Fidelium utriusque sexus possint sine speciali approbatione Episcopi in Confessarios Monialium exemptarum a Superioribus Regularibus destinari?* & quatenus negative.

XII. *An saltem dicti Confessarii Regulares pro audiendis Confessionibus unius Monasterii Monialium exemptarum, vel pro una vice approbati, censeri debeant approbati semper, & pro omnibus Monasteriis Monialium?*

XIII. *An Regulares teneantur pro obtinenda facultate audiendi Confessiones, sive Sæcularium, sive Monialium se personaliter coram Episcopo præsentare: sive potius sufficiat a Superioribus de sufficientia, & idoneitate testimonium transmitti?*

XIV. *An Prælati, & Abbates Regulares possint sine speciali Indulto Calices, Campanas, aliaque vasa sacra, in quibus intervenit Sacra Unctio, benedicere pro usu alienarum Ecclesiarum?*

XV. *An dicti Abbates, & Prælati teneantur servare Decretum ab Alexandro VII. editum circa usum restrictum Pontificalium Prælatis inferioribus concessum?*

XVI. *An liceat Regularibus Eucharistiam in propriis Ecclesiis exponere sine licentia Ordinarii, liceatque pariter Regularibus, & præsertim Benedictinis, & Cisterciensibus in propriis Ecclesiis insolitam Imaginem, aut Sacram Reliquiam ab Ordinario approbatam exponere, & tandem in eisdem Ecclesiis prædicare, non petita ab Ordinario Benedictione, aut in aliis Ecclesiis sine Ordinarii licentia?*

Ad I. & II. Affirmative. Ad III. Negative. Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad V. Negative. Ad VI Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad VII. VIII. IX. X. Affirmative. Ad XI. Negative. Ad XII. XIV. XVI. Negative. Ad XIII. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad XV. Affirmative.

ROMANA SEU FABRIANEN. LEGATI: Cognitissimum est Emis Patribus controversias, quæ frequentissime oriebantur de admissione ad partici- *Sess. 22. c.8. de Ref.*

pan-

pandum de celebri legato Familiæ Justinianæ relicto sopitas fuisse Motu proprio SANCTISSIMI DOMINI N. edito die 28. Martii anno 1741. quo legem regulamque servandam præscripsit. Idem Sacratissimus Princeps in *Cedula* sua manu subscripta menstrua sc. 5. assignavit *quoad viveret*, ut ipsa asserit, Mariæ Justinianæ Raphaelis filiæ tunc innuptæ. Hæc per annos 14. soluta fuit menstrua præstatio: Cum vero nuper eam exigere vellet, renuerunt Administratores legati illam solvere, quod Maria nupsisset extra Familiam Justinianam Josepho Possenti Fabrianensi, exemplo Margaritæ Justinianæ, quæ pariter nupserat in aliena Familia, & repulsa fuit a participatione legati. Res igitur ad Judicium Eminentissimorum Patrum delata fuit, & disputat Maria nullam in Pontificia concessione adjectam fuisse conditionem sive status Virginalis, sive nuptiarum in Familia, ideoque cum generalis sit, generaliter accipi debeat, neque caducitati esse locum, quia extra Familiam nupserit; Exemplum Margaritæ illius ad rem non pertinere, quia illa non probat a Familia Justiniana Chiensi ortum duxisse, quia nondum eo tempore certa lex & norma huic legato data fuerat, quia denique illa Pontificiam non habebat concessionem, quam ipsa habet: Hæc Maria. A Familia Justiniana Januensi nihil habuimus. Dubium est.

An Fœmina de Familia Justiniana in statu Virginali admissa ad participationem Legati Marchionis Vincentii Justiniani gaudere debeat eadem participatione etiam post contractas nuptias in aliena Familia in casu &c.

Affirmative in casu de quo agitur, & amplius.

Sess. 24. c. 8. de Reg.

REGIEN. OPTIONIS: In Ecclesia Cathedrali Regii Lepidi, in qua tres Canonicatuum Ordines sunt Presbyteralium, Diaconalium, & Subdiaconalium, consuetudo est vacantes Præbendas optandi. Cum vero Præbenda Canonicatus Poenitentiarii omninum tenuissima sit, Nicolaus Mannelli Canonicus Poenitentiarius Coadjutus, & Andreas Rota Canonicus Coadjutor preces obtulerunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus postulabant Indultum una vice tantum optandi aliam pinguiorem Præbendam Ordinis Presbyteralis, quæ tenuviori dimissa, annexa esset perpetuo officio Poenitentiariæ. Postulationis hujus notio data fuit Eminentissimis Patribus, a quibus, ut fieri solet interpellatus fuit Episcopus, ut Sententiam animi sui aperiret audito Capitulo. Eo igitur coacto, responsum accepit Episcopus „ Præbendam Pænitentiariæ vere tenuem esse, ac inter tenuviores „ recensendam, Canonicosque idcirco oratores petione dignos esse pro „ unica vice tantum, & dummodo Præbenda optanda perpetuo eidem Poe- „ nitentiariæ sit infixa „ Unus tamen ab aliorum sententia discessit Hieronymus Malvolti Coadjutor Canonici Casparis Vigarani, qui censuit optioni non esse indulgendum „ nisi postquam cæteri omnes Canonici Presby- „ teri viventes, minori etiam pollentes antianitate optaverint, & sic ulti- „ mam solum ab aliis dimissam Præbendam a Canonico Poenitentiario esse optandam. Sententia tamen Episcopi fuit „ gratiam Ecclesiæ plurimum „ profuturam si deinceps Canonicus Poenitentiarius unam ex pinguioribus „ hujusce Cathedralis Prebendis assequatur, cum substantialiter nullum ex „ eadem Gratia detrimentum cæteris Canonicis provenire dici possit, cum „ non agatur nisi de obicem tollendo ad Jus optandi, quo gauderent Ora- „ tores tamquam simplices Canonici, & uti Poenitentiarii nequeunt „ Cum vero neque Capituli, neque Episcopi judicio cedere voluerit Canonicus Malvolti, Causa Eminentissimorum Patrum Judicio definiri debet.

Fatentur Canonici Poenitentiarii Jus non esse Canonicis Theologo, & Pænitentiario optandi Præbendas in eorum Ecclesia vacaturas, ut post *Navarrum* *cons.* 22. *Tit. de Præbend.* tradunt *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. glos.* 34. *n.* 78. *& seqq. Moneta de Option. cap.* 3. *quæst.* 5 *num.* 129. *Barbos. de Canon. c.* 26. *num.* 23. *& seqq. & cap.* 27. *num.* 20., aliique frequenter; Sed in eo disputant

tant

tant recedi ab hac opinione, cum Præbenda horum Canonicatuum tenuis est: Licet enim tunc, dimissa tenui, pinguiorem optare, quæ perpetuo affecta remaneat his officiis *Ventrigl. in Praxi par. 2. annot. 12. §. 2. num. 8. clar. mem. Cardinal. Petra ad Const. Apostol. vol. 4. fol. 249. num. 25.*, & respondit hoc Sacrum Tribunal *in Pisauren. 23. Maii 1648. lib. 18. decret., & in Melevitana 23. Februarii 1726.* De tenuitate vero Præbendæ Pænitentiariæ dubitari in hac specie non posse, cum eam fateatur Capitulum, referat Episcopus testificationem faciant Testes, & probetur extractione redditumm Præbendarum cujuslibet Canonicatus: Non esse igitur audiendum Canonicum Malvoti, qui non optione, sed unione alterius Præbendæ officio Poenitentiariæ consuli posse tenuitati ejusdem Præbendæ ab Eminentissimis Patribus contendit, cum in aliis casibus optione, non unione consultum fuerit; Ut etiam audiendum non esse, dum detrimentum sibi, aut Canonicis Præbendas Diaconales possidentibus inferri timet: nullum enim, ut etiam censet Episcopus, infertur detrimentum cæteris Canonicis, nullum ipsi Malvolti Coadjutori, cum res pendeat ab eventu. Hæc atque alia Canonici Poenitentiarii proponunt in eorum libello. A Canonico Malvolti nihil habuimus. Unum est controversiæ Caput.

An concedendum sit Indultum Canonico Poenitentiario ad hoc, ut sua Præbenda libere dimissa, possit aliam Præbendam Sacerdotalem optare, quæ perpetuo affecta remaneat officio Pænitentiariæ in casu &c.

Affirmative juxta consensum præstitum a Capitulo.

Die Sabbathi 12. Julii 1755.

REGIEN. OPTIONIS. Frustra dilationem petente Canonico Malvolti, definita fuit hæc Causa *in ultima* Amplissimi Ordinis Congregatione habita die 7. transacti mensis Junii. Dubio ejus, quod erat ,, An concedendum ,, sit indultum Canonico Poenitentiario ad hoc, ut sua Præbenda libere ,, dimissa, possit aliam Præbendam Sacerdotalem optare, quæ perpetuo ,, affecta remaneat officio Poenitentiariæ in casu &c. ,, Respondentibus Eminentissimis Patribus ,, Affirmative juxta consensum præstitum a Capitulo ,, Cum autem Canonicus Malvolti *audiri* postulaverit, decernendum nunc erit. *Sess. 24. c. 8 de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

ALBINTIMILIEN. MATRIMONII. Historiam Matrimonii contracti inter Advocatum Petrum Felicem Vento, & Magdalenam Tiberti dedimus in Folio Congregationis habitæ die 22. Maii anno 1751., quod publici juris factum fuit *in Volum.* XX *Thesaur. Resol. S. Congreg.* Causa tamen definita non fuit, rescribentibus Eminentissimis Patribus ,, Pro confectione processus juxta mentem. Omnibus, ut credimus, impletis, nunc reproponitur, ut definiatur. *Sess. 24. c. 1. de ref. mat.*

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Non proposita.

ASCULANA BENEPLACITI APOSTOLICI. Data fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 10. transacti mensis Maii, & duobus ejusdem Dubiis, quæ erant ,, I. An ædificatio facta in solo Ecclesiæ fuerit ,, legitime facta absque Beneptacito Apostolico in casu &c. II. An præten- *Sess. 25. c. 11. de Ref.*

„ sa attentata sint purganda in casu &c. Responderunt Eminentissimi Patres „ „ Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Affirmative per viam nullitatis. Redeunt nunc Sodalitia ad novum Sacri Tribunalis Judicium, & disputant neque ex æquitate, neque ex Justitia damnari posse ad attentata purganda, ideoque respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess. 7. c. 15. & Sess. 25. c. 8. de Ref.

PARMEN. HOSPITALIS. A Sodalitio Beatæ Mariæ Virginis *de Misericordia* Terræ Castri Novi inferioris Ditionis Mutinensis, & Dioecesеos Parmensis extructum fuit initio sæculi XV. in eadem Terra Hospitale pro recipiendis, & curandis infirmis cum adnexo Oratorio. Hanc fundationem, atque erectionem licet factam auctoritate Episcopali, probavit inde san. me. Pius II., & confirmavit sæculo sequenti Paulus III. Summi Pontifices. Cura temporalis, seu administratio Hospitalis Confratrum erat: spiritualis vero sive administratio Sacramentorum infirmis, an apud Cappellanum, qui procul dubio aderat, vel apud Parochum esset, non bene liquet. Oratorium publicum fuisse vix dubitandum est, cum in eo tria essent Altaria ad Sacra facienda, Turris Campanaria, Arca ad stipem colligendam, sepulcrum, in quo decedentes infirmi tumulabantur. Stetit Hospitale, atque Oratorium ad annum usque 1633., inde bellorum vi vastato Oratorio, itaut paulatim eo redactum fuerit, ut pene dirutum esset, & diminutis Hospitalis redditibus, necesse fuit suspendere infirmorum receptionem, quæ tamen penitus prætermissa non fuit. Displicuit tandem Sodalibus hæc eorum negligentia, unoque consensu decreverunt Hospitale, & Oratorium restituere. Nova itaque a solo extructa fuit fabrica Hospitalis cum duobus valetudinariis altero maribus, altero pro foeminis, in quibus sunt octo lecti, pharmacopea, horto, atque aliis necessariis officinis, & ampli potius omnium, qui infirmis servire debent, habitatione: Oratorium etiam a solo extructum fuit forma eleganti cum duobus Altaribus, e quibus Sacrum audire valeant infirmi utriusque valetudinarii. Condita fuerunt statuta, dos a Sodalitio assignata in annuis libris imperialibus 2.m. quibus inde accesserunt aliæ annuæ libræ 800., ea lege, ut hæc annua præstatio minui non posset, licet piis relictis redditus augerentur. Contulerunt, & alii in hoc pium opus, nam Communitas illius Terræ onus imposuit Medico, Chirurgoque, quos conducit, curandi infirmos Hospitalis sine ullo stipendio, habent tamen in ipso Hospitali habitationem, ejusdem Terræ Dominus prædium suum Hospitali dedit in emphytheusim, Catharina Donellia sese obligatam voluit ad annuam perpetuam traditionem duarum salmarum olei, & ut singulis diebus Dominicis Sacrum in Oratorio fiat perpetuo sub conditione tamen, ut a Sodalibus impetraretur venia agendi Sacra in eodem Oratorio, & a Sacerdote Flaminio Biserli donatus fuit census, e cujus fructibus Sacrum fieri posset die, qua quilibet infirmus in Hospitali decedat, eadem tamen adjecta lege, & conditione facultatis agendi Sacra in eodem Oratorio.

Post hæc apertum fuit infirmis Hospitale, & in eo jacuerunt nunc tres, nunc quatuor, nunc plures, neque e sola Terra Castri Novi inferioris, sed etiam ex aliis vicinis locis ejusdem Jurisdictionis, imo Advenæ, & Peregrini cujuslibet Nationis, qui intra fines jurisdictionis illius in morbum incidant prorsus, ut fieri solebat, in veteri Hospitali. Sed unum deerat, ut ab Episcopo Parmensi iterum benediceretur Oratorium, veniaque ab eo daretur Sacra in eo agendi, servandique augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod ægrotis ministraretur a Cappellano, & æra tinnula, seu campanas reponendi in Turri, defunctosque in sepulcho tumulandi. His omnibus sese contradictorem præstitit Archipresbyter Ecclesiæ Parochialis ejusdem Terræ, ut, cum Sodales ea ab Episcopo postularunt, responsum acceperint, ut lege, & jure

agerent coram Vicario Generali: sed Sodales precibus adjerunt SS. D. N., a quo rei hujus cognitio data fuit Eminentissimis Patribus. Auditus Episcopus pluribus ex causis contra Sodales respondit; Novas hi preces obtulerunt, quibus Episcopum in errores facti incidisse probabant. Iterum igitur auditus fuit Episcopus, sed iterum ex iisdem rationibus contra eos respondit. Sodales itaque in jus vocarunt Archipresbyterum, & Causa omnis tribus Capitibus collecta fuit, quorum lectione facile intelligitur, quid sit id, de quo disputatur. Sodales toti sunt in eorum libello, ut probent negari non posse reintegrationem Oratorii, & Hospitalis, ideoque ab Episcopo sine ratione dissentiente iterum esse benedicendum, eaque, quæ postularunt ab eodem Episcopo, nova non esse, itaut detrimentum aliquod inferatur juribus Parochi, & Ecclesiæ Parochialis, sed antiqua, & in antiquis Hospitali, atque Oratorio dudum servata, itaut idem servandum sit in novo juxta cognitissimam dispositionem *Clement. quia contingit. De relig. dom.* Ab Archipresbytero nihil adhuc habuimus. Tria, quæ diximus, Capita sunt.

I. *An sit locus prætensæ reintegrationi Hospitalis B. Mariæ Virginis de Misericordia Castri Novi Parmen. Dioecesis ejusque Oratorii, itaut sit a Reverendissimo Episcopo rebenedicendum*, & quatenus affirmative.

II. *An debeant in eodem Hospitali, seu Oratorio reponi Campanæ, & in eo possint celebrari Sacra, & retineri Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro servitio infirmorum, necnon sepelliri cadavera infirmorum, qui in dicto Hospitali decedant in sepulcris ejusdem Oratorii*, & quatenus affirmative.

III. *An Cappellanus pro tempore dicti Hospitalis, seu Oratorii possit independenter a Parocho ministrare infirmis in dicto Hospitali degentibus Sacramenta, eorumque cadavera in prædictis sepulcris sepellire in casu &c.*

Dilata, & exhibeantur Relationes Episcopi.

ROMANA SACRORUM ORDINUM: Diaconalis Ecclesia S. Michaelis Archangeli in Foro Piscario anno 1243. in Collegiatam erecta fuit, & Riccardus Cardinalis Annibali Titularis, habita reddituum ratione, octo in ea statuit Canonicos, quem numerum neque augeri, neque minui posse constituit Innocentius IV. datis Literis Apostolicis. Ex his conjicitur eos tunc temporis simplices Clericos fuisse, cum eædem Literæ inscriptæ fuerint, *Dilectis Filiis Clericis Ecclesiæ S. Angeli*. Dubitatum tamen fuit an hujus Ecclesiæ Canonici tenerentur Sacerdotium suscipere, vel potius satis esset, si in Subdiaconatu consisterent. Dubitationem faciunt statuta, & statutorum reformationes: statuta enim, quæ condita fuerunt anno 1493. hæc habent *Cap. 9.* „ Omnes, & singuli Canonici intra annum a tempore, quo fuerint „ admissi, computandum, ad Sacros Ordines se promoveri facere teneantur, „ alias nihil participent de sua Præbenda „. Reformationes vero, quæ sæ- „ culo sequenti scriptæ fuerunt, hæc habent *Cap. 9.* „ In die Nativitatis „ Domini Nostri, Epiphania &c. Missa cantari debeat per unum Canoni- „ cum, & pro qualibet Missa debeat Camerarius illa finita ultra punctum „ dare sibi Julium unum, & Diacono carolenum unum, & Subdiacono Ju- „ lium medium: Pro Evangelio vero Passionis per quemlibet Canonicum „ cantando caroleni duo „ *& in Cap. 15.* hæc leguntur, quod si contingat col- „ lationem, & provisionem Canonicatuum, & Præbendarum pro tempore „ vacantium differri, nec non aliquem Canonicum non participare de Præ- „ benda ob ejus non promotionem ad Subdiaconatum, prout in capitibus „ veteribus 8., & 9. dicti fructus Præbendæ vacantis accrescant aliis Præ- „ bendis Canonicorum servientium dumtaxat. Interpretatio denique, quæ

Sess. 24. c. 12. de Ref.

ex

ex usu habetur, ea fuit ad nostra usque tempora, ut satis esset Ordo Subdiaconatus, nam fere semper in eo Capitulo fuerunt Canonici, qui ad obitum usque in hoc tantum Ordine permanserunt, & quod magis est Prioratum, seu, ut nunc vocatur, Decanatum obtinuerunt, licet Subdiaconi tantum essent, idque tum recentibus, tum vetustis monimentis comprobatur.

Anne 1718. Visitationem illius Ecclesiæ agente clar. mem. Cardinali Zondodario, cum ex octo Canonicis tres essent Presbyteri, sed primus districtus esset munere, quod exercebat Confessarii Sanctimonialium, alter senio confectus esset, tertius vero servitium præstare non teneretur, cum de Coadjutore provisus esset, timens ipse periculum, ut *deesset Canonicus, qui Sacrum celebrare valeret statutis diebus*, Judicio Sacræ Congregationis Visitationis definiendum reliquit, *An singuli Canonici teneantur, & intra quod tempus suscipere Ordinem Presbyteratus, ne Ecclesia debito servitio fraudetur ad formam statuti cap. 9.* Causa vero in eadem Sacra Congregatione numquam proposita fuit, & plures Canonici in eodem Subdiaconatus Ordine permanserunt. Anno vero 1740. cum ad vigesimum quintum ætatis annum pervenisset Canonicus Augustinus Lhulliè neque ultra Subdiaconatum ad alios Sacros Ordines promotus fuisset, presto fuit, qui ejusdem Canonicatum tamquam Presbyteralem impetrare non dubitavit, sed contradicente eodem Canonico, & probante Canonicatum non esse Presbyteralem, retenta fuit in Dataria Apostolica Impetratoris supplicatio, neque umquam relaxata fuit. Denique, ut res definiretur, Eminentissimus Dominus Cardinalis Sacripantes, cum nuper ejusdem Ecclesiæ Visitationem ageret, decrevit, ut „ exquiretur a Canonicis intra trimestre Oraculum Sacræ Congregationis Concilii Tridentini: An scilicet teneantur omnes, & singuli Canonici ad sacrum Præsbyteratus Ordinem promoveri facere „ Vix igitur eodem Titulo donatus fuit Eminentissimus Dominus Cardinalis Chisius curavit, ut idem decretum adimpleretur. Precibus itaque Sacro huic Tribunali oblatis, rogatus fuit idem Eminentissimus Dominus Cardinalis Chisius, ut hac de re animi sui sententiam aperire dignaretur. Ipse censuit cogendos omnes ad Sacerdotium suscipiendum, Causa nunc proponitur, pugnantque hinc inde scriptis Libellis Canonici. Vis est in interpretatione statutorum, nam Juris est non ambigui eos neque ex dispositione Juris, neque ex Lege Fundationis, seu Erectionis ad Sacerdotium suscipiendum teneri. Judicium itaque erit Eminentissimorum Patrum, ut, quæ verior videatur, interpretatione accepta definiant.

An Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Angeli in Foro Piscium teneantur suscipere Ordinem Diaconatus, & Presbyteratus etiam vigore statutorum, & reformationum ejusdem Ecclesiæ in casu &c.

Negative.

Sess. 22. decret. de obs. & evit. in celebr. Miss.

MOGUNTINA INDULTI: Duas tenet Arces Franciscus Lotharius Liber Baro de Mairofen. Aulebacensem Jure Feudi, Glingenbergensem Jure Custodiæ. In utraque Sacellum est, & sexaginta fere ab hinc annis in utroque Sacra fieri coeperunt auctoritate Ordinaria. Cum utrumque Incolis commodum, & facilior, ac tutior, quam ad Parochiales Ecclesias, esset accessus, hyemali præsertim tempore, quo nives imbresque in ea Regione frequentes vias reddunt difficiles, & pene invias, tam Incolæ Aulebacenses, quos milliare Germanicum a Parochiali Ecclesia separat, quam Incolæ Clingenbergenses, qui arduum montem, in quo sita est Parochialis Ecclesia, superare deberent, non solum diebus Domini, sed aliis etiam anni solemnioribus Festis Oratoria hæc celebrare coeperunt, & Sacra in iis audire. Ipsi Parochi, qui commoditati Parochianorum suorum, & præsertim puerorum, senum, ac fœminarum, quæ vel utero gererent, vel filios lacte nutrirent, prospi-

prospicere voluerunt, consensum suum facile præstiterunt, ut prævio æris tinnuli, sive campanæ sonitu, vel a Cappellanis ejusdem Baronis, vel ab aliis Sacerdotibus, & Regularibus ab eo evocatis diebus omnibus Festis sacra fierent, conciones haberentur, Sacramenta Poenitentiæ, & Eucharistiæ, & quidem in Cappella Aulebacensi omnibus indistincte sive domesticis, sive exteris, in Clingenbergensi vero solis domesticis ministrarentur, itaut licet eadem Oratoria publica revera non essent, omnes tamen Sacrum in iis audientes Festis diebus, satis præcepto fecisse censuerint, neque hac de causa scrupulum unquam sibi ipsis injecerint.

Ut igitur Animarum saluti, & Incolarum commoditati consuleret, idem Baro postulavit a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO Indultum, quo eadem Oratoria publica fierent, itaut, qui Sacrum in iis audiant Festis diebus, Ecclesiasticum præceptum impleant, sive exteri sint, sive domestici, & valeant Parochi conciones habere, & Sacramenta ministrare. Postulationis hujus cognitio Eminentissimis Patribus data fuit: Auditis tum Nuncio Apostolico tum Officiali Moguntino pro concessione Indulti, ab utroque responsum fuit, nisi quod Officialis Moguntinus non expedire censuerit in Oratorio Clingenbergensi conciones haberi, & Sacramenta præterquam infirmis ministrari, ne detrimentum Parocho inferatur, quamquam id concedendum esse censeat Oratorio Aulebacensi ex causa majoris distantiæ ab Ecclesia Parochiali. Humani tamen aliquid passum fuisse Officialem Moguntinum dicit Baro, cum venia habendi conciones, & Sacramenta administrandi petatur, ut vel ipsi Parochi, vel alii Sacerdotes, ipsis tamen consentientibus, hæc agere possint, non ut Parochi cogantur, non ut, ipsis invitis, hæc fieri valeant, itaut nullum esse possit detrimentum Parochi Clingenbergensis. Causa itaque nunc proponitur, & pluribus differit Baro Indultum, de quo agitur, concedi posse: respondendum igitur erit.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti in casu &c.

Affirmative arbitrio Eminentissimi Archiepisc. juxta formam suppositionis salvis juribus Parochialibus.

MURANA PAROCHIALIS: Vacata mense Majo anni 1753. Parochiali Ecclesia Terræ Raponis, Muranus Episcopus, ut Terræ illius Sacerdotibus, quos in visitatione habita sequenti mense Junio necessaria doctrina destitutos agnoverat, tempus studiis vacandi indulgeret, consulto Concursum protraxit ad diem 10. mensis Octobris. Adventa die, unus venit Xaverius Pinto, deterritis aliis Sacerdotibus a Michaele ejus Patre. His cognitis ab Episcopo, Concursum prorogavit ad diem 23. ejusdem Mensis. Duo nomen dederunt idem Xaverius, & Joannes Chiaja, sed hic opera Michaelis ad examen non venit: differri itaque res debuit in diem sequentem, qua uterque ab Examinatoribus reprobatus fuit. Noscens Episcopus Jus devolutum esse ad Sanctam Sedem literas dedit ad Eminentissimum D. Cardinalem Pro-Datarium, qui censuit tertio indicendum esse ab Episcopo Concursum, & si vel nullus veniret, vel omnes reprobarentur, Sacerdotem ipse suo judicio idoneum datis literis renunciaret. Indictus itaque fuit tertius Concursus die 11. Julii transacto anno 1754 tres nomen dederunt Xaverius ille Pinto Michaelis Filius, Joannes Zazzarinus, & alter Xaverius Pinto Antonii filius, qui, licet ultima die termini venerit, admissus tamen fuit sine aliorum contradictione. Reprobati fuerunt in examine duo priores, approbatus fuit Xaverius Pinto filius Antonii.

Sess. 24. c. 18. de Regul.

Hunc igitur elegit Episcopus datis literis ad Eminentissimum D. Cardinalem Pro Datarium, & frustra sese contradictorem præstante Xaverio reprobato, expeditæ fuerunt Literæ Apostolicæ. Nondum tamen approbatus Xaverius possessionem nactus est, quia nondum superari ab eo potuerunt impedimenta omnia, quæ reprobatus Xaverius injecit. Inter hæc fuerunt preces ab

eodem

eodem Sacro huic Tribunali oblatæ. Auditus Episcopus rem, uti narravimus, narrat, & secundum approbatum electumque Xaverium respondet, addens audiendas non esse testificationes contra mores ejus, atque honestatem a reprobato Xaverio proponendas, quod a Michaele Patre, & Patruo Testes circumventi fuerint: Approbatum Xaverium optimis moribus imbutum esse, integrumque vitæ scelerisque purum semper fuisse, cum a puero per annos tresdecim inter Alumnos moram traxerit in Seminario, in quo adhuc degit Præceptoris munere fungens. Causa nunc proponitur, atque eadem urget in suo libello Xaverius Pinto Antonii filius, addens Testium retractationes. A Xaverio Pinto Michaelis filio, qui reprobatus fuit, nihil habuimus. Dubium est.

An constet de nullitate Concursus, seu de mala relatione Examinatorum, & sit faciendus novus Concursus, seu potius sustineantur Literæ Apostolicæ provisionis Parochialis Terræ Raponis Muranæ Dioecesis in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Sess. 24. c. 15. de Ref.

AVERSANA NULLITATIS UNIONIS: Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Aversanæ quatuor Dignitates, & viginti quatuor Canonicos numerat: sunt quoque in eadem Ecclesia decem, & octo Hebdomadarii. Quatuor Dignitates, & duo Canonici Theologus, & Pœnitentiarius Præbendas habent, cæterorum Canonicorum redditus sunt in solis distributionibus quotidianis: Hebdomadarii quoque Præbendas non habent, sed solas percipiunt quotidianas distributiones, eorumque redditus ascendunt ad annuos ducatos 30. circiter. His Summus Pontifex Clemens VIII. anno 1594. concessit, ut Rocchetto, & Cappa uti possent. Cum anno 1753. Visitationem ageret Aversanus Episcopus, ab eo postularunt Hebdomadarii, ut tria Beneficia simplicia, quæ nunc possidet Michael Sagliocco ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, ipsis uniret; rationes hujus unionis erant, quo „ ipsis majorum sumptuum occasio ob recentiorem nempe Rocchetti, & Cappæ habitum, quo haud jam pridem erant insigniti, supraddita fuerit, & e „ contra singularum Præbendarum redditus ad annuos Regni ducatos 40. circiter prius ascendentes, temporum injuria sint adeo imminuti, ut vix „ modo attingentes una cum incertis, & quotidianis distributionibns Regni ducatos 24. vel ad summum 30. circiter, necessariæ ipsorum substentationi minime sufficerent. His adjungebant coactos fore, nisi redditus „ augerentur: dimittere Hebdomadariatus, deserere Cathedralis servitium, „ atque aliam appetere receptitiam Ecclesiam A. G. P. ejusdem Civitatis „ Aversæ, in qua singuli Sacerdotes adscripti minoribus licet oneribus gravati, ampliora lucrantur emolumenta ultra scilicet annuorum ducatorum 60. „ Cognitionem hujus postulationis dedit Episcopus Vicario suo Generali, coram quo, non audito Canonico Sagliocco eorumdem Beneficiorum possessore, res acta fuit inter Hebdomadarios, & Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis. Tandem Episcopus prævio consensu Capituli „ ne debitis „ fraudaretur obsequiis divinus cultus, neve Ecclesiæ Cathedralis servitium „ facili negocio desereretur, auctoritate Ordinaria prædictis Hebdomadariatibus, & cuilibet ipsorum distributive tantum rata in perpetuum univit „ tria Beneficia simplicia liberæ collationis simul reddentia annuos fructus „ ducatorum Regni 140. circiter „ sine tamen detrimento Canonici Sagliocco eorum possessoris.

Displicuit Canonico Sagliocco hæc unio, & vocato in Jus coram A. C. Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis, sententiam obtinuit, qua unionis illius nullitas declarata fuit, sed hæc sententia, instantibus Hebdomadariis, circumscripta fuit a Tribunali Signaturæ Justitiæ. Saglioccus igitur sese ad hoc Sacrum Tribunal convertit: Auditus Episcopus ea habet, quæ supra retulimus. Disputat nunc Saglioccus nullam fuisse unionem, sive spectetur Jus anti-

antiquum Decretalium, sive novum Tridentini: Et quidem Jure decretalium requiri in unionibus utilitatem, & necessitatem præcisam; deficere hæc in casu præsenti, cum commentitium sit sumptuum augumentum ex nuper impetrato usu Rochetti, & Cappæ, quando ejus usum obtinuerunt Hebdomadarii usque ab anno 1549. Commentitiam pariter esse reddituum diminutionem, cum redditus singulorum Hebdomadariorum semper fuerint in annuis ducatis 30. circiter, qui augeri quidem, minui vero non possint, quique in Civitate Aversæ satis superque sint ad vitam honeste ducendam, cum taxa synodalis sit ducat. 24. Timendum non esse, ut Hebdomadarii Cathedralem deserant Ecclesiam, & in aliam receptivam se conferant, nam in ea, subductis oneribus sacrorum, quibus gravantur, non alium redditum perciperent, quam ducatorum 30., & removeri possent ad nutum, quod in Cathedrali timere non possunt, cum veri sint Beneficiarii; hinc ab illa receptiva Ecclesia curant in Cathedralem transferri, numquam e Cathedrali ad illam Ecclesiam: Jure etiam novo Tridentini nullam fuisse unionem, cum hæc facultas data sit *pro substinendo decenti Canonicorum gradu*, non vero Cappellanorum, seu Hebdomadariorum, & quod magis est, uniones fieri posse Præbendis, non vero Personis, ut factum est ab Episcopo Aversano, quando Hebdomadarii nullas habent Præbendas, sed solas distributiones percipiunt; Ex his facile colligi unionem factam nullam fuisse, neque permittendum esse Episcopo, ut ad novam deveniat; Hæc Saglioccus. Ab Hebdomadariis nihil habuimus. Duo sunt Causæ Dubia.

I. *An constet de nullitate unionis in casu &c.* & quatenus Affirmative.

II. *An sit permittendum Episcopo devenire ad novam unionem in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative.

ACERRAUM CATHEDRATICI: Duos Capos vulgo *Capponi* Cathedratici nomine præstare solebant Acerrarum Episcopo singuli Ecclesiastici singulis annis. Modum hujus pensationis mutavit Episcopus anno 1745. decreto lato, ut, qui Dignitates obtinerent, julios 20., qui Canonicatos julios quindecim, qui simplices essent Sacerdotes carolenos sex, Clerici quatuor, Ecclesiæ vero julios 20. penderent. Decretum hoc impletum fuit ab omnibus Ecclesiasticis tam Civitatis, quam Diæceseos, paucis exceptis Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, quos inter Archipresbyter, & Primicerius, qui ope veteris consuetudinis ab hoc Decreto appellarunt ad Sedem Metropolitanam. Sed causa in ea Audientia non definita, delata fuit ad Tribunal A. C, a quo avocata fuit Decreto Eminentissimi Cardinalis Pro-Auditoris Sanctissimi Domini Nostri, & ejus notito Eminentissimis Patribus data fuit. Disputat itaque nunc Promotor Fiscalis taxam decreto Episcopali constitutam argui non posse de excessu, cum longe major ea sit, quæ a Concilio Romano *Tit.*8. *cap.*4. præfinita fuit, cum ex ea simplices Clerici pendere debeant julios 20. mitior itaque taxa Episcopalis, qui hanc summam Dignitatibus constituit, nulla etiam habita ratione Beneficiorum simplicium, quæ iis adnexa sunt. Ab Archipresbytero, & Canonicis nihil habuimus. Dubium est. *Sess.* 24. *c.* 13. *de Ref.*

An a quibus, & in qua summa sit solvendum Cathedraticum Episcopo Acerrarum in casu &c.

Dilata ad primam Septembris.

Die Sabbathi 2. Augusti 1755.

Sess. 25. c. 12. de Ref.

ASCULANA BENEPLACITI APOSTOLICI. Causa hæc in ultima Amplissimi Ordinis Congregatione habita die 12. transacti mensis Julii dilationem obtinuit ad hanc Congregationem. Poterunt itaque nunc Eminentissimi Patres, repetita lectione Folii ejusdem ultimæ Congregationis, respondere. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

In decisis, & amplius.

Sess. 7. c. 15. & sess. 25. c. 8. de ref.

PARMEN. HOSPITALIS. Propositis in eadem ultima Congregatione tribus hujus Causæ Dubiis Eminentissimi Patres respondendum censuerunt - *Dilata, & exhibeantur relationes Episcopi*. Cum itaque nunc eædem relationes exhibeantur a Sodalitio, expedienda erunt eadem tria, quæ subiicimus, Dubia.

I. *An sit locus prætensæ reintegrationi Hospitalis Beatæ Mariæ Virginis de Misericordia Castri Novi Parmen. Diœcesis ejusque Oratorii, itaut sit a Reverendissimo Episcopo rebenedicendum*, & quatenus affirmative.

II. *An debeant in eodem Hospitali, seu Oratorio reponi Campanæ, & in eo possint celebrari Sacra, & retineri Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro servitio infirmorum, necnon sepelliri cadavera infirmorum, qui in dicto Hospitali decedant in sepulcris ejusdem Oratorii*, Et quatenus affirmative.

III. *An Cappellanus pro tempore dicti Hospitalis, seu Oratorii possit independenter a Parocho ministrare infirmis in dicto Hospitali degentibus* Sacramenta, *eorumque cadavera in prædictis sepulcris sepellire in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative quoad repositionem Campanæ, & celebrationem unius Sacri tantum pro servitio Infirmorum tantum. In reliquis Negative. Ad III. Negative.

Sess. 24. c. 5. de Ref. matr.

LISBONEN. NULLITATIS MATRIMONII: Imperio Eminentissimorum Patrum hæc Causa proponitur, quæ data in Folio Congregationis habitæ die 7. superioris mensis Junii responsum accepit - *Dilata ad primam Augusti etiam unica*. Rogamus igitur eosdem Eminentissimos Patres, ut repetita lectione Folii ejusdem Congregationis, Dubium ejus expediant, quod est.

An Literæ Apostolicæ in forma perinde valere expeditæ die 12. *Septembris* 1750. *sine servandæ, itaut sit standum in primo, vel in secundo, & tertio loco decisis in casu &c.*

Dilata, & ad mentem, & mens est, quod coram Nuncio Apostolico examinentur testes formiter, & compulsentur jura juxta instructionem.

Sess. 14. c. 12. & sess. 24. c. 18. de Ref.

RUREMUNDEN. VICARIÆ: Hæc quoque Causa data fuit in eodem Folio Congregationis habitæ die 7. mensis Junii, propositoque ejus Dubio - *An sit relaxanda supplicatio favore Rev. Thynen, sive potius sustineri debeat prætensus Concursus indictus ab Episcopo Ruremundensi in casu &c.* Respondit Sacrum Tribunal - *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*. Redit nunc ad novum Eminentissimorum Patrum judicium, & respondendum est.

An

Dilata ad primam post Aquas.

ALBINTIMILIEN. MATRIMONII. Data fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 22. Maii anno 1751., quod in lucem hominum editum fuit *Vol.XX. Thes. Resol. Sac. Congreg.*, sed nullam ea die definitionem accepit, cum visum fuerit Eminentissimis Patribus esse respondendum - *Pro confectione processus juxta mentem*. Data iterum fuit post confectum processum in Folio ultimæ Congregationis habitæ die 12. transacti mensis Julii, sed proponi non potuit. Cum nunc proponatur, expediendum erit Dubium. *Sess. 24. c. 1. de ref. mat.*

An constet de nullitate matrimonii in casu &c.

Non proposita.

OMOLUCEN. JURISDICTIONIS: Definita fuit hæc Causa in Congregatione habita die 7. Junii contra Patres Præmonstratenses, Cistercienses, & Benedictinos. XVI. ejus erant Dubia „ An Parochi Regulares, cujuscumque Ordinis illi sint, & præsertim Præmostratenses, Cistercienses, & „ Benedictini, exercentes curam animarum personarum sæcularium, & non „ Commensalium in Parochiis in Diæcesi Omolucensi, licet illæ Monasteriis exemptis sint unitæ, & annexæ, sive sint de Jurepatronatus, etiamsi „ cura animarum residere dicatur in Abbatibus, Visitationem Episcopi subire teneantur in iis, quæ pertinent ad curam animarum, sive Episcopus „ visitet per se, sive per alium, non obstantibus Privilegiis dictorum Monasteriorum? *& quatenus affirmative*. II. An dicti Parochi Procurationem „ solvere teneantur? Vocati ad Synodum accedere sint cogendi? Festa „ Diæcesis Populo annunciare, & celebrare? pariter Chrisma, & Olea „ Sancta ab Episcopo Diæcesano accipere teneantur? III. An Parochi Regulares, etiamsi sint Abbates, possint a Superioribus Regularibus ad „ Curam Animarum destinari, illamque exercere sine approbatione „ Episcopi? IV. An Regulares dari in Coadjutores dictorum Parochorum possint a Superioribus Regularibus sine expressa licentia Episcopi: sive potius sit in potestate Episcopi in approbatione Confessariorum „ regularium limitare eorumdem facultates non solum quoad tempus, sed „ etiam quoad personas, & loca, in quibus debent confessiones audire? V. „ An liceat sive Abbatibus, sive Parochis regularibus, præsertim Cistercienfibus, pro libitu, & sine licentia Episcopi pro Parochiis modo unam, „ modo alteram Ecclesiam, sive Cappellam, in qua Sacramenta a Parochis „ administrentur fidelibus Diæcesis Omolucensis, constituere? VI. An „ Prælati Regulares, ubi habent purum Juspatronatus Parochiarum acquisitum, vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur Episcopo „ præsentare Sacerdotes sæculares, ut antea laici tenebantur; an vero possint substituere Monachos, eosque pro libito, non salutato Episcopo, removere? VII. An ad Episcopum spectet cura clausuræ Monasteriorum „ Monialium Regularibus, & præsertim Cisterciensibus, & Benedictinis „ subjectarum, eamdem clausuram demandare servandam ad præscriptum „ Sac. Concilii Tridentini? *& quatenus affirmative*. VIII. An competat „ Episcopo Prælatis Regularibus præsertim Cisterciensibus, & Benedictinis „ prohibere, ne pluries in anno occasione Visitationis ingrediantur septa Monasterii Monialium sibi subjecti sine præsentia ejusdem Episcopi, sive alterius personæ ab eo deputandæ? IX. An possit Episcopus inhibere Regularibus præsertim Cisterciensibus, & Benedictinis, ut sine examine Ordinarii Puellas ad habitum, & Professionem admittant, & præcise, ne ad electionem Abbatissarum exemptarum deveniatur, non significata Ordinario

Sess. 6. c. 2. de refor. sess. 24. c. 11. de refor. sess. 25. c. 5. 9. & 11. de reg. & sess. 25. decret., & Reliq. & Sac. Imag.

„ die electionis, cui Episcopus sive per se, sive per alium interesse, & præ-„ sidere possit? X. An competat Episcopo rationes exigere ab Administrato-„ ribus Bonorum temporalium dictorum Monasteriorum exemptorum Mo-„ nialium, & in Administratores delinquentes animadvertere, illosque ad „ reliquatum solvendum cogere, & prohibere, ne dotes alienentur sine In-„ dulto Pontificio, & Episcopi licentia? XI. An Confessarii ab Episcopo „ approbati ad audiendas Confessiones Fidelium utriusque sexus possint sine „ speciali approbatione Episcopi, in Confessarios Monialium exemptarum „ a Superioribus Regularibus destinari? *& quatenus negative*. XII. An „ saltem dicti Confessarii Regulares pro audiendis Confessionibus unius Mo-„ nasterii Monialium exemptarum, vel pro una vice approbati, censeri de-„ beant approbati semper, & pro omnibus Monasteriis Monialium? XIII. An „ Regulares teneantur pro obtinenda facultate audiendi Confessiones, sive „ sæcularium, sive Monialium se personaliter coram Episcopo præsentare, „ sive potius sufficiat a Superioribus de sufficientia, & idoneitate testimo-„ nium transmitti? XIV. An Prælati, & Abbates regulares possint sine „ speciali Indulto Calices, Campanas, aliaque vasa sacra, in quibus inter-„ venit Sacra Unctio, benedicere pro usu aliarum Ecclesiarum? XV. An „ dicti Abbates, & Prælati teneantur servare Decretum ab Alexandro VII. „ editum circa usum restrictum Pontificalium Prælatis inferioribus conces-„ sum? XVI. An liceat Regularibus Eucharistiam in propriis Ecclesiis ex-„ ponere sine licentia Ordinarii, liceatque pariter Regularibus, & præser-„ tim Benedictinis, & Cisterciensibus in propriis Ecclesiis insolitam Imagi-„ nem, aut Sacram Reliquiam ab Ordinario non approbatam exponere, & „ tandem in eisdem Ecclesiis prædicare, non petita ab Ordinario Benedi-„ ctione, aut in aliis Ecclesiis sine Ordinarii licentia in casu &c.?

Respondit his Sacrum Tribunal: „ Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative. Ad „ III. Negative. Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad se-„ cundam. Ad V. Negative. Ad VI. Affirmative ad primam partem, ne-„ gative ad secundam. Ad VII. Affirmative. Ad VIII. Affirmative. Ad IX. „ Affirmative. Ad X. Affirmative. Ad XI. Negative. Ad XII. Negati-„ ve. Ad XIII. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad „ XIV. Negative. Ad XV. Affirmative. Ad XVI. Negative „. Causa nunc reproponitur, & respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

Sess. 25. c. 19. de Ref.

MEDIOLANEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Species hujus Causæ habetur in Folio Congregationis habitæ die 22. superioris mensis Martii. Proposita quidem ea die Causa fuit, sed non definita, jubentibus Eminentissimis Patribus, ut iterum proponeretur: Nunc itaque urgente P. Ludovico Gaddio, iterum proponitur, ut expediatur Dubium.

An constet de nullitate professionis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess. 14. c. 17. de Ref.

AVERSANA IRREGULARITATIS. Cum mense Septembri anno 1752. Subdiaconus Antonius Cacciapuoti Terræ Juliani Aversani Diæceseos paterna domo egressus, armatusque parvo tormento bellico venatorio, in prædium rusticum, quod a suis colebatur, concessisset, inde in proximum vicum, cui nomen *Zaccaria*, ut aliquid ibi obsonii sibi compararet, divertisset, ingressus macellum jurgatus est cum Lanione Angelo Maurellio. Jurgii causa ignoratur, nullum enim pridem cum eo dissidium, nulla lis intervenerat: Verisimile itaque fit jurgio causam dedisse, aut carnis qualitatem,

aut

aut pondus minus legitimum. Quidquid igitur hujus rei sit, Subdiaconus a Lanione asperis verbis exceptus asperiora regressit, & ita Lanio ira excanduit, ut *arrepta macelli securi, vultu minaci Antonium insectaretur, qui vitæ suæ timens, ut illius impetum retardaret, obverso sclopo, fistulæ summitate Lanium percussit in adversa corporis parte subter costas spurias*. Lanio ex hoc ictu humi prosternitur, expelluit Antonius, accurritque Lanioni opem laturus, sed frustra, ille enim post horæ quadrantem decessit: neque fugit Antonius, sed ultro sese Lictoribus obtulit in carceres coniiciendus. Detentus in his fuit sex mensibus, inde, lata sententia, in exilium pellitur ad septennium, reservata Episcopo facultate pœnæ minuendæ. Constat ex processu Fiscali peritos Medicos, Chirurgosque corpus defuncti Lanionis inspexisse, „ & omnia diligenter scrutatos nihil aliud observasse in exterio„ ri corporis parte preter lividam vibricem figuræ orbicularis, secto inde „ cadavere, viscera, intestina, omnesque intimas partes rimatos, earum „ nullam invenisse corruptam, nullamque sanguinis eruptionem interius fa„ ctam; unde conjecerunt percussionem illam adeo gravem nec fuisse, nec „ esse potuisse mortis causam, sed potius occasionem, eo magis, quod Mau„ rellius comitiali morbo laborabat, ætate erat admodum provecta, & cor„ pore male affecto, quod indicabat etiam, tum, cum viveret, faciei deterrimus color.

Hæc refert Episcopus, qui Subdiacono auctor fuit, ut dispensationem postularet ab irregularitate, sed hæc postulatio ab Eminentissimis Patribus rejecta fuit die 26. superioris Mensis Aprilis. Nunc, re melius perspecta, negat Irregularitatem contractam fuisse, quia reus homicidii dici nequeat, qui occasionem tantum mortis præbet, non causam, ut ex Jurisperitorum sententia disputat *Lesius de Justit. & Jur. lib.2. cap.9. dub.15. Farinac. de Homicid. qu.127. par.1. n.26.* Quod, si etiam homicidii reus dici posset, non ideo tamen contracta fuisset irregularitas, quia id factum fuit ad tutelam corporis sui, & servato moderamine, ut est in *Clement. si Furiosus de Homicid. &c.* ubi Pontifex respondet - *idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mutulat Invasorem*. Moderamen autem a Subdiacono servatum fuisse patere manifesto, cum tormentum bellicum in Lanionem stricta securi vultuque minaci irruentem non exploserit, neque ad explodendum aptaverit, sed ictum impegit, ut ejus dumtaxat impetum retardaret; si qua demum superesset difficultas, consulendum esse *Sanctissimo* pro dispensatione *ad cautelam* disputat Subdiaconus *ex cap. significasti 2. de Homicid.* ubi Innocentius III. rescripsit - *si percussio Medicorum Judicio læthalis non fuit, percussor post pœnitentiam ad cauthelam injunctam poterit in Officio Sacerdotali ministrare* - atque ita servasse hoc Sacrum Tribunal in *Cassanen. Irregularitatis* 14. *Dec.*1748., ut in *Thes. resol. Sac. Cong Vol.XV.* Hæc Subdiaconus. Dubium est.

An constet de irregularitate Subdiaconi Antonii Cacciapuoti, sive potius consulendum sit Sanctissimo pro dispensatione ad cauthelam in casu &c.

Esse consulendum Sanctissimo pro dispensatione.

POSNANIEN. JURIS OPTANDI: Duos tenet Canonicatus Chrisostomus Szezycinski, alterum in Ecclesia Cathedrali Uladislaviensi, alterum in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi. Cum autem anno 1749. Jura suæ Parochialis Svviczitchoviensis tuendi causa Romæ esset, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus postulavit, ut ab Uladislaviensi Ecclesia abesse posset, & lucrifacere sui Canonicatus fructus: De Posnaniensi nullum verbum habuit, ratus nullum a Capitulo illius Ecclesiæ sibi præstiturum impedimentum quod eum Romam venientem amplissimis literis commendasset. Die igitur 21. Mensis Novembris anno 1750. Indultum obtinuit ad sex menses, amissis *Sess.21. cap.1. de ref.*

ta-

tamen distributionibus quotidianis, vel tertia parte, si fructus omnes Canonicatus in his consisterent. Ttansacto tempore, novas obtulit preces, & die 13. Januarii 1751. rescriptum fuit *deberi Oratori fructus omnes sui Canonicatus a die discessus per totum ann.* 1750. *amissis tamen &c.* Tertio tandem preces obtulit *pro Gratia* prorogationis ad alios sex menses, eamque obtinuit die 10. Julii anno 1751. Uladislaviam reversus, & his rescriptis Capitulo exhibitis, fructus sui Canonicatus obtinuit. Cum vero die 9. Julii anno 1753. generale Capitulum Posnaniense haberetur, Chrisostomus eadem exhibuit rescripta, sed vitiata, & corrupta, ut quæ pridem solum Uratislaviensem Canonicatum, postea etiam Posnaniensem complecterentur. Agnita fuit facillime corruptio, & falsitas, denegati fuerunt fructus, retentæ preces cum rescriptis *uti Corpus delicti*, indictumque fuit Chrisostomo a Capitulo, ut sese ab hoc crimine purgaret. Ille igitur die 19 Julii eodem anno protestationem emisit in actis Curiæ Varsaviensis, qua se purum ab hoc crimine decebat, reumque accusabat Procuratorem suum in Urbe: se usum rescriptis illis precibusque *per jocum*, eaque mente, ut fructus in utilitatem Sacrarii erogarentur. Hæc protestatio ad Capituli Posnaniensis notitiam ab eo deducta non fuit.

Festo die S. Martini habitum fuit aliud generale Capitulum, in quo de vita, & moribus Canonicorum haberi solet inquisitio, & licet Crisostomus censuram, ut alii, subiisset, falsi tamen crimen hoc ei objectum non fuit, immo Commissarius Capituli renunciatus est, & futuræ Optionis Præstimonii capax declaratus. Sed cum paulo post, optioni huic locus factus fuisset, Capitulum *Septimanale* Chrisostomum, uti Optio procul dubio debebatur, uti de falsitate diffamatum rejecit, prætulitque Canonicum Josephum Gorzenscki. Appellavit Chrisostomus ad Nunciaturæ Tribunal, quod censuit reservandam esse Eminentissimis Patribus cognitionem de falsitate rescriptorum, apposuitque interim sequestrationem redditibus controversi Præstimonii, donec Causa definiretur. Re igitur ad hoc Sacrum Tribunal delata, auditus fuit Nuncius Apostolicus, qui falsitatem quidem agnoscit, reum tamen non censuit Chrisostomum, sed Romæ fraudem factam fuisse opinatur, ipsasque preces, & rescripta, ita uti Capitulo Posnaniensi exhibita fuerant, literis suis adjunxit. His diligenter inspectis, Periti scriptores tum ex comparatione literarum, tum ex aliis, quas retulerunt, rationibus sub jurisjurandi religione judicarunt, vitiata fuisse a Chrisostomo. Procurator quoque, cui crimen in protestatione Chrisostomus impegit, testificationem juratus edidit, qua negat mandatum unquam habuisse, ut rescriptum aliquod obtineret. Causa nunc proponitur, & disputat Joseph, rectissimè a Capitulo rejectum fuisse Chrisostomum, uti de hoc falsi crimine apud graves viros diffamatum: Satis esse hanc infamiam *facti* ad eum repellendum, præsertim, ubi impictum crimen fundamento non caret, quod utile esse potuerit diffamato.

Eoque amplius hæc custodienda esse, quod res non sit de privatione Beneficii, sed agatur, ne illud diffamatus assequatur, quo casu solam diffamationem satis esse ex *Textu in leg.*2. §. *ultim ff. de Pœn.* tradunt *Covarruc. lib.*2. *Var. resol. cap.*8. *num.*4. *Garz. de Benef. par.*7. *cap.*8. *nu.*36. *Card. de Luca de præeminent disc.* 38. *num.*12., *& disc.*70. *num.*5. Addit Chrisostomum non solum diffamatum, sed criminis reum habendum esse ex judicio Peritorum, & testificatione Procuratoris: protestationem a Chrisostomo emissam spectandam non esse, sive enim per jocum, sive serio falsa rescripta ediderit, id unum in mente habuisse, ut Capitulum deciperet, semperque reum esse dicendum, quod sciens falso rescripto usus sit; Hæc Joseph. Contra Chrisostomus falsi crimen probandum esse concludentissimè: probandam esse falsitatem, dolum malum. Tertii detrimentum, auctorem falsitatis: abesse falsitatem, quia alteratio nihil aliud effecerit, quam explicare id, quod virtualiter in rescripto continebatur, cum eadem esset ratio Indulti ratione unius, & alterius Canonicatus; abesse dolum malum, cum nihil in utilitatem suam

a Ca-

a Capitulo Posnaniensi petierit Chrisostomus, sed in utilitatem Sacrarii, atque hac eadem ratione abesse detrimentum Tertii, cum non nocere, sed prodesse Sacrario voluerit; non probari Chrisostomum falsitatis auctorem, cum etiam id inverisimile fiat ex omnibus circumstantiis, fraudemque ei Romæ factam constare ex epistolis Agentis sui, & ex Testibus: Peritorum Judicium fallacissimum esse, neque spectandam comparationem literarum, cum agitur de probando gravissimo crimine falsi: denique nullam præcessisse sententiam, quæ necessaria fuisset, ut Chrisostomus jure Optionis privaretur. Videant igitur Eminentissimi Patres, qua juris ratione expediendum sit Dubium.

An falsificatio rescripti Sacræ Congr. obstet Canonico Szezycinski ad optandum Præstimonium, de quo agitur in casu &c.

Negative, & amplius.

Die Sabbathi 23. Augusti 1755.

MEDIOLANEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Dilationem petente *Defensore Professionis* in ultima Congregatione habita die 2. hujus mensis, Causa hæc definita non fuit: Damus itaque eam, ut, si scribat, definiri ab Eminentissimis Patribus nunc possit. Dubium ejus est. *Sess. 25. c. 19. de Reg.*

An constet de nullitate Professionis in casu &c.

Affirmative.

REATINA CAPPELLANIÆ. Licet in Congregatione habita die 7. superioris mensis Junii definita fuerit hæc Causa responso - *in decisis, & amplius* - Cum tamen Gratiosus, & Jannarellius Patroni *novam Audientiam* impetraverint, redit nunc ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, ut repetita lectione Folii Congregationis habitæ die 10. mensis Maii, respondeant. *Sess. 14. c. 12. & sess. 23. c. 9. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad III. Dubium in casu &c.

In decisis, & amplius.

MURANA PAROCHIALIS. Data fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 12. transacti mensis Julii, Dubioque ejus, quod erat - *An constet de nullitate Concursus, seu de mala relatione Examinatorum, & sit faciendus novus Concursus, seu potius sustineantur literæ Apostolicæ provisionis Parochialis Terræ Ramponis Muranæ Diœcesis in casu &c.* - responsum fuit - *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Ad novum nunc revocatur examen, & respondendum est. *Sess. 24. c. 18. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

AVERSANA NULLITATIS UNIONIS. Hæc quoque Causa data fuit in eodem Folio Congregationis habitæ die 12. transacti mensis Julii. Duo erant ejus Capita. *I. An constet de nullitate unionis in casu &c.* & quatenus affirmative. *II. An sit permittendum Episcopo devenire ad novam unionem in casu &c.* - His respondit Sacrum Tribunal *Ad I. Affirmative. Ad II. Negative.* Cum vero nunc reproponatur, decernendum erit. *Sess. 24. c. 15. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

RO-

Sess. 24. c. 12. de Ref.

ROMANA SACRORUM ORDINUM: Definita fuit ab Eminentissimis Patribus hæc Causa in eadem Congregatione habita die 12. mensis Julii, & Dubio ejus, quod erat - *An Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Angeli in Foro Piscium teneantur suscipere Ordinem Diaconatus, & Presbyteratus etiam vigore statutorum, & Reformationum ejusdem Ecclesiæ in casu &c.* - responsum fuit - *Negative*. Cum vero ad novum judicium hæc definitio revocetur, respondendum nunc erit ab Eminentissimis Patribus.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 21. c. 8. de Ref.

CIVITATIS CASTELLANÆ ADMISSIONIS AD LEGATUM STUDIORUM. Non latet Eminentissimos Patres Testamentaria dispositio Theophili Gargani Gallesini Civis, e qua tamquam ex equo Trojano milites, tot in Forum eruperunt controversiæ, cum de ea judicium tulerint in alia Causa. Hæredem hic scripsit Rempublicam suam, Civitatem nempe Gallesii, dato tamen onere, verba ipsa longa licet, necessario tamen hic sunt apponenda ,, quod ex fructibus, redditibus, & proventibus ejusdem hæreditatis meæ teneatur, & obligata sit semper, & in perpetuum manutenere hic in Urbe quatuor Adolescentulos EX DICTA MEA PATRIA ORIUNDOS, bonæ, & egregiæ indolis, & literarum studio operam dare volentes, & quo magis fieri possit, pulcrorum ingeniorum, & aptorum ad studia, ac habiles tamen, & idoneos, ut recipi, & admitti possint, saltem in secunda Classe Grammaticæ in Collegio Romano, & non alias, nec alio modo, a Consilio ordinario ejusdem meæ Patriæ nominandos, & si secus, nominatio invalide facta censeatur: Inter quos semper primario præferri debeant mei Consanguinei, secundario, illi Adolescentuli, QUI EX PARENTIBUS A DICTA MEA PATRIA SINT ORIUNDI, & pro hujusmodi manutentione supradicta mea hæres ex eisdem fructibus, redditibus, & proventibus solvere, & exbursare teneatur alicui ex Seminariis, vel Collegiis, aut Dozzenis Almæ Urbis, quæ Juvenes Literarum studiis operam dare volentes retinere, & educare solent, semper, & in perpetuum annua scut 80 monetæ pro quolibet Adolescentulo modo, & forma cum dictis Seminariis, Collegiis, aut Dozzenis conveniendis, ut in illis recipere, educare, & retinere debeant, donec cursum studiorum compleverint, dummodo tamen vires meæ hæreditatis ad dictum numerum quatuor Adolescentulorum manutenendum sufficiant, sin minus hæres mea præfata modo, & forma superius expressis manutenere teneatur tot Adolescentes juxta vires meæ hæreditatis.

Pergit Testator ,, Et postquam dicti Adolescentuli cursum studiorum hic in Urbe summa cum laude perfecerint, ad hoc, ut ibi majoribus Studiis, aut Legum, aut Medicinæ, vel etiam Sacrarum Literarum, aut aliarum Scientiarum operam dare, ibidemque sese commodius manutenere possint, & valeant, ab eadem mea hærede per aliud Triennium proximum tantum manuteneantur, & eisdem, & cuilibet ipsorum dicta annua 80. persolvantur: Et quatenus proventus, & redditus meæ hæreditatis, demptis tamen prius, & adimpletis præmissis omnibus, & singulis, annuatim supersint, vel in futurum quomodolibet superesse contigerit, id omne pro manutentione, & augumento aliorum Adolescentulorum modo, & forma, ut supra de aliis dictum fuit, erogari volo, dummodo in totum sextum numerum non excedant ,,. Amantissimi Civis voluntatem implevit Civitas hæres scripta, & quatuor primum Adolescentes elegit, inde auctis hæreditariis redditibus, additus fuit anno 1727. quintus Adolescens, anno demum 1750. impletus fuit numerus addito sexto Adolescente. Electionem conficit Civitas, præviis duobus edictis altero, quo indicit, ut qui ad locum vacantem concurrere velint, nomen suum profiteantur, & preces offerant, altero,

quo

quo diem certam indicit, qua Romæ a Præfecto Studiis Collegii Romani habiturum sit examen; Idonei selectique a Præfecto Adolescentes in Consilio generali Civitatis proponuntur, & qui plura numerat suffragia, vacantem locum implet. Plures vel Electionis, vel Prælationis causa actæ sunt Lites in Tribunalibus Urbis, numquam tamen definitum fuit, an Adolescens natus extra Civitatem *Matre Gallesina*, Patre tamen extero, & in Civium numerum non allecto eligi posset; Acta quidem fuit quæstio de Adolescente ex Matre Gallesina, sed vel ipse Gallesii natus erat, vel Pater ejus Civis lares fixerat in eadem Civitate.

Anno demum 1738. quæstio hæc acta fuit in Tribunali A. C. inter Civitatem, & Josephum Zazzeram Viterbiensem, qui Sententia in Rem Judicatam inde transacta rejectus fuit, *utpote destitutus qualitate Originis a Civitate Gallesii*. Sed hic non Patrem, non Matrem, non Avum denique Gallesium habuit, sed solam Aviam paternam Aureliam Ricciarelliam. Anno quoque 1750. Joachim Donatus Romæ natus Matre Gallesina Patre extero, Rescripto Sacratissimi Principi nostri impetravit, ut ad Concursum admitteretur. Supplicavit Civitas contra hoc Rescriptum, sed cum indictus jam dies Examinis instaret, Eminentissimus Dominus Cardinalis Pro-Auditor decrevit, *ut sine Præjudicio jurium utriusque Partis ad Examen admitteretur*. Cum inde in Examine reprobatus fuisset, idem Eminentissimus Dominus Cardinalis Pro-Auditor decrevit, *ut prævia reportatione Rescripti uteretur Jure suo coram quo de Jure*: Neque post hoc decretum litem hactenus egit. Litem nunc ipsam alter instaurat, nempe Fulvius Cælestinius non obscuri nominis in Romano Foro Causidicus. Hic enim, cum Uxorem duxerit Sanctam Gallesii natam ex antiqua Gallesina Gente Nardonia, amplique paterni patrimonii unicam hæredem, novem ex ea sustulit Filios, septem masculos, duas fœminas, utque onere tot Filiorum educandorum servaretur, preces obtulit transacto anno 1754. *Sanctissimo Domino nostro*, quibus postulabat ut „ Motu suo proprio *vellet* abilitare li suoi Figliuoli maschi già nati, e da „ nascere dal presente Matrimonio di Santa Nardoni di poter concorrere, & „ essere ammessi al godimento del prefato Legato (*nempe Theophili Gargani*) come oriondi ex latere materno, supplendo in questa parte ad ogni „ difetto, & altra interpretazione Legale, che potesse darsi alla detta qualità di Oriondi, con farli anche, e dichiararli in caso di bisogno, oriondi „ ex Privilegio dal medesimo Luogo pur l'effetto in modo tale, che non li „ possa ostare la qualità dell' Oriondità antedetta, provenendo sol tanto della detta loro Madre, e che questa solo loro sufficiente sia, e li faccia capaci a godere qualunque di dd. Luoghi di Studio, che saranno per vacare, „ purchè &c.

His precibus rescriptum fuit „ Ad Sacram Congregationem Concilii cum facultate etiam revidendi, quatenus opus sit, Sententiam R. P. A. C. Furietti, Eam nempe, quæ, ut supra narravimus, lata fuit anno 1738. contra Josephum Zazzeram Viterbiensem. Cum igitur quatuor interim Loca vacassent, & dies examinis immineret, negante Civitate Prosperum Fulvii Filium ad Concursum esse admittendum, Fulvio vero defendente esse admittendum, decretum fuit, ut *sine Præjudicio Jurium utriusque Partis ad Concursum admitteretur* -- Facto tamen experimento, Concurrentes omnes judicio Præfecti Studiis Collegii Romani reprobati fuerunt, & res ampliata fuit ad novum Examen habendum futuro mense Novembri. Narrat Cælestinius actum fuisse de transactione inter eum, & Civitatem, Advocatos utrinque electos fassos fuisse, Filios Sanctæ non posse repelli; dedisse eos modum, quo res componeretur; placuisse omnibus, & cum jam jam transigendum erat suasionibus aliquorum rem omnem infectam fuisse. Desperata igitur transactione, cum proximum sit novi Examinis tempus, ad Judicium Eminentissimorum Patrum veniunt, & Civitas, & Cives, & Cælestinius. Disputat Civitas, Filios Sanctæ Nardoniæ repellendos esse a Legato Gallesinis

Adolescentibus dato a Theophilo Gargano, quia neque nati sint Gallesii, neque Patre Gallesino, itaut iis convenire nequeant verba Testatoris -- *Adolescentulos ex dicta mea Patria Oriundos* -- *illi Adolescentuli, qui ex Parentibus a dicta mea Patria sint Oriundi* -- Cognitissimum esse Filios Patris, non Matris Originem sequi *leg. 1. ff. Ad Municipal. leg. Filios Cod. de Municip., & Origin. lib. x.*, ideoque Filios Sanctæ, licet natos Matre Gallesina, non posse dici *Oriundos*, sive Originarios ex Gallesio, ut præ cæteris late differit *Gutierez. cons. 7. per tot.*

Mater enim conventione in Matrimonium transit ad Civilitatem Mariti, & licet originem propriam ad aliquos Juris effectus retineat, hoc tamen personam ejus non egreditur, neque ad Filios porrigitur *Leg. Imperatores §. Item rescripserunt ff. ad Municipal. Leg. Mulieres Cod de Incol. lib. x.*. Hanc Juris dispositionem angustiorem etiam facere voluisse Theophilum Testatorem qui verbis hisce -- *illi Adolescentuli, qui EX PARENTIBUS a dicta mea Patria sint Oriundi* voluisse videtur, ut uterque Parens originarius Gallesinus esset; Frustra Filios Sanctæ urgere dispositionem Gallesini Statuti, a qua Cives efficiantur, qui *sive ex Patre, sive ex Matre Gallesina* orti sint, cum illa respiciat munera, & Honores Civicos, neque porrigi possit ad ea, quæ ex hominis dispositione veram propriamque originariam qualitatem requirunt, præsertim, ubi detrimentum veris atque originariis Civibus inferretur; id enim neque Statuentes, neque Testatorem ipsum voluisse censendum est; Eoque amplius, quod Statutum Cives quidem habeat eos, qui ex Matre Gallesina orti sint, sed si in ipsa Civitate nati fuerint, & in eo domicilium habeant; Ad rem non pertinere Sanctam lares, domumque habere Gallesii, & censum sive collectas solvere, nam, & exteri domum retinere possunt in aliqua Civitate, neque ideo Cives sunt; Domum retinere eam ratione bonorum, & fructuum, quos ex iis colligit, non habitationis denique, sed rusticationis gratia; Collectas etiam ab exteris solvi, quia solvuntur ratione bonorum: Rem denique definitam esse Sententia A. C. contra Zazzeram Viterbiensem, quæ in durioribus etiam circumstantiis lata fuerit; Actum fore de Adolescentibus Originariis, si Filii Sanctæ admittantur, eorum siquidem exemplo alios innumeros excludi amplius non posse, qui alibi nati sunt ex Matribus Gallesinis: difficillimum siquidem veris Gallesinis erit essequi loca vacantia, & iniqua inferretur inopi Civitati conditio, amissa spe percipiendi fructus, cessantibus idoneis Adolescentibus; Nullum denique locum esse æquitati ratione numeri tot filiorum quibus Fulvius oneratur; Voluntas enim Testatoris spectanda est, non æquitas, satisque amplum Fulvio patrimonium esse, largasque opes, quibus liberis consulat.

Hæc Civitas, & Cives; Contra Cælestinius a veri specie recedere disputat Cives, & Civitatem; Non hic de Juris Quiritium dispositione agi, sed de Jure Municipali; Hoc Jus spectandum esse, non Romanum; Neminem latere præsumptionem illam Juris, quæ vult Testatores dispositiones suas conformes reddere voluisse Statuto suæ Civitatis; Gallesino Statuto cautum esse, ut Cives habeantur, qui *sive ex patre, sive ex matre Gallesina* orti sunt: Ampliandam hanc esse dispositionem, non adstringendam ad munera, & honores Civitatis, cum res sit de Testamentaria dispositione hominis, qui ex Studiis liberalibus Adolescentium præ oculis habuit splendorem, & gloriam Patriæ suæ; Eoque amplius, quod inficiari non possit filios Sanctæ dicendos esse *Originarios*, quoties mater ortu ipso Gallesina est, neque hanc naturalem qualitatem matrimonio contracto cum extero amittere potuit, ut late differunt *Mans. consult. 236. n. 11.*, *& Card. de Luca de regul. disc. 83. n. 12.* Rem non esse de Matre, quæ, dote nummaria accepta, a Patria, & laribus paternis diverterit, deposito animo, & spe revertendi, quales illæ sunt, quæ obiiciuntur, alibi nuptæ, sed de matre, quæ unica hæres ampli Patrimonii, non tenues opes possidet in ea Civitate, quæ domum Majorum suorum in ea retinet, quæ per aliquod anni tempus in eam sese confert, quæ

one-

onera pensitationum sustinet non realium tantum, quo casu nihil esset. sed etiam personalium: Habitationem pro majori anni parte requiri, ubi agitur vel de Civibus allectis, vel de exteris possidentibus, ut Civicam qualitatem acquirere possint, non ubi agitur de iis, qui Cives fiunt ab ipso Jure Municipali: extraneam itaque esse Juris Romani dispositionem, eamque silere in conspectu Juris Gallesini.

Addit hæc liquidiora fieri ex mente testamentariæ dispositionis Theophili Gargani; Voluit enim, ut palam fit ex ejus verbis, decori, nomini, & utilitati Patriæ suæ perspicere. Impletur autem hæc ejus mens longe melius, si filii Sanctæ admittantur, qui, cum amplum Maternum patrimonium habituri sint, cum in Urbe lares habeant, poterunt etiam post sexennium Studiis operam dare, quæ cæteri Adolescentes inopiæ causa, & rei familiaris angustia deserere solent, impletoque sexennio Gallesium revisunt, ibique desides, & Patriæ inutiles viam vivunt inglorii: Longe vero a casu abesse Sententiam anno 1738. latam in Tribunali A. C. cum Joseph Zazzera, neque Juris communis, neque Juris Municipalis dispositione juvari posset, cum non esset filius matris Gallesinæ, sed aviam Gallesinam habuisset, quo casu silet Statutum; eoque amplius, quod aberant eæ facti circumstantiæ, quæ in re præsenti Litem adjudicare possunt filiis Sanctæ; Nullum denique horum admissione detrimentum inferri originariis aliis Civibus, nullum Civitati; imputare enim sibi alii originarii Adolescentes debent, si parum idonei sint, & in examine reprobentur, neque enim Testator solam originariam Civicam qualitatem præ oculis habuit, sed eos Adolescentes seligi voluit, qui, bonæ, „ & egregiæ indolis essent, & quo magis fieri possit, pulcrorum ingenio-„ rum, & aptorum ad Studia „; si hujus ingenii erunt alii originarii Adolescentes Gallesini, timere non debent a filiis Sanctæ, si non erunt, sibi imputare debent, non concursui filiorum Sanctæ; Civitati quoque nullum detrimentun inferri, quæ ex lege testamentariæ dispositionis fructus hæreditarios erogare debet in subsidium sex Adolescentium, qui Studiis operam dent, non in alias causas, non in usuras æris alieni ab ipsa contracti expungendas. Hæc Cælestinius. Judicium itaque erit Eminentissimorum Patrum hanc Controversiam dirimere definitione hujus Dubii.

An Filii Sanctæ Nardoni sint admittendi ad legatum Studiorum relictum a Theophilo Gargani in casu &c.

Negative.

FAVENTINA, SEU IMOLEN. ELECTIONIS. Testamento, quo decessit Sacerdos Caspar de Bolis natus in Oppido *Cottiniolæ* hæredem scripsit Sodalitium Sanctissimi Corporis Christi ejusdem Oppidi, dato eidem onere, ut ex parte bonorum hæreditariorum Monasterium Sanctimonialium in eodem Oppido fundaret, ea adjecta lege, ut ædificato Monasterio, teneerentur Sanctimoniales „ accettare, e mantenere sempre in perpetuo trè Gio-„ vani povere per Suore di detto Convento, due da Coro, ed una Conver-„ sa di questa Terra, o suo Territorio senza Dote, fuori che li panni, „ ed utensilj consueti, da eleggersi per esso Testatore, o suoi Eredi, ed „ essendovene delle povere abili del suo parentado de Bolis, vuole, che sia-„ no preferite a tutte, e mancandovene delle tre suddette vuole, che si „ pigli dell' altre prima, che si potrà, e come di sopra, in modo tale, che „ sempre ve ne siano in Convento trè di queste „. Ab Anoo 1659., quo, ex ædificato Monasterio, in illud convenere Moniales, impleta fuit Testatoris voluntas, electis Puellis pauperibus Cottiniolæ natis, vel in ejus Territorio, & si quæ inter concurrentes fuerunt de Familia Bolis pauperes habilesque, cæteris prælatæ fuerunt, si vero his qualitatibus, quas voluit Testator, destituebantur, aliæ licet extraneæ nominatæ fuerunt, & admissæ. Id probe noscens Jo: Antonius de Bolis patria Lugiensis, ut Apollonia filia *Sess. 22. c. 6. de Ref.*

sua, quæ & ipsa Lugi nata erat, locum in Monasterio Cottiniolæ obtinere posset, curavit anno 1743., ut inter Cottiniolæ Cives allegeretur, atque ita locum in Monasterio pro Filia obtinuit.

Aliam viam ingressi sunt Patrus Alexander Cervinius Lugiensis, ejusque uxor Ursula Bolis, ut Magdalena eorum filia locum in eorum Monasterio obtineret, cum enim duo obstarent Filiæ „ il primo de' quali si è, che non porta il cognome Bolis per non discendere direttamente dalla Casa Bolis, ma „ bensì indirettamente mediante Orsola Madre di Casa Bolis, ed il secondo „ per non esser nata nella Terra di Cottignola, ma bensí in Lugo „. Ursula Mater preces obtulit Sanctissimo Domino nostro, postulans, ut vellet „ abilitare la preddetta Maria Maddalena sua Figlia per monaca in Monastero con la stessa prerogativa di entrarvi senza dote „. Postulationis hujus cognitio data fuit Emis Patribus. Auditus igitur, ut fieri solet, Episcopus Imolensis secundum Magdalenam respondit, quia res non sit de agnatitio aliquo Fideicommisso, ideoque nihil vetet, ut deficientibus puellis Agnatis, & ad excludendas extraneas veniat Magdalena sub verbis illis *del suo parentado de Bolis*, benigna siquidem interpretatione ea ita esse accipienda, ut mens Testatoris fuerit admittendas esse puellas Cognatas deficientibus Agnatis: nec mutare, quod Magdalena Lugi nata fuerit, non Cottiniolæ, aut in ejus agro, cum id voluerit Testator in extraneis, non in consanguineis. Hanc interpretationem comprobatam fuisse exemplo filiæ Jo: Antoni de Bolis, quæ, licet neque Cottiniolæ neque in ejus agro nata esset, admissa tamen fuerit, quod esset consanguinea: Pauperem dicendam esse Magdalenam, cum Pater plurium filiorum numero pressus cogatur Causidicum agere, ut se, suosque liberos alat. Hæc Episcopus.

Sodalitium vero omnino repellendam esse a Pio legato Magdalenam differit, quod iis, quas Testator voluit, qualitatibus sit destituta, neque Cottiniolæ, neque in ejus agro natam esse Magdalenam; Cognomento Cerviniam esse, non de Bolis, id matrem ipsam fassam fuisse in precibus Sacratissimo Principi oblatis; Has qualitates non in extraneis eorum puellis, sed etiam in consanguineis voluisse Testatorem evinci ex verbis, ipsoque contextu suæ dispositionis: Frustra subsidiariam Cognatarum vocationem iri, cum deesset omnino sedes vocationis, nam verbis illis *del suo parentado de Bolis* voluisse eum solas Agnatas manifestum fuit, si observetur Testatorem transversalem non ascendentem fuisse, & expresso cognomento *de Bolis* adjunxisse possessivum illud *suo*. Exemplo filiæ Jo: Antonii de Bolis juvari non posse interpretationem Episcopi, cum ille ad hunc effectum Civis allectus fuerit, ut filia in Monasterium posset admitti, neque admissam fuisse, quia esset consanguinea: Paupertatem demum, quam etiam in consanguineis voluit procul dubio Testator, non probari a Magdalena, cum ejus Pater dives reputetur, cum curru utatur, & famulis, cum plurima Cottiniolæ bona immobilia possideat, aliaque Lugi, cum Tabellionis, & Causidici officia, ex quibus plurimum lucratur, exerceat, non coactus necessitate se, uxorem, liberosque suos alendi, sed ut lucretur, cum novus homo sit, & nuper inter Lugienses Cives cooptatus fuerit: Hæc atque alia Sodalitium. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An constet de vocatione Magdalenæ Cervini ad pium legatum ordinatum a quondam Gaspare de Bolìs, itaut sit admittenda ad concursum pro Loco vacan. in Monasterio S. Claræ Terræ Cottiniolæ?* & quatenus affirmative.

II. *An eadem Magdalena sit cæteris Puellis concurrentibus præferenda; seu potius inter pares sit locus arbitrio favore Societatis Sanctissimi Sacramenti ejusdem Loci in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Provisum in primo.

HOR-

HORTANA SUPPRESSIONIS CANONICATUS: Decem, & septem Canonicatus, unicam Dignitatem Prioralem, quinque Cappellanos Chorales, quorum tres festis tantum diebus servitio obstricti sunt, numerat Ecclesia Cathedralis Hortana. Ea Canonicatibus quinque Jurispatronatus sunt, & recentis erectionis: duodecim vero primæ erectionis. Hi communem dudum massam habebant, inde divisæ fuerunt Præbendæ, assignato cuilibet distinctionis gratia unius Apostoli Titulo. Ecclesiæ fabricam fere a solo eleganter restituit anno 1721. piissimus Episcopus Tenderinius, sed cum redditus ad ejus conservationem necessarii deficerent, supresso Sodalitio SSmi Nominis Jesu ejus bona fabricæ Cathedralis attribuit. Cum tamen, & horum bonorum redditus impares essent, nam, deductis oneribus, vix supererant scut. 15.76. pro fabrica, cujus annui ordinarii sumptus requirunt scut. 29. circiter, idem Episcopus nactus occasionem vacationis Canonicatus, & Præbendæ S. Jacobi Majoris, qui nunc primum in Theologalem erectus fuerat, preces obtulit san. mem. Benedicto XIII quibus postulavit, ut donec ad illum consequendum aliquis concurreret, fructus ejusdem fabricæ Ecclesiæ attribueret. Rei cognitio data fuit Sacro huic Tribunali, obtinuitque Episcopus plusquam postulabat, anno siquidem 1728.: prævia Canonicatus *suppressione*, ejus fructus perpetuis futuris temporibus fabricæ addicti fuerunt, ita tamen, ut in prima alterius Canonicatus vacatione Theologalis Præbenda erigeretur, & juxta hoc decretum facta fuit suppressio Canonicatus, & fructus fabricæ Ecclesiæ tributi sunt. Sess. 21. c. 3. de Ref. & Sess. 24. c. 11. de Ref.

Anno tamen 1743. Tenderinii Successor Episcopus Varius postulavit a *Sanctissimo Domino Nostro* Canonicatus restitutionem, quia cessasset Causa suppressionis, cum fabricæ provisum esset; turbatum fuisse dicebat ea suppressione ordinem Hierarchiæ, per quem singuli primæ erectionis Canonici singula Apostolorum nomina referebant; addebat reintegranda esse Ecclesiam servitio, quo diminuta fuerat. Hujus quoque postulationis cognitio data fuit Sacro huic Tribunali, sed, dum cunctantur Partes, Jura sua parare, Franciscus Vivaldi Canonicatum obtinuit a Dataria Apostolica. Vacavit hic Canonicatus morte Vivaldi superiore anno 1754. & Capitulum Cathedralis, Magistratus Civitatis, & Cives continuo preces obtulerunt, quibus postulabant confirmari suppressionem hujus Canonicatus decretam anno 1728., ejusque fructus fabricæ attribui. Auditi fuerunt Episcopus Hortanus, & Datariæ Apostolicæ Ministri: Episcopus multis est in demostranda inopia fabricæ, unde educit necessitatem suppressionis: non satis consultum fuisse, ait, attributione bonorum suppressi Sodalitii; errasse siquidem in computatione redditüum Episcopum Varium, cum non deduxerit ex iis onera Sacrorum: negat ex ea suppressione minui servitium Ecclesiæ, cum satis sint sexdecim Canonici, Prior, & tres Cappellani Chorales: negat turbari Ordinem Hierarchicum, cum Apostolorum titulum non habeant Præbendæ ab erectione, sed a privata Capituli auctoritate facilioris divisionis gratia.

Dura videtur Datariæ Apostolicæ Ministris postulatio novæ suppressionis, postquam anno 1743. verificatum fuit coram Exequutore cessare causam suppressionis: sine ope hujus extraordinarii remedii consuli posse ajunt necessitati fabricæ tum „ fructibus bonorum Confraternitatis soppressæ, *tum* media an„ nata ad tramites Constitutionis Benedicti XIII.„ quacumque consuetudine non obstante persolvenda, tum „ superfluis redditibus Locorum Piorum „ Diœcesis, quos superesse certo supponitur, aut suspensa ad tempus trium, „ vel quatuor Canonicatum provisione, dum eorum contingat vacatio, il„ lorum fructus fabricæ Ecclesiæ interim applicando „. Causa nunc proponitur, & disputat Capitulum locum esse non posse iis remediis, quos suggerunt Apostolicæ Datariæ Ministri: negat *Media Annata* consuli posse necessitati fabricæ, cum in pauperrima Diœcesi nulla sint Beneficia, quæ tot redditus præstent quot juxta Benedicti nam Constitutionem ad *mediam annatam* tenentur: Si huic oneri Beneficia subiicerentur, perpetuo vacarent:

Expe-

Expectari non posse a fabrica, in qua quotannis impensæ necessariæ sunt, ut vacent tres, aut quatuor Canonicatus, quorum fructibus, suspensa eorum provisione, reparetur Ecclesia. Addit, quæ habet Episcopus in Epistola sua, concluditque non aliud aptius adesse remedium, quam Canonicatum hunc supprimendi. Videant igitur Emi Patres, qua ratione expediendum sit Dubium.

An sit locus suppressioni Canonicatus in casu &c.

Dilata, & proponatur in prima post Aquas.

Sess. 21. c. 5. de Ref.

TUDERTINA UNIONIS. Cum Parochialis Ecclesia S. Nicolai Castri Podii Tudertinæ Diœceseos tanta egestate premeretur, ut „ ob ejus nimiam paupertatem, & fructuum tenuitatem commode Rector substentari „ minime posset, nec debita onera sufferre „ Petrus Maria Bichius Episcopus Tudertinus anno 1664. utens facultate a Tridentino Episcopis data, cum Capituli sui consilio, eidem Parochiali „ univit, & incorporavit Beneficium simplex sub Titulo S. Salvatoris situm in Cappella, & Ecclesia Parochiali Castri S. Restitutæ sine tamen præjudicio *ejus, qui tunc temporis idem Beneficium obtinebat*, itaut unio, ipso tantum defuncto, suum sortiretur effectum „. Post annos octo, & triginta ab hac unione obiit Venturellius Beneficii illius possessor, & cum intra hos annos quatuor Parochi Ecclesiæ S. Nicolai mutati essent, Parochus ejus temporis, quo Venturellius decessit, unionis ignarus Beneficii uniti possessionem non accepit; illudque obtinuit a Sancta Sede anno 1704., nulla facta unionis expressione, Comes Alexander Marscianus, qui inde idem Beneficium anno 1710. resignavit Fratri suo Josepho Benedicto postea Episcopo Urbevetano. Hæc resignatio ignota fuit Episcopo Tudertino, & Parocho Ecclesiæ S. Nicolai, itaut nullus unionem defenderit. Dum anno 1748. Visitationem ageret Tudertinus Episcopus, agnita paupertate Parochialis Ecclesiæ Castri Podii, & certior factus de unione Beneficii, eamdem confirmavit, decrevitque, ut in obitu Beneficiarii Parochus Beneficii possessionem nancisceretur. Decessit die 2. Julii transacto anno 1754. Episcopus Urbevetanus, & Franciscus Gambi Parochus die 22. ejusdem mensis possessionem Beneficii nactus est: Romam inde venit, ut unionis confirmationem a Dataria Apostolica obtineret, sed dum cunctatur publicas unionis tabulas ad Urbem transmittere, Beneficium a Dataria collatum fuit Comiti Astorgio Marsciano filio fratris defuncti Episcopi Urbevetani.

Postulavit Parochus ab Emo Domino Cardinali Pro-Datario, ut sua custodiretur anterior possessio, sed idem Emus Dominus Causæ notionem mandavit Sacro huic Tribunali. Auditus Episcopus Tudertinus censuit „ Parocho indulgendum esse, cum unio sit a Sacris Canonibus, & a Sac. Concilio Tridentino requisita validitate donata; non enim necessitatis causa neque forma ad actum præscripta desiderantur: Capituli namquam consensus interfuit, & Parochi angustia ad hoc peragendum Episcopum impulit: Vix „ enim annua scuta viginti introitus Ecclesia numerat „. Causa nunc proponitur, & Parochus, repetitis iis, quæ habet Episcopus in sua Epistola, fatius disputat obesse non posse Collationem anni 1704. & resignationem anni 1710., cum factæ fuerint, Parochis ignorantibus, & tacita unione, neque præsumi possit Summum Pontificem voluisse mutare statum Beneficii, quam ignorabat; pari ratione non esse spectandas Literas Apostolicas datas Comiti Astorgio, quod subreptionis, & obreptionis vitio infectæ sint, tacita unione facta ab Episcopo Bichio, ex qua Beneficium vacare non potuit. Si enim unio hæc Summo Pontifici narrata fuisset, ipse Beneficium petenti non indulsisset, neque mutare Regulam XIII. Cancellariæ de unionibus, quæ effectum

non

non habuerunt, quia Regulæ illi locus non sit, quando unio facta est auctoritate Concilii, vel ex necessitate Ecclesiæ *Fagnan. in cap. sicut unire num. 36. de Excess. Prælat. Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 28. num. 18. & quæst. 29. num. 24. Kochier. ad eamdem Regul. Cancell. num. 16. Card. de Luca ad Concil. disc. 8. num. 22. Rigant. ad eamdem Regul. num. 53. & 173.* Hæc atque alia Parochus. A Comite Marsciano nihil habuimus. Dubium est.

An constet de validitate unionis in casu &c.

Dilata, & proponatur in prima informato Dubio.

Die Sabbathi 13. Sept. 1755.

MEDIOLANEN. NULLITATIS PROFESSIONIS: Definita fuit hæc Causa in ultima Congregatione habita die 23. transacti mensis Augusti, Dubio ejus, quod erat, *An constet de nullitate professionis in casu &c.* -- Respondentibus Eminentissimis Patribus -- *Affirmative*. Ad rem igitur expediendam P. Ludovicus Gaddius novam urget ejusdem Causæ propositionem, & respondendum erit. *Sess. 25. c. 19. de Reg.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

TUDERTINA BENEFICII: Hæc quoque Causa data fuit in Folio ejusdem ultimæ Congregationis, sed definita non fuit, postulante Com. Astorgio Marsciano dilationem, & reformationem Dubii, quod de validitate unionis factæ ab Episcopo Tudertino anno 1664. nunc non esset agendum. Cum igitur Eminentissimi Patres responderint -- *Dilata, & proponatur in prima reformato Dubio*, Obsequimur eorum imperio, eamque hic damus, ut congruum ejus Dubium expediant, quod est. *Sess. 21. c. 5. de Ref.*

An sit locus exequutioni unionis, vel potius literarum Apostolicarum in casu &c.

Dilata ad primam post aquas.

ALBINTIMILIEN. NULLITATIS MATRIMONII: Postquam Causa hæc pluries data fuit in Foliis ante actarum Congregationum, neque umquam proposita fuit, quod Partes non scripserant, nunc tandem, ut credimus, proponetur, & ideo rogamus Eminentissimos Patres, ut repetita lectione Folii Congregationis habitæ die 22. Maii anno 1751., quod publici juris factum fuit *Vol. XX. Thes. Resol. Sac. Congr.*, qua die rescriptum fuit -- *Pro confectione processus juxta mentem*, impleto jam examine formali Testium, Dubium expediant. *Sess. 24. c. 9. de Ref. Mat.*

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Affirmative.

LISBONEN. NULLITATIS MATRIMONII: Proposita fuit hæc Causa in Congregatione habita die 2. transacti mensis Augusti, sed definita non fuit, rescribentibus Eminentissimis Patribus „ Dilata, & ad mentem, & „ mens est, quod coram Nuncio Apostolico examinentur Testes formiter, & „ compulsentur jura juxta instructionem „. Cum vero post hoc Decretum nobis jussum fuerit, ut Causa proponeretur, eam hic damus, ut Eminentissimi Patres, repetita lectione Folii Congregationis habitæ die 7. superioris mensis Junii, in quo primum eam dedimus, Dubium ejus expediant. *Sess. 24. c. 5. de Ref. Mat.*

An

An Literæ Apostolicæ in forma perinde valere expeditæ die 12. Septembris 1750. sint servandæ, itaut sit standum in primo, vel in secundo, & tertio loco decisis in casu &c.

Negative, & standum in primo loco decisis.

Sess. 21. c. 5. de Ref.

ACERRARUM CATHEDRATICI: Imperio Eminentissimorum Patrum hæc Causa proponitur, qui in Congregatione habita die 12. superioris mensis Julii rescripserunt -- *Dilata ad primam Septembris*. Rogamus igitur eosdem Eminentissimos Patres, ut ad eam definiendam Folium ejusdem Congregationis, in quo ejus species habetur, iterum consulant. Dubium ejus est.

An a quibus, & in qua summa sit solvendum Cathedraticum Episcopo Acerrarum in casu &c.

Dilata.

Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.

PRIMISLIEN. MATRIMONII: Dedimus hanc Causam in Folio Congregationis habitæ die 25 Januarii hujus anni, sed cum dilata fuerit ejusdem definitio, proposita fuit in alia Congregatione habita die 1. mensis Martii, Dubioque ejus, quod erat - *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* - Responderunt Eminentissimi Patres - *Constare de validitate matrimonii*. Pugnam nunc instaurat Marianna Potochi Palatina Volhiniæ mater Christinæ adversus Conjuges, itaut expediendum sit Dubium.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam post aquas, & nihil de provisione.

Sess. 21. c. 4. de ref. Sess. 22. c. 8 de ref.

CIVITATIS CASTELLI JURIS ELIGENDI CAPPELLANUM. Sodalitio S. Mariæ del *Pianto*, quod in Urbe est, aggregatum fuit an. 1665. alterum erectum in Ecclesia ejusdem nominis Villæ Silicis Typhernatis Diæceseos, acceptis hac aggregatione privilegiis omnibus Sodalitii Romani, inter quæ illud est „ ut possint Sodales Sacerdotem aliquem approbatum in Cappellanum, & Confessarium suum eligere. Hac ipsa facultate usi sunt Sodales Villæ Silicis, nunc dato onere suis Cappellanis excipiendi Sacramentales Confessiones, nunc vero eodem onere expresse excepto. Anno 1752. Sodalibus præcepit Episcopus, ut infra tres dies Cappellanum eligerent qui Confessionibus excipiendis esset idoneus. Præceptum hoc in exequutionem Decreti editi in Visitatione datum dicebatur: sed Sodales contendentes decretum illud, quod in Visitatione latum dicebatur, commentitium esse, quia Episcopus neque per se, neque per Convisitatores Sodalitium visitasset, spreto præcepto, spretoque altero Episcopalis Audientiæ decreto, quo Cappellanum *per modum provisionis* deputaverat, & appellarunt a præcepto, & eorum Cappellanum, neque sine onere excipiendi Sacramentales Confessiones habebant, confirmarunt. At Episcopus, spreta apppellatione, *provisionale* illud suum decretum exequutus est, conjecto in carceres Priore Sodalitii, & designata pro carcere ipsa Villa Cappellano confirmato. Clamarunt Sodales ad Tribunal A. C pro purgatione attentatorum, sed Causæ cognitio *quoad omnia* Eminentissimis Patribus data fuit Decreto Eminentissimi Domini Pro-Auditoris Sanctissimi. Auditus, ut moris est, Episcopus post longas moras respondit, propriumque factum pluribus rationibus defendit.

Causa nunc proponitur, & Sodalitium, prætermissis aliis quæstionibus de purgatione Attentatorum, & de libero jure eligendi Cappellanum suum, unum postulat ab Eminentissimis Patribus definiri, non posse ejus Cappellanum cogi ad Confessiones excipiendas. Disputat hoc onere Sodales adstrictos non

esse

esse ex lege fundatoris, aut institutionis; privilegium hoc assequutos fuisse ex aggregatione, ut possent sibi Cappellanum eligere Confessarium ex approbatis: Facultativum esse hoc jus, non obligatorium, ne quod in favorem introductum est, in odium convertatur: id liquidius fieri ex observatione facti, cum nunc hoc jure usi fuerint Sodales eligendo Cappellanum cum onere excipiendi Confessiones, nunc vero eo jure usi non fuerint, Cappellanum ab hoc onere liberando, & liberari eum frequenter debuisse, quia tenuitas stipendii ad annua scuta 11. vix ascendentis non ferat hoc onus, cum ne respondeat quidem iis oneribus Sacrorum, & pomparum, seu processionum, aliorumque similium, quibus Cappellanus obstringitur. Ad rem non pertinere, quod ait Episcopus, populum Villæ numerosum esse, neque duos, qui in ea sunt, Parochos satis esse ministrandis Ecclesiasticis Sacramentis; nam neque numerosus dici potest Villæ Populus, cum vix perveniat ad 325. capita, & si numerosus dici posset, non ideo cogi possent Sodales ad eligendum Cappellanum, qui Sacramentales Confessiones excipiat, ut Parochos adjuvet dispositione siquidem Tridentini cautum esse, ut Rectores vel alii, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes adjungant, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. Parochorum igitur hoc esse onus, qui illud suis pecuniis implere debeant, non alienis, seu Sodalitii, ad quod hoc onus adjungendi Sacerdotes Parochis pertinere non debet. Hæc atque alia Sodales. A Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis nihil habuimus. Dubium est.

An Cappellanus Confraternitatis B. Mariæ de Planctu sit cogendus ad audiendas Sacramentales Confessiones in casu &c.

Negative.

ROMANA REDUCTIONIS LEGATORUM. Decessit in Urbe anno 1749. Antonius Duchi Tridentinus, ejusque hæreditatem, nullo sive ex testamento, sive ab intestato veniente hærede, Fiscus occupavit. Delatum fuit ad Sodalitium Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum inter chartas, quæ in hæreditate repertæ fuerunt a Fisco, Folia quædam esse, quibus legebatur hæres idem Sodalitium. Curavit itaque hic speratus hæres, ut chartæ separarentur; facta separatione, reperta fuerunt Folia, in quibus Sodalitium hæres scriptum fuerat, pluribus etiam datis piis legatis. Postularunt igitur Sodales hæreditatem Duchii ex Testamento juxta dispositionem cognitissimi *cap. Relatum de Testament.*, sed obstitit Antonius Lucchesi proximior defuncto, qui sibi debitam contendebat intestatam successionem, quod locus esse non posset dispositioni ejusdem *cap. Relatum*, cum non constaret de perfecta, ac determinata Testatoris voluntate; Folia siquidem illam præordinationem potius ad testamentum faciendum, quam testamentum ipsum præseferre videbantur. Fiscus in hac controversia a lite abstinuit, quæ acta tantum fuit inter Sodalitium, & Lucchesium. Judex secundum Sodalitium pronunciavit; Appellavit Lucchesius paratus jura sua diuturna lite experiri; sed transactionem, suadentibus amicis, hæc tandem inita fuit, & ab hoc Sacro Tribunali approbata, qua Sodales dimiserunt Lucchesio quartam partem hæreditatis, deductis tamen antea legatis, & impensis litis actæ, atque emissa protestatione, qua sua iura farcta tecta voluerunt, ut legatarios compellere possent ad contributionem tum ratione quartæ partis hæreditatis Lucchesio tradendæ, tum ratione expensarum litis cum eo actæ, quæque in utilitatem quoque Legatariorum cesserant. *Sess. 22. c. 8. de Ref.*

Controversia igitur hac transactione sopita, Sodales Sacro huic Tribunali preces obtulerunt, quibus postulabant, ut compellerentur Legatarii ad contributionem juxta partitionem, quam fecerat Rationalis Sodalitii. Rogatus fuit Eminentissimus Protector, ut animi sui sententiam aperiret, auditis Le-

gatariis. Quæ ab his audivit, „ aliud non continebant, nisi quod, cum „ eorum legata essent pia, & nullam dependentiam haberent a validitate te„ stamenti, & a subsistentia, nec ne institutionis hæredis, quæ etiamsi cor„ ruisset ob invaliditatem dispositionis, nihilominus legata, tamquam pia adhuc substitisent, ideo contributioni, & diminutioni legatorum locus esse non posset. Censuit igitur Eminentissimus Protector secundum Sodales, quod non ex defectu solemnium, sed ex defectu voluntatis contenderet Lucchesius Folia illa, seu testamentum Duchii imperfectum fuisse, quod si obtinuisset, non solum institutio, sed etiam Legata Pia intercepta fuissent, ideoque Sodalitium transactione illa salvam fecisse, institutionis, & legatorum causam, sibique, & Legatariis rem utilem gessisse. Causa nunc proponitur, & disputant Sodales diminutionem omnem hæreditatis Duchii, quæ accidit, sine facto, & culpa hæredis cedere debere tum hæredis, tum Legatariorum damno, sive legata prophana sint, sive pia, sive in quantitate data sint, sive in specie: ut ex *leg. si quis testamento §. Apud Julianum ff. de legat. 1. & in leg. in ratione §. quod vulgo ff. ad leg. Falcid.*, monent ibidem interpretes, traduntque præ cæteris *Peregrin. de fideicomm. art 4. num.63. in fin. Gratian. discept. for. 646. num.15. Parlador. rer. quotid. lib.1. cap.18. num.3. Gomez. var. resol. tom.1. cap.12. num.34. Tiraquell. de privileg piæ cauf. privil. 26. num.4. Castillo controv. jur. lib. 8. cap. 9. num.15. & seqq. Thesaur. quæst. for. lib.3. cap.104. n.1. Capon. discep. for.186. n.5. & 27. to.5*

Juris igitur rationem postulare, ut, cum transactione illa, & hæredi, & legatariis utili diminuta fuerit Testatoris hæreditas, diminutio ceda. etiam in damnum Legatariorum, qui frustra excipiant de subsistentia legatorum piorum, quando testamentum imperfectum declaratum fuisset ratione voluntatis. Idem judicium ferendum esse de impensis litis, cum hæres non teneatur sua pecunia hæreditatem defendere, & æquitas ipsa naturalis suggerat, ut, quod in utilitatem communem ab uno ex sociis impensum est, hoc ei a sociis sarciatur *leg. omne ff. pro socio*. Hinc palam esse partitionem factam a Rationali, qua cuilibet, & hæredi, & Legatariis decisa fuit proportionalis pars, justissimam esse, & ab Eminentissimis Patribus sequendam. Hæc summa est libelli dati a Sodalibus. Contra Legatarii locum non esse contributioni, & diminutioni legatorum defendunt, quia nequeat hæres petere, ut aliquid e legatis decidatur, si quartam Falcidiam salvam habeat, ut ex *Textu in leg. In ratione ff. ad leg. Falcid.* tradunt Interpretes vulgo: si minus quarta in hæreditate sit, minuuntur legata, & relicta, nisi pia sint, itaut quarta hæredi salva sit; Liquere autem ex calculis, qui exhibentur, non solum quartam Falcidiam Sodalitio salvam esse, sed lucrari etiam ultra quartam, ideoque, sive detrahatur ex piis legatis Falcidia, sive non detrahatur, nullam igitur juris rationem postulare, ut minuantur legata, ut hæres majus lucrum consequatur: minui, ut sit, qui hæreditatem adeat, nam sine compendio aliquo nullus adibat, minui, ne hæres sit in damno, non ut magis lucretur; Leges enim, & jura Quiritum lucrum statuerunt in quarta, quam si hæres salvam habeat, potest reliquum hæreditarii assis legatis, & relictis absumi sine ulla hæredis querela.

Eoque amplius in casu nostro denegandam esse diminutionem legatorum, quod Testator Sodalitium his verbis hæredem scripserit - *Lascio mio Erede universale la Santissima Trinità de' Pellegrini di Roma, ma prima però, che siano sodisfatte le sopradette spese, e legati*. Ex quibus verbis non obscure educatur noluisse eum, ut legata minuerentur, cum hæres scriptus dicatur in ea quantitate, iisque bonis, quæ superesset, solutis expensis, & impletis legatis. Frustra demum peti a Sodalitio, ut Legatarii compellantur ad contributionem ratione impensarum litis actæ cum Lucchesio. Cognitissimum siquidem esse responsum illud æquissimum Scævolæ *in leg. ex parte 40. ff. famil. Ercisc.*, qui id negat, nisi hæres, aut Socius probet majores sumptus

fe-

fecisse, quod Legatariorum, aut Sociorum Causam defenderit, eas impensas non facturus, si propriam tantum causam defendisset: difficillimum esse, ut id a Sodalitio probari possit, cum, defendendo validitatem testamenti, easdem facere deberet expensas, sive ut servaretur institutio, sive ut servarentur legata. Hæc Legatarii. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An sit locus diminutioni Legatorum ratione concordiæ, & expensarum litis?* & quatenus affirmative.

II. *An, & in qua summa Legata debeantur in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Provisum in primo.

CONVERSANA, SEU TERRÆ PUTINIANI RESIDENTIÆ: Ecclesiæ S. Mariæ *la Greca* Terræ Putiniani decem & novem adscripti sunt Presbyteri, qui certos redditus percipiunt ex certis Bonis immobilibus pro Chori servitio assignatis, certos fructus ex massa communi pro sacris a quolibet eorum agendis certis diebus in designatis Ecclesiæ Altaribus, ac demum distributiones quotidianas, quæ proveniunt ex Anniversariis, & Mortuariis. Servitio Chori obstricti sunt diebus Festis, cæteris diebus servitium per hebdomadas divisum est; si qui non intersint, distributionibus carent, inde fructibus, demum Beneficio privantur juxta Sacrorum Canonum dispositionem. His omnibus præest Abbas, qui ultra suos redditus, percipit etiam tamquam unus ex Consortialibus omnes fructus, quos cæteri percipiunt. Jus officiumque Abbatis est Choro præesse, disciplinam Choralem moderari, silentium indicere, facultatem impertiri e Choro exeundi, aliaque hujusmodi præeminentialia jura exercere. Quotquot hactenus fuerunt Abbates, non secus, ac alii Consortiales Presbyteri residerunt semper, & si quis Ecclesiam ultra tempus a Tridentino indultum deseruit, Abbatia privatus fuit, alio in ejus locum suffecto. Anno 1731. de hac Abbatia, & Consortiali participatione a Sede Apostolica provisus fuit Julius Cæsar Miccolis cum dispensatione ætatis, quod 13. annum tunc ageret, ita tamen, ut, cum primum ad legitimam venisset ætatem, *Ordinem ipsum, quem ætas postulabat, videlicet Subdiaconatus, & Diaconatus, & quatenus Ecclesia illum requireret, Presbyteratus suscipere omnino teneretur.*

Sess.6. c.1. de ref. & Sess. 22. c.3. de ref. & Sess.24. c. 12. de ref.

Post decem annos inter Abbatem, & Consortiales pluribus exortis controversiis, hæ ad Judicium Sacri hujus Tribunalis delatæ fuerunt, & die 6 Maii anno 1741. octo Dubia definita fuerunt. Quæ ad rem præsentem pertinere possunt, hæc sunt: *Quintum*, quo quærebatur, *An diebus ferialibus præfatus Abbas valeat ad sui libitum præstare assistentiam Choro, seu potius teneatur assistere una cum aliis Presbyteris in uno ex tribus Turnis Hebdomadæ?* Sextum, quod erat, *An idem Abbas debeat subjacere punctaturis, scilicet amissioni distributionum quotidianarum etiam diebus ferialibus?* Octavum denique, *An Capitulares, itidemque Abbas, dum Choro, & aliis Functionibus Ecclesiasticis assistere debent, teneantur personaliter assistere, seu liceat eis servitium præstare per alium?* His respondit Sacrum Tribunal - *Ad V. Negative ad primam partem, & affirmative ad secundam. Ad VI. Affirmative. Ad VIII. Dentur Decreta in Alatrina, Callien., Leyrien., & Ferentina* - ut videre est in *Thesaur. Resol. Sac. Congreg. Vol.X.* Novæ nunc exortæ sunt controversiæ inter Capitulares, & Abbatem; Cum enim Abbas usque ab anno 1752. absit a sua Ecclesia, contendens non posse cogi ad residentiam præcisam, & personalem, quia res sit de Ecclesia non Collegiata, de quibus egit Tridentinum, sed receptiva, & ideo onera Sacrorum sive per se, sive per alium impleri possit, Abbatiam vero simplex esse Beneficium, Capitulares, ut eum ad residentiam compellerent, ad hoc Sacrum Tribunal confugerunt, & disputant vetustissimam esse consuetudinem residentiæ in eorum Ecclesia, itaut, licet Abbatiæ fundatio non inveniatur, non ideo tamen dici debeat simplex Beneficium; id probari ex testibus, & ex ipsis Du-

biis ab hoc Sacro Tribunali definitis. Collegiatam esse Ecclesiam probari ex confessione Abbatis, ex Literis Apostolicis: Ratione ætatis dispensatum fuisse Abbatem, ut sive per se ipsum, sive per alium onera impleret. Hæc atque alia Capitulares. Ab Abbate nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An R. D. Julius Cæsar Miccolis Abbas Ecclesiæ S. Mariæ la Greca Terræ Putiniani teneatur ad Residentiam sub pœna amissionis fructuum, & privationis Beneficii, seu potius sub pœna amissionis distributionum in casu &c.*

II. *An cum eodem R. D. Julio Cæsare Miccolis tamquam Presbytero participante dictæ Ecclesiæ locum habeant pœnæ non residentium tam a jure communi, quam a Sacro Concilio Tridentino inflictæ in casu &c.*

Dilata, & proponatur omnino in prima post aquas.

Die Sabbathi 22. Nov. 1755.

QUinque, quas priori loco subiicimus, Causæ imperio Eminentissimorum Patrum proponuntur, qui ad hanc Congregationem earum definitionem distulerunt, trium nempe priorum in ultima Congregatione habita die 13. transacti mensis Septembris, quartæ in Congregatione habita die 23. mensis Augusti, & quintæ in Congregatione habita die 2. ejusdem mensis. Rogamus itaque Amplissimos Patres, ut ad earum species repetendas Folia earumdem Congregationum iterum consulant.

Sess. 21. c. 5. de Ref.

TUDERTINA BENEFICII, cujus Dubium jussu Eminentissimorum Patrum reformatum fuit, atque est.
An sit locus exequutioni unionis, vel potius literarum Apostolicarum in casu &c.

Dilata ad primam post Reges.

Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.

PRIMISLIEN. MATRIMONII, in qua quæritur.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata.

Sess. 6. c. 1. Sess. 22. c. 3 & sess. 24. c. 12. de Ref.

CONVERSANA, SEU TERRÆ PUTINIANI RESIDENTIÆ, cujus duo sunt Capita.

I. *An R. D. Julius Cæsar Miccolis Abbas Ecclesiæ S. Mariæ la Greca Terræ Putiniani teneatur ad residentiam sub pœna amissionis fructuum, & privationis Beneficii, seu potius sub pœna amissionis distributionum in casu &c.*

II. *An cum eodem R. D. Julio Cæsare Miccolis tamquam Presbytero participante d. Ecclesiæ locum habeant pœnæ non residentium tam a jure communi, quam a Sacro Concilio Tridentino inflictæ in casu &c.*

Ad I Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad II, Affirmative.

Sess. 21. c. 3. & sess. 24. c. 11. de Ref.

HORTANA SUPPRESSIONIS CANONICATUS, in qua ambigitur.
An sit locus suppressioni Canonicatus in casu &c.

Negative.

RUREMUNDEN. VICARIÆ, in qua respondendum est. *Sess. 14. c. 9. & sess. 24. c. 18. de ref.*
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

ALBINTIMILIEN. NULLITATIS MATRIMONII. Definita fuit hæc Causa in ultima Congregatione diei 13. Septembris, Dubioque ejus quod erat - *An constet de nullitate matrimonii in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres - *Affirmative*. Libertatem inhians Advocatus Vento ejus ursit repropositionem, ut nunc respondendum sit. *Sess. 24. c. 9. de ref. mat.*
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

POSNANIEN. Speciem hujus Causæ repetere poterunt Eminentissimi Patres ex Folio Congregationis habitæ die 19. Januarii 1754. quod publici juris factum fuit *Vol. XXIII. Thesaur. Resolut. Sac. Congreg.* Quinque erant controversiæ Capita: „ An constet de facultatibus Reverendissimi Episcopi „ Posnaniensis se intromittendi in cognitione litis introductæ contra Commendatorem a Capitulo Cathedralis Posnaniensis, & Parocho S. Joannis, „ itaut illius acta sint circumscribenda in casu &c. II. An Commendator Posnaniensis teneatur ad manutentionem Hospitalis? & *quatenus affirmative*. „ III. An sufficienter huc usque ejusdem Hospitalis, & Pauperum manutentioni satisfactum fuerit? IV. An idem Commendator teneatur petere installationem in Choro a Reverendissimo Capitulo Posnaniensi, eique solvere solita emolumenta pro eadem installatione ad formam judicati in casu &c. „ V. An idem Commendator teneatur præsentare Reverendissimo Episcopo „ Vicarium, qui ejus nomine Ecclesiæ Cathedrali deserviat in Divinis, eique „ opportunum emolumentum subministrare ad formam prædicti Judicati Reverendissimi Nuncii Apostolici Poloniarum in casu &c. *His respondit Sacrum Tribunal* - Ad I. Non esse locum circumscriptioni Actorum. Ad II. „ Affirmative, & amplius. Ad III. Dilata, & scribatur Nuncio Apostolico juxta instructionem. Ad IV. Affirmative. Ad V. Affirmative „. In quæstionem nunc iterum revocantur Dubia IV, & V., ideoque ab Eminentissimis Patribus, prævia repetitione Folii illius Congregationis, respondendum erit. *Sess. 7. cap. 25. & sess. 21. c. 8. de ref.*
An sit standum, vel recedendum a decisis quoad IV., & V. Dubium in casu &c.

Ad IV. In decisis ad formam Installationum a Commendatariis Antecessoribus captarum. Ad V. Dilata, & coadjuventur probationes, audito Vicario Curato.

ARIMINEN. Cum Artifices quidam, & Fabri Ariminenses anno 1536. Sodalitium nomine *S. Josephi* instituere cuperent, postularunt a Patribus Minoribus Conventualibus ædiculam nuncupatam *S. Maria del Paradiso*, quæ intra ambitum Conventus erat, & ad quam e via publica patebat accessus. Patres non ædiculam tantum, sed etiam proximum Terræ solum concesserunt, dato iis onere tradendi quotannis *Cereum Paschale* pro Conventu, & eligendi Cappellanum Sodalitii ex Patribus Conventualibus. Hac ratione institutum Sodalitium aggregatum inde fuit majori sodalitio ejusdem nominis, quod est in Urbe. Anno 1581. Sodalium impensis, & stipe collecta ampliata fuit parva illa, & angusta ædicula, quæ tamen, cum ne sic quidem Sodalibus omnibus satis esset, anno 1618 augumentum accepit Oratorii suis sumptibus exructi a Sodalibus in proximo illo Terræ solo, quod Patres Conventuales concesserant. *Sess. 22. c. 8. de Ref.*

rant, situm intra ambitum Conventus, patente tamen aditu ex via publica. Ædicula ampliata fuit, & Oratorium extructum a Sodalibus jure utilis, seu superficiarii, aut perpetuarii Dominii, nulla impetrata venia a Patribus Conventualibus, qui probe id agnoscentes recusarunt solum illud alteri Sodalitio *Sanctæ Crucis* concedere, quod pridem concessum fuisset Sodalibus *S. Josephi*. Sodalitium hoc tam ab Episcopis, quam a Ministro Provinciali Ordinis Conventualium visitatum fuit, licet ex iis non sit, quæ Ordini adnexa sint, & unita cum participatione privilegiorum. Congregationibus Sodalium præesse solebat Vicarius Generalis Episcopi, inde ejus nomine P. Guardianus præesse cæpit, tandem ad hunc, & ad Patres Conventuales summa rerum devenit, cum duo ferret Guardianus in scrutiniis suffragia, & Congregationibus intersint cum voce activa, & passiva omnes Ordinis Patres, qui sive post Professionem in Sodalitium cooptati sint, itaut nihil contra eos a Sodalibus decerni possit. Nuper autem ortis inter Patres, & Sodales controversiis causa cujusdam Fabricæ, Sodales illi, qui contrario Patrum suffragantium numero victi fuerant, adjerunt Episcopum, a quo latum fuit *provisionale* decretum. Id Patres offendit putantes nullam esse Episcopo Jurisdictionem in hoc Sodalitium, neque ejus decretis extra Visitationem latis esse obtemperandum, ideoque preces hac de re obtulerunt Sacro huic Tribunali. Auditus Episcopus longa Epistola, a qua ea, quæ hactenus narravimus, excepimus, sua, & Sodalitii Jura tuetur, itaut Sodalitium, ut impensis parceret, eam loco libelli sui nobis obtulerit. Controversia omnis VI. Capitibus collecta fuit, quorum lectione facile intelligitur, quid sit id, de quo disputatur. A Patribus nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An solum, in quo ædificata reperiuntur duo Oratoria S. Mariæ de Paradiso, & S. Josephi spectet quoad utile dominium ad Societatem S. Josephi, seu potius ad PP. Minores Conventuales?*

II. *An Episcopus possit privative, seu cumulative visitare dicta duo Oratoria, eorumque Altaria, & omnia adnexa?*

III. *An P. Guardianus Min. Conv. possit assistere uti Præses Congregationibus prædictæ Societatis, & duo suffragia habere in scrutiniis?* Et quatenus Affirmativè.

IV. *An hoc idem liceat Reverendissimo Episcopo, ejusque Vicario Generali, vel alteri eorum nomine?*

V. *An licet Patribus Minor. Conventualibus aggregatis dictæ Societati interesse Congregationibus, ac ibi habere vocem activam, & passivam?*

VI. *An dicta Societas S. Josephi subjecta sit Episcopi Jurisdictioni, itaut teneatur exequi ejus mandata, & decreta, quæ etiam extra Sac. Visitationem edi contigerit pro bono regimine?*

Ad I. Spectare ad Societatem quoad usum tantum. Ad II., & reliqua Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess. 22. c. 6. de reform. & sess. 25. c. 4. de Ref.

MEDIOLANEN. TRANSLATIONIS CAPPELLANIÆ. Cum Joannes Baptista Valzoni natus *Lecci* in Archidioecesi Mediolanensi, sed qui a longo tempore lares transtulerat in Venetiarum Urbem, ejusque Ditionem, parum firma valetudine uteretur, decrevit in Patriam Terram regredi, sed priusquam discederet, Testamentum scripsit *die* 18. *Martii anno* 1722., in quo hæredem instituit Carolum Valzonum fratrem suum, eique substituit filios quatuor suarum sororum: quædam etiam dixit legata, & inter hæc unum his verbis „ Voglio, che subito dopo la mia morte sia dall' infra-„ scritti miei Signori Commissarj consegnato un capitale sufficiente, o in-„ vestito, o in denari effettivi all' Oratorio, o sia Scuola della Beata

„ Ver-

„ Vergine Maria del Rosario nella Parochiale di S. Giovanni alla Castagna „ del Territorio di Lecco Diocesi Milanese da essere impiegato il provento „ annuo del medesimo perpetuis temporibus in far celebrare una Messa „ quotidiana all'Altare di detta Beata Vergine Maria del Rosario di detta „ Chiesa con l'applicazione del sagrificio in suffragio dell'anima mia, e „ conforme la mia mente „ Administrationem hujus *capitale sufficiente* dedit Sacerdotibus descendentibus a dictis suis quatuor sororibus, his deficientibus, voluit, ut sacra agerentur a descendentibus e linea Valzoni, & in defectu omnium a Sacerdote nominando a Sodalibus dictæ Scholæ B. Mariæ Virginis Rosarii. Commissarios vero, sive Exequutores nominavit, elegitque Franciscum Antonium Tocchetti, & Sacerdotem Josephum Badoni, quorum uterque hæres erat substitutus, & alter Venetiis, alter Lecci moram trahebat.

Patriam suam post conditum Testamentum revisit Testator, sed expertus aeris illius inclementiam rediit paulo post in Ditionem Venetam, pecuniamque omnem suam erogavit partim in Mensam Reipublicæ, quam vocant *Banco della Zecca*, partim vero in emptionem Bonorum cum Domo, & *Oratorio* in Villa Gardiani, seu Gardegiani Diœceseos Tarvisinæ, atque hæc emptio facta ab eo est *in fine mensis Maii anno* 1745., & paucis post hanc emptionem diebus, ictu apoplexiæ percussus continuo obiit, conditusque fuit in Ecclesia Parochiali ejusdem Villæ Gardiani. Nullam in hæreditate pecuniam invenerunt Exequutores, nisi quæ vix satis fuerat ad funus. Ut igitur impleretur voluntas Defuncti, qui jusserat Cappellaniam fundari in Oratorio B. Mariæ Virginis *del Rosario* in Villa S. Joannis Castaneæ, seu *Varigioni* Archidioecesеos Mediolanensis, Exequutores Testamentarii Sodalibus obtulerunt ratam *del Capitale investito nel Banco della Zecc.* Venetiarum; sed illi recusarunt, quod non esset in Ditione Mediolanensi, contendentes sibi dari, vel pecuniam numeratam, vel Bona, quæ Testator possedit in Territorio Lecci. Neutrum fieri posse dicebant Exequutores, quod pecunia numerata in hæreditate reperta non fuisset, neque vendi posse, aut Bona, aut Credita *del Banco della Zecca*, & pecuniam tradi Sodalibus, quod Legibus Venetis vetita sit pecuniarum extractio: Bona vero, quæ Testator possedit in Territorio Lecci assignari non posse ab Exequutoribus pro dote, & fundo Cappellaniæ, cum subjecta essent ab ipso Testatore Fideicommisso, neque ea dari eum voluisse Sodalibus, cum neque id expresserit, cum facile potuisset exprimere, neque venire possint nomine *di Capitale investito*, quia familiaria sint, & a Majoribus Testatoris proveniant, neque denique sit *Capitale sufficiente* pro redditu Cappellaniæ.

Re igitur infecta, lapsum est decennium ab obitu Testatoris, neque adhuc fundata est Cappellania: Exequutores itaque, ut ad exitum voluntas Testatoris perduceretur, preces obtulerunt *Sanctissimo Domino Nostro*, quibus postulabant translationem Cappellaniæ ab Oratorio B. Mariæ Virginis *del Rosario* Loci Varigioni, seu S. Joannis Castaneæ in Ditione Mediolanensi ad Oratorium, quod Testator post conditum Testamentum emerat cum aliis Bonis in Villa Gardiani, seu Gardegiani Venetæ Ditionis. Data fuit Eminentissimis Patribus hujus postulationis cognitio, & rogatus fuit Eminentissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Mediolanensis, ut, auditis Sodalibus, animi sui sententiam aperiret. Sodales rationes suas, quibus aut pecuniam numeratam, aut Bona, quæ in Territorio Lecci sita sunt, sibi dari petebant pro dote, & fundo Cappellaniæ, scriptis expresserunt, quæ Eminentissimus Archiepiscopus epistolæ suæ attexuit; Ipse respondit, „ quod ubi „ vera sint exposita in precibus relative ad gesta per eumdem Testatorem „ in Ditione Veneta, & non obstare videantur EE. VV. deducta per eamdem „ Scholam, quantum ad me attinet plene me submitto circa concessionem „ petitæ translationis superiori, quo pollent, judicio EE. VV. „ Causa nunc proponitur, & disputant Exequutores injuste recusari a Sodalibus *il*

Capi-

Capitale ab ipso Teſtatore ante obitum *inveſtito nel Banco della Zecca*, quia Venetiis ſit, non in Ditione Mediolanenſi, cum quoties Teſtator locum non adjecit, in arbitrio ſit ſive hæredum, ſive Exequutorum, ubi, & quo loco præſtent, dummodo, quod præſtant, hæreditarium ſit, & ideo *providendum eſſe* ab Eminentiſſimis Patribus, ut teneantur Sodales idem *Capitale* hæreditarium, & *inveſtito* recipere, ut Cappellania in Oratorio a Teſtatore deſignato fundari poſſit.

Quod ſi Eminentiſſimis Patribus videatur jure a Sodalibus illud recuſari, non alia ratione impleri poſſe voluntatem Teſtatoris, quam translatione Cappellaniæ, idque duabus rationibus; altera, quia impoſſibile ſit alio modo eam impleri poſſe, cum duo illi modi, quos volunt Sodales, exequi nequeant, ut ſupra diximus; Altera vero, quia præſumendum ſit ex conjecturis, & argumentis Teſtatorem poſt reditum ſuum in Venetam Ditionem mutaſſe voluntatem, & Cappellaniam transferre voluiſſe ab uno in aliud Oratorium, niſi ſubita morte præventus fuiſſet. Cum enim poſt conditum Teſtamentum expertus valetudini ſuæ noxium aerem patrium rediſſet in Ditionem Venetam, & pecuniam omnem ſuam erogaſſet in Menſam Reipublicæ, & in emptionem Bonorum in eadem Ditione, apertum ſit eum depoſuiſſe animum regrediendi in Terram Patriam, ibique decedendi, ut fortaſſe ſperabat tempore, quo Teſtamentum ſcripſit, & Cappellaniam fundari voluit in Oratorio, ſeu Schola B. Mariæ Virginis *del Roſario*; cum vero Oratorium emit, cenſendum ſit eum maluiſſe potius ad Oratorium ſuum Cappellaniam transferre, quam eam in alieno Oratorio retinere; præſertim cum in ipſo Teſtamento facultatem ſibi reſervaverit mutandi diſpoſitionem ſuam, eamque transferendi, quod non niſi de hoc pio Sacrorum Legato recte poſſit interpretari. Hæc atque alia Exequutores Teſtamentarii. A Sodalibus nihil habuimus. Dubium Cauſæ eſt.

An ſit locus translationi Cappellaniæ ordinatæ a quondam Jo: Baptiſta Valzoni in Oratorio B. Mariæ Virginis Sanctiſſimi Roſarii Varigioni ad Oratorium Villæ Gardegiani per Teſtatorem emptum in Statu Veneto, ſeu potius, an, & quomodo ſit providendum in caſu &c.

Quoad translationem negative, & quoad aſſignamentum Capitalis partes utantur jure ſuo coram Eminentiſſimo Archiepiſcopo.

Die Sabbathi 6. Decembris 1755.

Seſs. 23. c. 4. & ſeſſ. 22. c. 8. de ref.

CIVITATIS CASTELLI JURIS ELIGENDI CAPPELLANUM: Speciem omnem hujus Cauſæ repetere poterunt Eminentiſſimi Patres ex Folio Congregationis habitæ die 13. tranſacti menſis Septembris, in quo plene data fuit. Dubio ejus, quod erat „ An Cappellanus Confraternitatis B. „ Mariæ de Planctu cogendus ſit ad audiendas Sacramentales Confeſſiones „ in caſu &c. „ Reſpondit Sacrum Tribunal — *Negative*. Redit cauſa ad novum Ampliſſimorum Patrum Judicium, & reſpondendum eſt.

An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis in caſu &c.

Non propoſita.

Seſs. 22. c. 8. de Ref.

ROMANA REDUCTIONIS LEGATORUM. Hæc quoque Cauſa data fuit in eodem Folio Congregationis habitæ die 13. menſis Septembris, & duobus ejus Dubiis, Primo „ An ſit locus diminutioni Legatorum ratio„ ne Concordiæ, & expenſarum litis? & quatenus Affirmative: II. An, „ & in qua ſumma Legata debeantur in caſu &c. reſponſum fuit „ Ad I. Ne-

„ ga-

„ gative: Ad II. Provisum in Primo „ Retractari Judicium postularunt Sodales SS. Trinitatis Peregrinorum, ideoque nunc decernendum erit.
An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

CIVITATIS CASTELLANÆ ADMISSIONIS AD LEGATUM STUDIORUM: Data fuit plenissime hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 23. superioris mensis Augusti, & dubio ejus, quod erat „ An Filii „ Sanctæ Nardoni sint admittendi ad Legatum studiorum relictum a Theo„ philo Gargani in casu &c. „ Responderunt Eminentissimi Patres -- *Negative*: Pugnam nunc acriori certamine instaurant Fulvius Cælestinius, Civitas, & Cives, ut decernatur. *Sess. 22. c. 7. de Ref.*
An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Non proposita.

CASSANEN. NULLITATIS PROFESSIONIS: Statuit Aniellus Colimodius Neapolita Ordini Minorum Conventualium S. Francisci nomen dare, & a Patribus transmissus fuit in Civitatem Castrimillarum. Habitu Ordinis indutө, acceptoque nomine *P. Angeli Mariæ* Probationis Domum ingressus est die 19. Februarii, hora 12. anno 1748. Expresserunt Patres in libro Tyronum ipsum ingressum fuisse *con la Figliolanza del nostro Convento di Corigliano*. Cum in Probatione esset, preces obtulit *Sanctissimo Domino Nostro*, quibus postulavit dispensationem ab integro Probationis anno, eamque obtinuit, ut posset, impleto octavo mense, Professionem emittere. Die igitur 19. Octobris hora 15. eodem anno 1748. Professionem emisit: Post eam emissam legens, ut ipse narrat, Regulas Ordinis, agnovit ejusdem nullitatem, ideoque anno 1751. coram Vicario Generali Cassanensi, & P. Guardiano Judicibus querelam ejusdem nullitatis proposuit. Fundamentum nullitatis erat in *Const. Urban. cap. 2. Regul. Tit. 6.* quibus cavetur „ ne quisquam „ in posterum ad Probationem, vel Professionem admittatur, qui prius ab „ aliquo Conventu pro ejus filio receptus non sit, alias Admissio, & Profes„ sio nulla sit, & Admittentes ipso facto privationem incurrant „ Legem hanc, quæ expressam nullitatis poenam indicit, servatam non fuisse; nam die 19. Februarii 1748., qua ipse admissus fuit ad Probationem, a nullo Conventu pro ejus filio receptus fuerat, falsoque Patres in Libro scripsisse con la figliuolanza del nostro Convento di Corigliano, cum a Conventu Coriolani non fuerit in filium receptus, nisi die 23. ejusdem mensis Februarii, & consequenter *quatuor diebus* post suum ingressum in Probationem, cum tamen a Constitutionibus requiratur, ut Admittendus *prius* recipiatur *ab aliquo Conventu pro ejus Filio*, & inde *ad Probationem admittatur*. *Sess. 25. c. 15. de Reg.*

Re perspecta, in diversas Judices discendebant sententias: P. Guardianus validam censebat Professionem: Vicarius Generalis *erat in sensu deferendi propositæ nullitati Professionis*. Discordiam diremit mors Episcopi Cassanensis, ex qua factum est, ut finita Vicarii Generalis Jurisdictione, sententia ferri non potuerit. Venit igitur Pat: Angelus Maria ad hoc Sacrum Tribunal, & audito jam novo Episcopo, Causa nunc proponitur. Urget in se eamdem nullitatem, neque spectanda esse, quæ coram primis Judicibus Patres Conventuales proponebant, validam nempe censendam esse Professionem, quia *ante eam* pro filio receptus fuerant a Conventu Coriolani, cum Constitutiones Urbanæ *alternative* disponant *ad Probationem vel Professionem admittantur*, unde satis sit unum ex alternatis verificari: Negat enim particulam illam VEL stare *alternative*, sed dicendum esse stare *augumentative*, cum inde utraque (Admissio nempe, & Professio) *copulative* nulla declaretur -- *alias Admissio, & Professio nulla sit* -- itaut nullitas Admissionis secum fe-

rat nullitatem Professionis. Addit clarius id evinci ex Constitutione san. me. Alexandri VII., cujus initium est *Inscrutabili*, quæ lata fuit ad declarandas explicandasque Constitutiones Urbanas, quæque hæc habet „ Declaratur „ demum Decretum Urbanæ Constitutionis de non admittendo ad Probatio- „ nem, vel Professionem ante aggregationem ita esse intelligendum, ut nul- „ lus deinceps Novitius ad Probationem admittatur, nisi de prævia aggrega- „ tione legitime constiterit „.

Pergit P. Angelus, & disputat Professionem suam nullam fuisse, etiamsi dicamus satis esse, ut receptio in filium præcedat *solam Professionem*, quia hoc casu deficerent quatuor dies integro tempori octo mensium Probationis, quando si Admissio nulla fuit, non possunt quatuor illi dies, quibus nondum ipse in filium receptus fuerat, numerari intra tempus habile ad Probationem, & consequenter Professio emissa ante impletum octavum mensem nulla esset ex dispositione Tridentini: Neque ad rem pertinere Decretum Sacri hujus Tribunalis latum anno 1726., & confirmatum auctoritate san. memor. Benedicti XIII., ut in *Lib. Decret. 76.*, *& seq.*, quod coram primis Judicibus ab Ordine opponebatur: Nam decretum, quod his verbis conceptum est „ Sacra Congregatio audito P. Procuratore Generali Ordinis perpensisque ejusdem Ordinis Constitutionibus, censuit non esse admittendas instantias „ nullitatis Professionis ex capite nullitatis Filiationis, & suspendendum esse „ in confectione Processuum, si qui forte incæpti sint, super nullitate Profes- „ sionis ex dicto capite „ intelligi debeat, & locum habeat, non quando Filiatio omnino deficit, esset enim contrarium Constitutionibus, sed quando Filiatio ex aliquo defectu nulla, & invalida dicatur, & ex nullitate Filiationis nulla dicatur Professio, quo casu silent Constitutiones: Abesse igitur speciem Decreti a specie nostra, in qua Filiatio non dicitur nulla, & invalida, sed Professio dicitur nulla ex capite *defectus Filiationis* ante admissionem ad Probationem, & ex capite *defectus integri Temporis* Probationis. Hæc atque alia P. Angelus. Neque ab Ordine, neque a *Defensore Professionis* aliquid hactenus habuimus. Dubium est.

An constet de nullitate Professionis in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess. 25. c. 4. de Ref.

ROMANA APPLICATIONIS: Testamento, quod condidit Felix Amadorius anno 1639 legavit Francisco Fratri, & hæredi scripto sc. 700. Ecclesiæ, & Sodalitio S. Joannis Nationis Florentinæ, dato onere unius sacri quotidiani. Auxit eam summam Franciscus in aliis sc. 300., quod oneri dato impar esset, omnemque illam summam erogavit in Censum annui redditus sc. 45., qui ab eadem Ecclesia, & Sodalitio contractus fuit, impositusque domui in Via *de Cimatori*, Censumque ipsum cessit Ecclesiæ, & Sodalibus in causam Legati cum onere sacrorum. Sortem hujus Census, seu sc. 1000. convertit Ecclesia, & Sodalitium in extinctionem partis gravioris Census sc: 10. mila, quem anno 1611. vendiderant Genti Salviatæ, cujusque sortem erogaverant in opus novæ Ecclesiæ immani sumptu extructæ, & in publicis hujus extinctionis tabulis cessa fuerunt a Gente Salviata, & in Franciscum translata jura omnia, cum ejus pecunia pars illa Census redimeretur. Cum vero Sodalitium gravi ære alieno ex causa novi operis Ecclesiæ contracto premeretur, & plurima distraxisset bona legata cum onere sacrorum, itaut, diminutis redditibus, ne ordinariis quidem sumptibus ferendis potis esset, anno 1694. preces obtulit san. memor. Innocentio XII., quibus postulavit tam reductionem, & deletionem Legatorum, & eorum præsertim, quorum fundi distracti fuerant, quam remissionem, & indulgentiam pro iis oneribus, quæ impleta non fuerant. Postulationis hujus cognitio data fuit Sacro huic Tribunali, a quo rogatus fuit Cardinalis Petruccius ejusdem Ecclesiæ Visitator Apostolicus, ut de ea animi sui sententiam explicaret.

Car-

Cardinalis Visitator, statu Ecclesiæ diligenter perspecto, respondit „ Deputa-
„ tos occasione magnificæ structuræ novæ Ecclesiæ plura debita contraxisse,
„ capitaliaque Legatorum (inter quæ numeravit etiam Legatum hoc Ama-
„ dorium, de quo agitur) aliasque pecunias cum onere Missarum a Fideli-
„ bus receptas, vel in Fabricam consumpsisse, vel in extinctionem debito-
„ rum contractorum erogasse, unde Missarum Legata, & obligationes, qui-
„ bus Ecclesia prædicta gravata reperitur usque ad numerum 4615. sine ul-
„ la prorsus Dote remanserunt &c. itaut Ecclesia, & Societas ex hodier-
„ nis redditibus nec alienationes prædictas reintegrare, immo nec propriis
„ necessariis, & invariabilibus expensis Ministrorum, & sacrarum suppel-
„ lectilium aliisque fixis oneribus satisfacere poterat „: sententiam inde animi sui aperuit *Pro Gratia*. Sacra igitur hæc Congregatio die 19. Junii anno 1694. Cardinali Visitatori „ benigne commisit, ut veris existentibus narratis,
„ & injuncto Ecclesiæ onere qnotannis celebrari faciendi duodecim anniver-
„ saria, unum nempe quolibet mense pro Animabus Benefactorum, quorum
„ Capitalia non existunt, Confratribus vero nunc, & pro tempore existen-
„ tibus applicandi quascumque preces generaliter in eadem Ecclesia recitan-
„ das in suffragium eorumdem, Oratoris, & Ecclesiam super omissione
„ in præteritum pro suo arbitrio, & prudentia absolvat, & onera prædicta,
„ quorum Capitalia non existunt, omnino debeat: Cætera vero, quorum
„ redditus insufficientes existunt &c. pro suo arbitrio, & prudentia modere-
„ tur, atque reducat.

Decretum hoc Sacræ Congregationis approbatum, confirmatumque fuit a Summo Pontifice, & Cardinalis Visitator Legata, quorum fundi distracti consumptique fuerant, & inter quæ Legatum etiam Amadorium recensuit, omnino delevit. Nuper autem R. Fabrica S. Petri coram suo Judice egit contra Ecclesiam, & Sodales pro applicatione annorum decursorum fructuum Legati Amadorii; quia hoc Legatum habuerit semper, & nunc habeat suum fundum, Censum nempe sc 1000. in domo posita in Via *de Cimatori*, ideoque inter Legata Pia a Cardinali Petruccio Visitatore deleta comprehendi non potuerit, cum ipse ex decreto Sacræ hujus Congregationis ea dumtaxat delere posset, quæ fundis, & Capitalibus carebant. Causa decreto Eminentissimi Domini Cardinalis Pro-Auditoris Sacro huic Tribunali delegata fuit, & disputant nunc Ecclesia, & Sodales, pluribus collectis rationibus, potuisse Cardinalem Petruccium Visitatorem hoc quoque Legatum Amadorium delere, quia Census impositus fuerit in domo ipsius Ecclesiæ, nullosque novos fructus perceperit. An hæ rationes vim babeant, Judicium erit EE.PP. A.R. Fabrica nihil habuimus. Dubium est.

An sit locus applicationi Bonorum, de quibus agitur, favore R. Fabriæ S. Petri pro asserto inadimplemento Legati pii de Amadoriis in casu &c.

Non proposita.

NEAPOLITANA ALIMENTORUM. Cum nullam Professionem suam dicere vellet, & Causam restitutionis in Integrum agere coram Vicario Generali Neapolitano Fr. Januarius Priscolus Ordinis S. Joannis *De Deo*, postulavit ab eodem Vicario Generali, ut locum alium extra claustra sui Monasterii adsignaret, ubi tutius litem agere, & prosequi posset. Vicarius decreto lato die 27. Maii anno 1746. assignavit Monasterium „ Montis San-
„ cti Patrum Carmelitarum, durante tempore litis pro loco moræ, & ha-
„ bitationis „ Hujus itaque Decreti titulo receptus in eo Monasterio Priscolus integro duorum annorum, binorumque mensium spatio hospes in illo permansit, inde valetudinis adversæ causa impetrata venia a Pat. Provinciali Carmelitarum, ad Monasterium Capitis Chini ejusdem Ordinis translatus fuit, ubi alios decem menses moratus est, & denique eadem ex causa adversæ valetudinis Puteolos se contulit in aliud Carmelitarum Monasterium,

ubi per integrum annum novemque menses degit, itaut tempus omne, quo inter Carmelitas egit, faciat annos quatuor, & menses novem. Causa tandem cecidit Priscolus Decreto Sacri hujus Tribunalis, & ad Monasterii sui claustra redire coactus fuit; Carmelitæ igitur, qui alimenta Priscolo præstitisse dicebant, ea repetierunt a Fratribus S. Joannis *de Deo*, seu a Conventu *S. Mariæ de Pace*, in quo Priscolus Professionem emiserat. Debitum agnovisse Fratres S. Joannis videbantur, dum veniam impetrantes a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium Negociis præposita contrahendi Censum ducatorum bismille, ut æs alienum, quod pluribus ex causis contraxerant, dimittere possent, expresserunt debitum Ducatorum 300. pro alimentis, quæ Carmelitæ Priscolo præstiterunt.

Longe aliter tamen, quam dixerant, egerunt negantes a Carmelitis præstita unquam fuisse alimenta Priscolo, quæ denegatio in causa fuit, ut Carmelitæ eos in Jus vocarent coram Nuncio Apostolico. Decreto igitur Nuncii coactus fuit idem Priscolus declarare, a quibus alimenta recepisset, & declaravit sub Juris Jurandi religione integro illo tempore apud Carmelitas degisse, & ab ipsis non alimenta solum, sed etiam pharmaca recepisse. Auditi quoque fuerunt plures Testes hinc inde inducti. Pars Testium datorum a Fratribus S. Joannis narravit Priscolum annis 1746., & 1747. (quo tempore in Monasterio *Montis Sancti* degere debebat) venisse sæpius in prædia germani sui Fratris, eoque tempore, vel se pecunia sua aluisse, vel a germano Fratre altum fuisse. Pars reliqua Testium non negat Priscolum in Monasteriis Carmelitarum permansisse, sed eum vixisse dicit in Monasterio *Capitis Chini* tum aucupio, tum negociatione avium, quas *Canarias* vocant: *Puteolis* vero altum fuisse a fratre, & sorore, idque referunt Testes ex auditu ab ipso Priscolo: Atque hæc Testes dati a Fratribus S. Joannis. Contra vero Testes dati a Carmelitis constanter, & de mora atque habitatione Priscoli in Monasteriis Carmelitarum, & de alimentis eidem præstitis testificationem fecerunt. His accessit declaratio sororis (Frater enim germanus vita functus erat) quæ Priscolum alimenta a Carmelitis, dum in eorum Monasteriis moram traxit, recepisse dixit, addidit tamen eam fere per annum Fratri præstitisse alimenta, quoties nempe in defuncti Fratris prædia veniebat.

Post horum Testium examen censuit Nuncius Apostolicus Causam ad hujus Sacri Tribunalis Judicium pertinere: Nunc itaque proponitur, & disputant Carmelitæ de eorum credito dubitandum non esse: Eos enim alimenta Priscolo præstitisse liquido constare ex confessione Fratrum S. Joannis emissa in precibus oblatis Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, ex declaratione jurata ipsius Priscoli, & ex alia ejus sororis, ex Testibus denique, quos ipsi dederunt, quibus cum nulla ratione conferendi sint, qui a Fratribus S. Joannis dati fuerunt, quod varii sint, discordes, mendaces, & ab ipsis Priscolo & sorore, quos in contestes vocant reprobentur: De quantitate vero eorum crediti judicium ab Eminentissimis Patribus esse ferendum. Ipsi putant statuendum esse *duorum Carolenorum* in singulos dies, neque eam summam excessivam dici posse, si ratio habeatur non cibariorum tantum, sed etiam habitationis, lecti, linteorum, medicaminum, & aliorum omnium, quæ ad vitam sunt necessaria. Hæc Carmelitæ. A Fratribus S. Joannis *de Deo* nihil habuimus. Dubium est.

An, & in qua summa sint solvenda alimenta in casu &c.

Ad D. Secretarium pro omnimoda concordia etiam ex officio.

Sess. 24. c. 18. de Ref.

MONTIS ALTI CONGRUÆ: Parochialis Ecclesia S. Petri Oppidi Castignani quatuor numerat Præbendator, & Priorem, cui soli cura Animarum incumbit. Limites suos ad tertium usque lapidem extra Oppidum Parochia protendit, & constat Familiis 296., quæ constituunt Capita 1331., que-

quorum pars dimidia per agros dispersa est. Præter onera Parochialia Prior sive Parochus alia non levia subire cogitur: Choro siquidem, & Altari interesse debet Festis diebus omnibus, ut, & singulis Lunæ, & Sabathi sacrum facere antelucanum, & meridianum quinis quibuscumque hebdomadis sine applicatione, Festis omnibus *duplicis classis* integrum in Choro Officium psallere. His tamen oneribus redditus non respondent; *Certi* namque, deductis iis, qui in solutionem onerum Cameralium, & in compensationem Sacrificiorum pro Populo cedunt, vix summam efficiunt scut. 20., *Incerti* vero vix menstruos obulos 60., nam ex antiquissima consuetudine nullam Parochus percipit *funerariam* partem. Redditus certi partim ex tenui Præbenda Parochiæ annexa, partim ex decimis proveniunt: Decimæ pinguiores essent, si a solo Parocho colligerentur; sed in universa Parochia, quæ in Regiones 45. dividitur, vix septem, eæque steriliores Regiones decimas Priori præstant: In cæteris Regionibus eas colligunt Præbendati Ecclesiæ, aliique exteri Beneficiarii, quos inter Episcopus est Asculanus contra literam apertam Sistinæ Constitutionis, quæ lata fuit anno 1587. Ita Parochus tenetur onera curæ solus implere, alii vero decimas colligunt.

Ut primum Parochiam hanc obtinuit Vincentius Ciccolinius, his cognitis, preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, postulans, ut Decimatores omnes, qui in ambitu Parochiæ sunt, vel onera Parochialia subire in iis Regionibus, in quibus decimas colligunt, vel congruam Parocho ex decimis supplere tenerentur, & Jus eidem Parocho daretur integras decimas colligendi in Regionibus *Rufiani*, quæ ex solo musto eas præstat, & *Lacus*, quæ nullas persolvit. Data fuit Eminentissimis Patribus postulationis hujus cognitio, & auditi fuerunt cum Episcopus Montis Alti, in cujus Diœcesi Castignanum est, tum Episcopus Asculanus. Ille vera esse respondit omnia, quæ Parochus narravit in precibus, & his „ omnibus rite perpensis, nec non addita mise- „ ra admodum illius Ecclesiæ suppellectili, & periculosa Patrum, & Fi- „ liarum, Matrum, & Filiorum generationis capacium, & Fratrum soro- „ rumque nubilium in eodem lecto paupertatis causa cubatione, quæ quidem „ inconvenientia, cum pauper sit, & ipse Pastor, tollere omnino nequit, „ justam esse ducit petitionem ab Oratore porrectam „. Episcopus Asculanus haud ita pridem defunctus sese ad Episcopi Montis Alti suffragium retulit, & ad jura, quæ in hoc Sacro Tribunali ab aliis Decimatoribus proponentur. Preces etiam Eminentissimis Patribus obtulerunt homines Castignani eadem, quæ Parochus, postulantes. Causa nunc proponitur, & congruam postulat Parochus, quam sibi debitam contendit a Decimatoribus omnibus, quod fructus omnes Jure Divino ob Sacramentorum administrationem hypotheca pro congrua sint affecti, quam tollere voluisse censendum non sit Summos Pontifices, cum Jus decimandi iis concesserunt, si vere hoc Jus habeant Summi Pontifices. Congruam in annuis scut. 200. statuendum esse, neque hanc summam excessivam dici posse, cum ob numerum Populi, atque amplos Parochiæ limites, intra quos Parochiani sparsim degunt, tres saltem Sacerdotes sibi debeat adjungere, a quibus adjuvetur in cura Animarum, quibusque alendis vix satis esse possint scut. 100. annua, reliqua vero scut. 100. pro sua congrua esse debeant. Hæc Parochus. A Decimatoribus nihil habuimus. Unum est Causæ Caput.

An, & a quibus, & in qua summa sit supplenda congrua Priori Curato S. Petri Castignani intra fines suæ Parochiæ in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

CAMERACEN. NULLITATIS PROFESSIONIS: Post decem, & octo annos a die ingressus in Monasterium *de Bliquii* Ordinis S. Francisci querelam nullitatis suæ Professionis ob vim metumque a Matre illatum anno 1753. in Archiepiscopali Curia Cameracensi proposuit Maria Placida Hoverland, *Sess. 25. c. 19. de Regul.*

land, inde libello, quem obtulit *Sanctissimo Domino Nostro*, postulavit in integrum restitui adversus lapsum quinquennii. Data fuit Eminentissimis Patribus postulationis hujus cognitio, & mandata Archiepiscopo Jurisdictio, ut servata forma cognitissimæ Constitutionis ejusdem *Sanctissimi Domini*, processus probationum actorumque fieri posset. Processu in Urbem advento, Causam nunc proponitur, & Michael Giraud, aliique litis contra Mariam Consortes narrant eam in Monasterium, prævia iterata liberæ suæ voluntatis disquisitione, receptam fuisse, transactoque probationis anno volentem lubentemque Professionem emisisse die 1. Februarii anno 1736. obiisse Matrem, a qua vis illata dicitur, anno 1745., neque ante matris obitum, neque post obitum auditam unquam fuisse a Sanctimonialibus vocem aliquam Mariæ, qua de vi materna quereretur: Potuisse eam, vix defuncta matre, querelam proponere, cum causa metus desiisset; nec reponi posse eam non reclamasse, quod sub Monialium oculis assidue fuerit, nam cum in eo Monasterio non servetur Clausura, & Moniales sive per Oppidum, sive per vicinas Civitates vagentur, ut infirmis serviant, utque rusticentur, uti etiam a Maria factum fuit, nulla erat causa, cur a Monialibus metuerit: non esse igitur post quinquennii lapsum audiendam, quia cum a die obitus matris octo anni transegerint, rati habita censeatur Professio. Hinc inutile esse de Testibus, quos Maria proposuit ad vim metumque illatum probandum agere, & tamen, singulis excussis, nullum esse, qui aut vim, probet, aut eam directam fuisse ad cogendam filiam, ut Professionem emitteret. Hæc summa est libelli a Michaele dati. Neque a Maria, neque a *Defensore Professionis* aliquid habuimus. Dubium est.

An constet de nullitate Professionis in casu &c.

Non esse locum restitutioni in integrum, & amplius.

Sess. 4. c. 9. de Reg. Matr.

ADIACEN. NULLITATIS MATRIMONII: Captus amore Nobilis sed pauperis Puellæ Mariæ Felicis Puteoburgensis Simon Thadæus Ornanus singrapham scripsit, qua futuras cum ea nuptias promittebat, nulla tamen in eadem expressa repromissione Mariæ Felicis. Mutavit inde, qua Causa ignoramus, voluntatem, & Nuptias contrahere recusabat. Hæc recusatio in causa fuit, ut Consanguinei Mariæ Felicis sese lætos reputantes ad graves minas venirent: *Venne da noi* verba sunt Nobilis Genuensis Commissarii Adiacii „ Persona attinente di detta Nobile Maria Felice &c., e ci disse, che se „ detto Capitan Tadeo non isposava detta Nobile Maria Felice, le cose sarebbono malamente andate, o sia per lui, o sia per il Signor Pievano di „ Tavera di lui Fratello &c. le quali minaccie in sostanza capivamo essere „ della vita „. Sed licet parum idem Commissarius cum Simone Thadeo profecisset, repente auditum fuit in Civitate contractum fuisse in mediis extra Urbem agris Matrimonium inter Ornanum, & Mariam Felicem. Ornanus tamen illico post nuptias contractas in jus vocavit Mariam Felicem, contendens nullum esse matrimonium, utpote vi metuque contractum. Contra Maria Felix alimenta, & sumptus litis sibi dari postulavit. Judex decrevit audiendos esse Testes de paupertate Mariæ Felicis testificantes, quibus auditis, illico sententiam tulit, qua pronunciavit *constare de specifica paupertate Mariæ Felicis*, & teneri Ornanum ad alimenta, & sumptus Litis. Appellavit Ornanum ad hoc Sacrum Tribunal, dimissaque de alimentis, & sumptibus litis quæstione, de Matrimonii validitate dumtaxat agit. Rem ita narrat Ornanus: Compositum fuisse facinus inter Consanguineos Mariæ Felicis, & ipso penitus ignaro, petitam fuisse veniam a Pro-Vicario Generali contrahendi Matrimonium.

His compositis, dum ipse ad mare descendebat visurus navim onerariam, quam conscendere debebat Genuam profecturus, ultra primum ab Urbe lapidem aggressum fuisse a Consanguineis Mariæ Felicis, & vi armata compulsum, ut in

ut in abditum quemdam in agris locum iret, ibique coactum epistolam dare ad Mariam Felicem, qua petebat, ut illico veniret ad contrahendum matrimonium, quod *faccio volontieri, e non forzato, e intendo, che sia legitimamente fatto*. Venisse Mariam Felicem cum Sacerdote, & contractum ita fuisse Matrimonium; Nullum itaque illud fuisse defectu consensus præstiti vi metuque: Metus probationem difficillimam esse, haberi tamen ex actibus antecedentibus, & concomitantibus, ac subsequentibus: Et quidem ex antecedentibus, quia certæ sint graves minæ, ut indubiam testificationem fecit Nobilis Genuensis Adiacii Commissarius, quia servata non fuerit forma veniæ contrahendi Matrimonium datæ a Provicario Generali, quia nulla cogitari causa possit, cur Matrimonium inter Nobiles contrahi deberet in agro, quia ex Testibus constet de vi Ornano illata, cum visus ab ipsis fuerit duci inter duos armatos Mariæ Felicis consanguineos, præcedente ductore rustico pariter armato, & auditæ ab ipsis fuerint ejus querelæ: Ex actibus concomitantibus, quia præsumi non possit mutatio in instanti voluntatis, & Ornanum, qui spretis minis, spretisque monitionibus Commissarii, recusaverat inire matrimonium, quique, jam jam conscensa oneraria navi, Genuam aditurus erat, matrimonium repente contrahere voluisse, & epistolam scribere cum affectata illa declaratione, *quale faccio volentieri, e non forzato, e intendo che sia legittimamente fatto*; Ex actibus denique subsequentibus, quia ex testibus constet Consanguineos Mariæ Felicis sese jactasse de coactione illata Ornano, & quia Ornanus illico querelam nullitatis Matrimonii proposuerat. Hæc Ornanus. A Maria Felice nihil habuimus. Dubium est.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Non proposita.

Die Sabbathi 20. Decembris 1755.

CIVITATIS CASTELLANÆ ADMISSIONIS AD LEGATUM STUDIORUM: Cum hæc Causa proposita non fuerit in ultima Congregatione habita die 6. hujus mensis, licet in ejusdem diei Folio data fuerit, nunc vero, ut credimus, proponatur, rogamus ideo Eminentissimos Patres, ut repetita lectione Folii Congregationis habitæ die 23. superioris mensis Augusti, in quo primum data fuit, & alterius Folii ultimæ Congregationis, Dubium expediant. *Sess. 22. c. 7. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Iterum proponatur.

ACERRARUM CATHEDTATICI: Crebris dilationibus, quas Beneficiarii postularunt; Causa hæc, quæ primum data fuit in Folio Congregationis habitæ die 12. superioris mensis Julii, numquam potuit definiri: Urget nunc Episcopus ejusdem definitionem, & ab Eminentissimis Patribus definiendum erit Dubium. *Sess. 24. c. 13 de Ref.*

An, & a quibus, & in qua summa sit solvendum Cathedraticum Episcopo Accerrarum in casu &c.

Affirmative quoad Beneficiatos ad formam decreti quo vero ad reliquos videatur particulariter.

LARI-

Sess. 25. c. 12. de Ref.

LARINEN., SEU VULTURARIEN. DECIMARUM: Vetus est hæc Causa in hoc Sacro Tribunali, dataque primum fuit in Folio Congregationis habitæ die 21. Julii anno 1753., quod publici Juris factum fuit *Vol. XXII. Thes. Resol. Sac. Congreg.* Postquam impleta fuerunt jussa Eminentissimorum Patrum, ut „ coadjuvarentur Probationes juxta Instructionem, *quæ fuit*, „ *ut* committeretur Episcopo viciniori Deputatio Periti de consensu Partium „ eligendi, sin minus ex officio, qui citatis Partibus, recognosceret, do„ scriberetque Loca, quæ controvertuntur, eorumque limites designaret, „ & præsertim, an eadem sint, quæ nuncupantur Defensæ Vallis cum illis, „ quæ Divi Petri in Valle vocantur, elevata Planta judiciali factæ recogni„ tionis, & descriptionis „; Tandem in Congregatione habita die 10. superioris Mensis Maii duo ejus Dubia proposita fuerunt: Primum erut:, An, „ & ad quem, seu quos spectent Decimæ ex fructibus recolligen. ex Tenu„ ta, seu Defensa Valle, seu la Valle nuncupata in casu &c. & quatenus „ spectent ad Episcopum Larinen., & ad Clerum Collistorti. II. An eisdem „ restituendæ sint Decimæ per Episcopum Vulturarien. & Clerum sæcula„ rem Oppidi Celentiæ perceptæ ab anno 1748 usque ad præsens in casu &c. *His responderunt Eminentissimi Patres*; Ad I. Decimas spectare ad Episco„ pum Larinen., & Clerum Collistort. Ad II. esse restituendas a die mo„ tæ Litis. Redit nunc hæc Definitio ad novum Judicium „, & respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 24. c. 17. de Ref.

CASSANEN. MATRICITATIS, ET PRÆEMINENTIARUM; Duæ sunt in Diœcesi Cassanensi ejusdem nominis Terræ, Altera quod in vertice Collis sita sit, nuncupatur *Castelluccio superiore*, Altera, quod ad ejusdem Collis radices assurgat, vocatur *Castelluccio inferiore*. Inter utrasque intervallum est unius milliarii. Contendunt Incolæ superioris Terræ inferiorem extractam fuisse a Terrigenis superioris allectis a commoditate, planitie, atque amænitate Loci. quidquid autem hujus rei sit, illud certum videtur, Terras has, excepta Territorii promiscuitate, omnino divisas, distintasque esse a tempore, cujus nulla memoria est tam in spiritualibus, quam in temporalibus rebus. Habet utraque suam Ecclesiam *Matricem*: superioris nuncupatur *S. Margharitæ*, cujus Rector erat simplex Parochus: Inferioris dedicata est *Divo Nicolao*, & ejus Rector Archipresbyterali titulo dudum decoratus fuit. Placuit tamen Episcopo anno 1749. Ecclesiam S. Margariæ superioris Terræ in Archipresbyteralem erigere. Hinc ortæ lites, & controversiæ inter Clerum utriusque Terræ, contendentibus Archipresbytero, & Clero inferioris Terræ competere eorum Ecclesiæ *Matricitatem* supra Ecclesiam superioris, atque hinc non licere in sabbatho majoris Hebdomadæ Clero S. Margaritæ era campana pulsare antequam in Ecclesia inferioris Terræ pulsentur; Clerum, & Rectorem Ecclesiæ S. Nicolai præcedere debere in Ecclesiasticis Functionibus, quæ forte unitim fieri contingunt; Erectionem Ecclesiæ S. Margaritæ in Archipresbyteralem non substineri: Unum esse debere utriusque Ecclesiæ Cantorem, seu Choro præfectum. Curia Episcopalis partim secundum Clerum Terræ pronunciavit. Hinc appellationis Causa ad hoc Sacrum Tribunal delata est, & controversiæ omnes VI. Capitibus collectæ fuerunt, quorum lectione continuo intelligitur, quid sit id, de quo disputatur. A Clero S. Nicolai nihil habuimus; Rationes Cleri S. Margaritæ excipere longum esset, & folium in volumen excresceret. Dubia sunt.

I. *An constet de Matricitate Ecclesiæ S. Nicolai Terræ Castellucci inferioris supra Ecclesiam* S. *Margaritæ Terræ Castellucci superioris in casu &c.*

I. *An Ecclesiæ S. Nicolai competat antepulsatio campanarum in die Sabbathi Sancti, seu potius sit locus cumulativæ, vel alternativæ?*

II. *An, & cui ex duobus Cleris, & Rectoribus competat Præcedentia in Processionibus, aliisque Functionibus Ecclesiasticis, quæ forte unitim fieri contingant?*

IV. *An in Processione peragenda in die Dominico infra Octavam Corporis Christi in Ecclesia S. Margaritæ delatio Sanctissimi Sacramenti privative spectet ad Archipresbyterum S. Nicolai in casu &c.*

V. *An sustineatur mutatio Tituli Rectoris, seu Cappellani Curati S. Margaritæ in Titulum Archipresbyteri ejusdem Ecclesiæ facta ab Episcopo?*

VI. *An Clero Ecclesiæ S. Margaritæ liceat habere suum proprium Cantorem, seu Præfectum Chori, seu potius Cantor S. Nicolai debeat regere utrumque Chorum in casu &c.*

Non proposita.

CONSTANTIEN. PERMUTATIONIS PAROCHIÆ: Cum ad vacantem Parochialem Ecclesiam Merzausensem in Helvetia præsentatus fuisset a Patribus Societatis JesuCollegii Friburgensis in Brigovia, ad quos, & Locorum dominium, & Parochialis Ecclesiæ Patronatus pertinet, Sacerdos Jo: Petrus Moeslin, huic paucis post adeptam Parochiam annis, contra idem Collegium ejusque Patres litem movit in Episcopali Curia Constantiensi, ut Decimas solverent. Ob libelli sui obscuritatem decretum fuit, ut alium clariorem ederet, sed ille libellum obtulit imprudenter Laicis Judicibus Statuum Brigoviæ, qui, re perspecta, Causam ad Forum Ecclesiasticum rejecerunt, neque tamen eam Parochus prosequutus fuit, sed cum, & in privatis colloquiis, & publice in Ecclesia, dum Cathechesim ageret, imprudenter de PP. Jesuitis verba faceret, hi instituta de moribus, dictis, factisque a Parocho disquisitione, eum de pluribus excessibus accusarunt in Episcopali Curia Constantiensi. Horum excessuum alii circa administrationem Curæ Animarum, & Ecclesiam, ejusque redditus Parochiales versabantur. Alii respiciebant seductionem Populi ab obedientia Patribus debita: Alii Patronatum Ecclesiæ, a quo idem Parochus Patres Jesuitas deiicere velle videbatur. Inquisitionem de his excessibus Vicarius Generalis mandavit Friderico Krayser Brisacensi Capituli Decano, qui Parocho consuluit, ut rem amice componeret. Postulavit itaque Parochus, ut ab inquisitione abstineret, quod dimissurus esset Parochiam permutatione cum alio, etiam tenui, Beneficio. Annuente igitur Vicario Generali, Parochus ad permutationem faciendam intra annum sese obligatum voluit: Hanc tamen obligationem conditionalem, non puram fuisse Parochus contendit *dummodo* scilicet *Jesuitæ Decimas restituerent*. Sess. 24. c. 18. de Ref. & Sess. 25. c. 12. de Ref.

Transacto anno, pluries a Curia Episcopali interpellatus fuit Parochus, sed hic omnia sprevit, male etiam exceptis ejusdem Curiæ Ministris, ideoque Vicarius Generalis, ut illum ad comparendum adigeret, suspensionem a Divinis primo minatus est, inde in Parochum adhuc contumacem decrevit: cum tamen neque his Parochus moveretur, Vicarius Generalis „ suæ auctoritatis, & Jurisdictionis vilipensiones, & juratæ obedientiæ transgressiones „ debite vindicaturus, ipsamque permutationem temere, & frivole tamdiu „ dilatam, tandem ad effectum perducturus Parochum Moeslin per viginti „ dies Clericalibus carceribus mancipavit, *quibus elapsis, illum dimisit*, „ *solvitque a suspensione*, ea tamen lege, & conditione, ut intra Mensis „ spatium Beneficium suum cum alio permutaret „. Annus, non mensis præteriit, in quo licet faciendæ permutationis occasio non defuisset, eam tamen numquam fecit Parochus Moeslin, immo a Decretis Episcopalis Cu-

riæ appellavit ad Nuncium Apostolicum apud Helvetas, qui rejecit appellationem. Iterum itaque instantibus Promotore Fiscali, & Collegio PP. Jesuitarum, Vicarius Generalis Parocho indixit „ ut sub pœna suspensionis, „ & sequestrationis fructuum, seu reddituum Parochialium quorumcumque „ intra terminum trium Hebdomadarum, quarum prima pro primo, secunda pro secundo, & tertia pro tertio Termino assignabatur, Beneficium suum Parochiale in Merzhausen effective permutaret, & de permutatione „ doceret „ quibus elapsis, non impleta permutatione, declaratum fuit, eumdem Parochum *in suspensionis, & sequestrationis pœnam incidisse*, & eum neque suspensio, neque sequestratio Parochum a suo proposito dimoverent, additæ fuerunt etiam excommunicationis minæ.

Ut autem Vicarius Generalis Parochi constantiam frangeret, Commissario Episcopali mandavit, ut duas has conditiones illi offerret, quarum alteram eligeret, *Aut* nempe permutationem cum aliquo ex oblatis Beneficiis, reservata ei pensione super redditibus Parochiæ: *Aut* Oeconomum, seu substitutum ab Episcopo nominandum in administratione Curæ Animarum, & Parochialium reddituum: quod si Parochus utramque conditionem reiiceret, excommunicationis sententiam in ipsum ferret. Post hæc, cum delatum fuisset ad Vicarium Generalem Officia divina, & Sacra a Parocho acta fuisse, spreta pœna suspensionis, eum Constantiam venire compulit, ut irregularem declararet, sed agnita postea falsitate accusationis, eum a suspensione absolvit. Pertæsus itaque Parochus tot vexationum de permutatione agere cæpit cum Francisco Xaverio Schaal Parocho Ecclesiæ Amoltheranæ, quæ de Jure Patronatus est Abbatissæ Wanenthalensis Ordinis Cisterciensis, quæ suum præstitit permutationi consensum. Præstiterunt etiam consensum suum Patres Jesuitæ, atque ita permutatio facta fuit: sed dum novi Parochi denunciationes fierent in Ecclesia Avvensi, quæ filialis est Parochiæ Merzhausensis, Parochus Moeslin in ipsa Ecclesia, præsentibus testibus, & Notario, protestationem emisit *se numquam resignasse suam Parochiam, neque eam de presenti vacare*. Curia tamen Episcopalis, spreta hac protestatione, Franciscum Xaverium Schaal, suspensa tamen Canonica institutione, ad Parochiam Merzhausensem *provisorie inofficiandam* admisit, eique omnes illius Parochiæ redditus tribuit, & simili *Provisorio Titulo* Parochiæ Amoltheranæ administrationem dedit eidem Parocho Moeslin.

Recusavit hic tamen constantissime ire ad Parochiam Amoltheranam, regressum postulans in Parochiam suam, sed cum nihil obtinere posset, appellavit tandem a decretis Vicarii Generalis ad hoc Sacrum Tribunal, in quo postulavit sibi decerni alimenta, & sumptus litis. Causa quatuor Capitibus; inter quæ unum est de Decimis, a quibus origo litium omnium collecta fuit, audito jam Vicario Generali Constantiensi, qui sua facta defendit, & nunc Eminentissimis Patribus definienda proponitur, pugnantque hinc inde, datis libellis, Parochus Moeslin, & Patres Jesuitæ. Nimio profecto tædio Eminentissimi Patres afficerentur, si post factum tam longum rationes etiam utriusque Partis referentur, eas legent in Libellis. Dubia sunt.

I. *An permutatio Parochiæ in Merzhausen. sustineatur in casu &c.* & quatenus negative.

II. *An sit reintegrandus Parochus Moeslin ad dictam Parochiam, & a quo tempore restituendi fructus Parochiæ in casu &c.*

III. *An, & quæ Decimæ dicto Moeslin debeantur in casu &c.*

IV. *An dicto Moeslin debeantur alimenta, & sumptus litis in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Affirmative, & restituendos esse fructus a die sequestrationis: Ad III. Dilata. Ad IV. Provisum in secundo.

Sess. 24. c. 3. de Ref.

AMERINA PROCURATIONIS. Postulavit anno 1736. a Communitate Castri Guardeæ Petrus Livioli ejusdem Castri Archipresbyter, ut con-

contribueret in expensas Procurationis Episcopi Amerini Visitantis, & Officiales Communitatis sive indulgentia in Parochum, sive opinione imbuti, ut Communitas teneretur, portionem expensarum Procurationis solverunt, & idem evenit annis 1745., & 1749., quibus novæ obtigerunt visitationes: Sed tandem diligentiores alii Officiales, publico coacto consilio, rem ad illud detulerunt, omniumque suffragiis denegata fuit Parocho contributio. Confugit ille ad Episcopalem Audientiam, a qua contra Communitatem decretum fuit. Appellavit illa ad hoc Sacrum Tribunal, auditusque Episcopus respondit censuisse Communitatem teneri non ad Procurationem, *sed ad expensas sui personalis accessus ad Sacræ Confirmationis Sacramentum Populo administrandum*. Post hæc oblatus fuit Eminentissimis Patribus libellus nomine Communitatis, quo declarabatur eam non recusare contributionem, dum tamen Cappellæ, Sodalitia, aliaque Loca Pia ad contributionem compellerentur, neque pars Communitatis excederet scut. 7. Auditus fuit etiam de his precibus Episcopus, & præfixus fuit omnibus terminus ad proponenda Jura, quæ haberent, in hoc Sacro Tribunali, sed solus Archipresbyter judicium suscepit.

Disputat nunc Communitas vetitum esse Episcopis quidquam exigere pro collatione Sacramenti Confirmationis, sive a singulis confirmatis, sive a Corporibus, & Communitatibus, ut explicant *Gloss. in cap. 1. verbo Laicis De Censib. in VI., ibique Hostiens. num. 14. in fin. Barbos. ad Concil. Trident. Sess. 24. cap. 3. num. 20. de Ref. & de Offic. Episcop. alleg. 30. n. 10. & alleg. 73. num. 53. Monacell. in Formul. Legal. par. 1. tit. 5. for. 2. num. 21.* ubi refert decretum Sacri hujus Tribunalis *in Amalphitana 18. Julii 1699.* quod locum habet, etiamsi iter faciat Diœcesim visitando, atque accedens ad Oppida, & Terras sive gratia visitationis, sive expresse, ut conferat Confirmationis Sacramentum, ut tradunt *Riccius in Praxi For. Eccles. par. 4. Resol. 156. num. 1. Barbos. d. alleg. 73. num. 53. & dicto cap. 13. Sess. 24. n. 20. Monacell. dicta formul. 2. num. 20. & 21. & par. 1. tit. 10. annot. ad formul. 8. num. 1.* neque excipi posse de consuetudine, tum quia ad eam inducendam requiritur longum tempus cum actuum frequentia, quæ hic desunt, tum quia, seclusa Communitatis obligatione, ex dispositione Juris actus illi solutionum, licet per tempus immemoriale repetiti fuissent, meram largitionem præseferunt, ex qua induci non potest consuetudo coactiva, sed servanda esset, quousque Laici velint, non vero iis recusantibus, & nolentibus *Ventrigl. in Prax. par. 2. annot. 24. §. 2. num. 7. Monacell. dicta Formul. 2. num. 22. & Tit. 2. formul. 4. num. 4. Pignatell. consult. canon. 47. num. 7. & 8. tom. 1.* ubi decreta Sacræ hujus Congregationis. *& Barbosa dicto cap. 3. Sess. 24. de Ref. n. 36.* Despiciendum denique esse libellum Communitatis nomine oblatum, in quo contributio admittebatur, quia non constet a Communitate datum, & si constaret, quia nequeant Communitates sine venia S. Congregationis Bono Regimini præpositæ obligationes, ut omnes norunt suscipere.

Hæc Communitas. Ab Archipresbytero post hæc scripta libellum habuimus, in quo urget consuetudinem, & agnitionem debiti factam a Communitate in precibus Sacro huic Tribunali oblatis. Duo sunt Causæ Capita, quorum primum, cum ad Communitatem non spectet, ideo nullum de iis, quæ in eo sunt, verbum habet.

I. *An omnes visitationi subjecti, & signanter Confraternitates, Beneficia simplicia, nec non Cappellæ, aliaque Loca Pia Castri Guardeæ teneantur ad Procurationem per contributum in casu &c.*

II. *An, & pro qua summa teneatur contribuere Communitas dicti Castri in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative, & amplius.

Sess. 25. c. 7. de Ref.

BRUGNATEN. COADJUTORIÆ. Parochialem Ecclesiam Sancti Stephani Villæ Pontis Sigestri prævio concursu obtinuit Dominicus Andreas Cameti, ejusque possessionem accepit, sed tanta in eum fuit Vicanorum aversio, & ita fervidi animorum motus, ut discedere debuerit, & quoties redire voluit, toties fuerit ejectus, nequicquam profuerunt sive Senatus Genuensis, sive Episcopi, sive Sacræ hujus Congregationis jussa, suasiones, provisiones. Transacto triennio, curavit Cametus, ne salus illius Populi detrimentum caperet, & ut bona illius Ecclesiæ probe administrarentur, Coadjutorem sibi adsciscere cum futura successione Sacerdotem Andream Luceti. Adito igitur SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, eique integre narrata rerum serie, annuit Princeps providentissimus, expeditaque fuit Bulla coadjutoriæ, reservatis Parocho Cameti annuis 36. ducatis *auri de Camera* super omnibus Parochiæ redditibus, & data Coadjutori facultate Parochialia munera obeundi, *Cameto a dicta Parochiali absente, seu apud illam residere nolente, seu non valente*. Post hanc Bullam Lucetius obligationem publicis tabulis suscepit solvendi quotannis summam reservatam Cameto, qui expresse sibi reservatum voluit *l'uso di sua Canonica in caso di voler esso personalmente, e continuamente risedere*. Brevi transacto tempore, agnoverunt Parochiani errores suos, ac pœnitentia ducti omnes uno ore Cametum postularunt, revocato mandato Procuræ, quod dederant ad litem contra eum agendam. Rediit igitur ad Parochiam suam omnium votis, omniumque plausu exceptus Cametus, qui tamen invenit plurimum detrimenti illatum fuisse prædiis, fundisque Parochiæ, itaut difficile ei sit annuam illam summam *ducatorum 36. auri de Camera* quotannis consequi. Coadjutor etiam de domo controversiam movebat, & de facultate administrandi Ecclesiam suam in spiritualibus. Ut igitur novas has Coadjutoris vexationes vitaret, statuit ab hoc Sacr. Tribunali dispensationem petere a residentia, & de aliis quæstionibus hanc eamdem Sacram Congregationem consulere. Audito igitur Episcopo, omnia V. Capitibus, quæ subjicimus, complexa fuerunt. A Coadjutore Luceto nihil habuimus. Capita controversiæ hæc sunt:

I. *An sit indulgendum Coadjuto pro gratia dispensationis a Residentia locali, quia in Bulla non adest Decretum residendi?* & quatenus negative.

II. *An usus Domus Canonicalis de se indivisibilis debeatur tantum dicto Coadjuto residere nunc valenti, & nolenti, quam domum idem Coadjutus nec animo, nec scripto unquam cessit Coadjutori?*

III. *An Coadjuto competat facultative administrare Ecclesiam suam in Spiritualibus, itaut Coadjutor nihil agere valeat, nisi eo requisito, & potestate tantum Vicaria, donec Officium Coadjutoris duraverit?*

IV. *An, & quomodo sit providendum in puncto administrationis etiam in temporalibus, ne Bona Ecclesiæ ulterioribus detrimentis subjiciantur?*

V. *An, & quomodo sit providendum Coadjuto, ne litigare continuo cogatur alimenta sua in summa 36. ducatorum auri de Camera sibi in Bulla reservata addita, obligatione Camerali, ac fidejussione bene visa pro assecurandis eisdem alimentis in casu &c.*

Dilata ad primam post Reges.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

PONTIS CURVI RESIDENTIÆ. In duas Regiones dividitur Urbs Pontis Curvi, superior nuncupatur *Civita*, inferior *Pastino*; duabus viis aditur superior, altera commodiori, sed longiori, quæ vocatur *de Ferrari*, altera breviori, sed difficiliori, quæ dicitur *de Gradini*. In inferiori Regione *Pastino* duæ sunt Parochiales Ecclesiæ altera *S. Blasii*, altera *S. Nicolai*, Sacramentum tamen Sanctissimæ Eucharistiæ in sola Parochiali Sancti Nicolai causa commoditatis utriusque Parochiæ retinetur. Parochus est *S. Blasii* Bernardinus Lucernarius, qui patrui sequutus exemplum, domum incolit pater-

ternam sitam in extrema Regione superiori *Civita*, qua parte imminet inferiori, itaut paucis passibus juxta mensurationem a Peritis factam distet a Parochiali Ecclesia. Indixit tamen ei Episcopus, ut paternam domum deferret, & intra Parochiæ suæ limites habitaret. Venit ille ad hoc Sacrum Tribunal, oblatis precibus, contendens Episcopale Decretum exequi non posse, quod nulla Parochialis domus esset, nullique essent Parochiæ limites. Auditus Episcopus respondit limites esse Parochiæ, neque defuturam domum Parochialem, si eam Lucernarius non elienasset, ne in illa habitare cogeretur, eamque ampliorem, & commodiorem facile a Parocho reddi potuisse uberibus Parochiæ redditibus, ni magno Parochianorum detrimento maluisset in propria domo habitare, ex qua præsto esse nequit nocturno præsertim tempore Parochianis suis tum ob loci distantiam, tum ob difficultatem viarum. Cum hæc scripsisset Episcopus, & precibus Lucernarii nullæ adjunctæ fuissent probationes, rescriptum iis fuit „ Lectum quoad Instantiam, & scribatur Episcopo, ut qua facultate alienaverit Orator domum „ Parochialem, Sacræ referat Congregationi.

Post hoc rescriptum novas Lucernarius obtulit preces pluribus munitas probationibus, quibus veritatem eorum, quæ asseruerat, & insubsistentiam eorum, quæ narrabat Episcopus, comprobabat. His novis Precibus rescriptum fuit *Expectetur relatio Episcopi*: sed urgente Promotore Fiscali, & contra negante Lucernario Parochiam illam certos habere limites, decretum fuit Parochum *teneri ad residentiam intra limites Parochiales*, *quatenus tamen Parochia habeat limites designatos*. Advenit altera epistola Episcopi, in qua fatebatur domum illam, quam dixerat, Parochialem Episcopali auctoritate in emphyteusim concessam fuisse, sed sine ulla Ecclesiæ utilitate. Cum res igitur ambigua videretur, satius visum fuit, ut judicio Eminentissimorum Patrum subiiceretur, causam describendo *in Folio*. Promotor Fiscalis narrat utrasque Urbis illius Regiones immani intervallo distare: Viam breviorem *de Gradini* asperam, & difficillimam, immo periculosam esse nocturno præsertim tempore. Contra Lucernarius probat utrasque Regiones contiguas esse; nec, nisi brevissimo spatio ad ornatum Civitatis relicto, divisas esse; Viam *de Gradini* facilem esse hominibus, sarcinisque, sive die sive nocte. Promotor Fiscalis, qui certos esse limites Parochiæ *S. Blasii* asserebat, agnoscit tandem non habere limites constitutos, sed tantum domos quinquaginta duas inter se dissitas, commixtasque cum aliis domibus, quæ alienis Parochis subjectæ sunt: substinet tamen Parochiam *S. Blasii*, ut & aliam S. Nicolai circumscriptam limitibus dicendam esse, licet hæ duæ sint inter se confusæ, quia utraque Parochianos habeat in Regione *del Pastino*; sicuti aliæ Parochiæ Regionis *di Civita* in ea Regione Parochianos habent, nullos in inferiori Regione *Pastino*. Contra Lucernarius, qui Parochos, quotquot hactenus fuerunt; & præcipue cum Forenses essent, ubi eis libuit, habitasse probat, eos vero, qui Cives erant, in patriis laribus sitis in superiori Regione *Civita*, ut longe magis id ipsi concedendum sit, qui domum habet proximam Ecclesiæ suæ Parochiali.

Contendit Promotor Fiscalis domum in emphyteusim datam anno 1736. cuidam Pignantio Parochialem fuisse, & non potuisse alienari sola Episcopi auctoritate, cui ignota fuerit qualitas Parochialis, & sine Beneplacito Apostolico, atque ex his concludit cogendum esse Parochum, ut intra Parochiæ suæ fines resideat. Contra Lucernarius negat domum illam habitam umquam fuisse pro Parochiali, cum numquam eam incoluerint antecedentes Parochi, neque incolere potuerint, cum & summe humilis, & angustissima esset, itaut satius visum fuerit eam in emphyteusim concedere, ut aliquam ab ea perciperet Parochia utilitatem: neque ampliari a Parocho ex redditibus Parochiæ potuisse, qui tenues sint, neque putandum esse Episcopum auctoritatem suam præstitisse alienationi, si casa illa, non domus, Parochialis fuisset. Videant igitur Eminentissimi Patres in his *facti* controversiis, qua ratione expediendum sit dubium.

An

An Abbati Curato Lucernari liceat habitare in Domo Paterna sita in Regione Civita in casu &c.

Negative.

Sess. 25. c. 9. de Ref. NERITONEN. BENEPLACITI. Morte obita a Nicolao Troisio, vacavit transacto anno simplex Ecclesiasticum Beneficium sub Titulo Sanctæ Mariæ Lauretanæ erectum in Ecclesia Cathedrali Neritonensi. Emmanuel, & Margarita Troisii tamquam filii Caroli die 9. Julii præsentarunt Sacerdotem Nicolaum Greco; sed cum hic recusasset, adito, Sede Episcopali vacante, Vicario Capitulari, prorogationem termini impetrarunt. Mox die nempe 18. Julii donarunt eorum Juspatronatus Sacerdoti Michaeli Tollemeto. Donationem die 6. Augusti confirmavit Vicarius Capitularis, die vero 9. eiusdem mensis Tollemetus pro se ipso supplicavit. Contradictorem huic supplicationi se præstitit Xaverius Greco præsentatus a Capitulo Cathedralis, & a Francisco Vetere, qui sese compatronos faciunt. Obsistendi ratio erat, quod Tollemetus pro se ipso supplicare non posset, cum non esset Patronus: Donatio siquidem illa nulla erat defectu Beneplaciti Apostolici; neque spectandam esse confirmationem Vicarii Capitularis, qui facultate confirmandi careret. Tollemetus igitur die 23. Novembris, & semestri adhuc durante, preces obtulit Sacro huic Tribunali postulans Apostolicum Beneplacitum.

Auditus Episcopus hæc, quæ narravimus, retulit, animi sui sententiam non aperuit. Causa nunc proponitur, & disputat Tollemetus non opus esse, ut Beneplacitum Apostolicum præcedat actum donationis, satis esse si accedat, cum donatio confirmata fuerit a Vicario Capitulari, penes quem Sede Episcopali vacante, ordinaria est Jurisdictio, eoque amplius, quod donatio collata sit non in Laicum, sed in Ecclesiasticum; quo casu ipso jure subsistat: Beneplacitum Apostolicum ex sui natura retrotrahi ad diem donationis, ideoque potuisse Tollemetum pro se ipso supplicare, eoque magis, quod res sit de Jure Ecclesiastico quidem, sed non Ecclesiæ competenti; ideoque nihil referat, an ab uno, vel ab alio patronatus habeatur: Neque retrotractionis obesse Jus alicui quæsitum, cum donatio non præpediverit Compatronos, ne, quem vellent, præsentarent, neque præsentatus ab ipsis excludere potuerit Jus donantium, & donatarii ex donatione, quæ erat in implicito statu validitatis. Hæc, atque alia Tollemetus. A Xaverio Greco nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An sit locus concessioni Beneplaciti super Donatione Patronatus S. Mariæ Lauretanæ in casu &c.* & quatenus affirmative.

II. *An dictum Beneplacitum sit retrotrahendum ad diem factæ donationis in casu &c.*

Ad I. & II. affirmative.

F I N I S.

DECRETUM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PP. XIV.

IN CAUSA

Lisbonen. Nullitatis Matrimonii

Quæ fuit Resoluta in hac Sac. Congreg. Cardinalium Concil. Trid. Interpretum die 13. Septembris 1755.

CUM super Matrimonio, prævia dispensatione super impedimento quarti gradus consanguinitatis a fel.rec.Clemente Papa XII. concessa, in Civitate Zamorensi contracto inter Violantem Josepham Enriquez de Almada, & Aloysium Franciscum Assis Sanchez de Baena, & nunquam carnali copula consummato contentio exorta fuerit, tum quia Violantes afferebat, illud non fuisse contractum coram proprio contrahentium Parocho, tum quia comprobare nitebatur, a se re integra fuisse revocatum mandatum, quod procuratori dederat, ut matrimonium contraheret; controversiæ definitio à Nobis commissa fuit Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum: & cum ipsi post nonnulla responsa, aperiendæ veritati maximopere conducentia, binas tandem ediderint resolutiones Matrimonii validitati faventes, petente prædicto Aloysio Francisco, juxta morem fuerunt eædem confirmatæ per nostras Literas Apostolicas in forma Brevis expeditas die 8. Julii 1750. Judicium favorabile validitati Matrimonii bis latum, & uti supradictum est, a Nobis confirmatum: completum, & terminatum dici poterat ad tramites Constitutionis a Nobis editæ super ordine, & forma causarum Matrimonialium, quæ incipit *Dei miseratione*, & quæ est *trigesimatertia in nostro Bullario Tom. I.* Sed aliter res se habuit, instaurata videlicet controversia contra validitatem Matrimonii, non ex quo contractum fuisset coram Parocho illegitimo, aut post revocatum procuræ mandatum, sed ex alio disparato capite, uti mox exponetur. Violantes, & Aloysius Franciscus non erant conjuncti tantum tertio, & quarto consanguinitatis gradibus, sed erant conjuncti duplicibus tertio, & quarto gradibus a duplici latere provenientibus; dispensatio autem concessa a Nostro Prædecessore Clemente Papa XII. quartum tantummodo, & ad summum tertium gradum comprehendebat, nec se extendebat ad duplicem tertium, & quartum gradum. Cumque instante Aloysio Francisco, fuerint a Nobis expeditæ Literæ Apostolicæ in forma Brevis die 12. Septembris 1750. quarum ope duplicitatis gradus impedimentum sublatum dici poterat, sed sanatoriæ gratiæ concessio eo sub obtentu facta sit, quod Violantes tunc esset ignara novi impedimenti duplicitatis gradus inter ipsam, & Aloysium intercedentis, & Violantes provinciam assumpserit comprobandi, quod tempore concessionis gratiæ, & expeditionis Brevis sanatorii ipsa erat conscia novi impedimenti, ejusque suum perfectè cognoverat; ex his instaurata est controversia contra validitatem Matrimonii, non ex quo contractum fuisset coram Parocho non proprio contrahentium, vel ex quo initum fuisset post revocatum procuræ mandatum, uti supradictum est, sed ex alio disparato capite, seu fundamento, quod videlicet contractum fuisset vigente impedimento dirimente, per Apostolicas Literas nullatenus sublato. Delata ad Nos novæ prætensionis notitia, ejus definitio eidem memoratæ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Inter-

ter-

terpretum fuit a Nobis commissa, ea tamen adjecta conditione, ut de validitate, aut nullitate Matrimonii cognoscerent, habita tantum ratione sufficientiæ, aut insufficientiæ derogationis obtentæ super impedimento gradus, nec ulla habità consideratione aliarum rationum, ob quas præcedenter, & in præteritis causæ propositionibus promota fuerat instantia pro nullitate Matrimonii. Ad tramites impositæ legis examen assumptum est, adhibitisque opportunis diligentiis, communibus tandem suffragiis edita est resolutio contra validitatem, & pro nullitate Matrimonii, Defensore Matrimonii ad tramites Nostræ Constitutionis constituto, suo munere, de more, egregiè tum voce, tum scriptis functo, exhibito tantum in postrema Causæ propositione ab Aloysio Francisco supplici libello, in quo se, & jura sui Matrimonii Judicio Congregationis subinittere professus est, unica resolutio favens nullitati Matrimonii, juxta memoratam Nostram Constitutionem, non sufficit, ut judicium absolutum dici possit, cum altera resolutio præcedenti conformis accedere debeat. Pro totius ergo negotii finali absolutione, necessarium fuisset, ut Causa iterum in Congregatione proponeretur, & alia ederetur resolutio præcedenti conformis: sed, cum id fieri nullatenus posset absque novis expensis, & longioris temporis mora maximopere inopportuna in causa Matrimoniali a longo tempore introducta, non obstante gravi ætate, in qua sumus constituti, neque pariter obstantibus molestis negotiis, quibus quotidie vexamur, & opprimimur, inhærentes etiam insinuationi prædictorum Cardinalium, qui in Congregatione uniformibus suffragiis censuerant Matrimonium fuisse nullum, quique expediens futurum esse dixerunt, ut posthabita nova propositione in Congregatione Nos ipsi rem totam perpenderemus; laborem assumpsimus scripturas Congregationi exhibitas perlegendi, & omnia, & singula, quæ a scribentibus fuerant deducta, ponderandi, ut, quatenus judicium Nostrum conforme fuisset Resolutioni Congregationis superabundanter dici possent adimpleta, quæ à Nobis in Constitutione Nostra statuta sunt, & quatenus difforme fuisset, nulla amplius superesset de validitate Matrimonii dubitatio. Tria sunt, de quibus actum est in Causæ discussione. Primum est, an pro validitate Matrimonii necessaria fuerit dispensatio a Nobis concessa, permittens, ut non obstante impedimento duplicis gradus Matrimonium contrahi posset, vel potius sufficiens fuisset præcedens dispensatio a Nostro Prædecessore concessa, quæ impedimentum sustulit tertii, & quarti gradus. Secundum, an dispensatio a Nobis concessa eo sub præsupposito facta sit, quod tempore concessionis Violantes ignoraret impedimentum duplicitatis gradus. Tertium, an tempore expeditionis novi Brevis Violantes ignoraret; seu potius conscia esset impedimenti duplicitatis gradus. Ex horum quippe dubiorum resolutione, prout uno, vel altero modo fieri contingat, judicium pendet validitatis, aut invaliditatis Matrimonii contracti. Ducto autem initio a primi examine puncti, cum in Tribunalibus, & communiori calculo à scribentibus ea opinio recepta sit, quæ pro validitate dispensationis, & consequenter Matrimonii, quod dependenter ab ea contrahitur, requirit, ut conjunctio proveniens ex duplicitate gradus exponatur, & quod eidem derogetur, seu quod, ea minime obstante, permittatur, ut conjuncti duplici consanguinitatis gradu Matrimonium inter se contrahere possint, suo marte sequitur. pro validitate Matrimonii fuisse necessariam novi Brevis expeditionem, per quam impedimentum duplicis consanguinitatis gradus de medio tolleretur, nec sufficere potuisse primum Breve derogans impedimento quarti, seu tertii, & quarti gradus. Hoc quippe Breve sufficiens fuisset, si Violantes, & Aloysius Franciscus fuissent conjuncti simplici tertio, & quarto gradu, juxta Constitutionem sanctæ memoriæ Pii Quinti *la 23. Bullarii tom. 2.*, ubi, excepto casu, quod vir, & mulier primum consanguinitatis, seu affinitatis gradum attingerent, in quo protestatus est se nolle dispensare; quoad reliquos gradus decrevit pro validitate dispensationis satis esse expressionem remotioris gradus, ob-

tentis

tentis postea super propinquiore literis declaratoriis. Juxta quoque communem Doctorum sententiam in Tribunalibus receptam, illicitum tantum est, sed non invalidum Matrimonium, quod contrahitur ope dispensationis obtentæ super quarto gradu, nulla tertii gradus facta mentione, & antequam literæ declaratoriæ præscriptæ à S. Pio V. fuerint obtentæ: prout, dum in minoribus Secretarii Concilii munere fungeremur, fusè à Nobis comprobatum est, & a Congregatione admissum in discussione Causæ *Luceorien. Nullitatis Matrimonii*, quæ fuit proposita, & resoluta *die* 18. *Martii* 1722. uti videri potest *Tom.*2. *Thesauri Resolutionum* prædictæ Congregarionis, ubi noster discursus una cum Resolutione typis editus est. Sed, cum prædicta omnia sibi vindicent locum in simplici impedimento tertii, & quarti gradus, & non in impedimento duplicis consanguinitatis gradus; nemo est, qui non videat, pro validitate Matrimonii, de quo nunc agitur, nullatenus fuisse sufficienrem dispensationem a Nostro Prædecessore concessam, quæ tertii, & quarti gradus impedimentum sustulit, sed aliam pro dicta validitate fuisse necessariam, cujus ope duplex ex duplicitate gradus impedimentum derivans de medio tolleretur. Admissa necessitate expeditionis novi Brevis, & admissa primi insufficientia pro validitate Matrimonii, sequitur, ut videatur, an secundi Brevis facta fuerit concessio eo sub præsupposito, quod tunc Violantes ignoraret impedimentum duplicitatis gradus. At, si Aloysius Franciscus exorans pro concessione novi Brevis, ut remanere posset in Matrimonio, non obstante impedimento duplicitatis, exposuit, se timere, ne scandala orirentur, si hujus novi impedimenti notitia ad Violantem deveniret, si cohærenter ad hæc facta fuit concessio Brevis, exclusa necessitate novi consensus à Violante præstandi, vel quod ipsa de novo impedimento certior fieret, ut ex lectura Brevis plane dignoscitur; ex his evidenter desumitur, novæ gratiæ concessionem emanasse eo sub præsupposito, quod Violantes tempore concessionis ignoraret impedimentum descendes ex duplicitate gradus, & eo fortius, cum in eodem Brevi legatur, gratiam debere in suo robore permanere, si post ejus concessionem notitia impedimenti ad Violantem devenisset, quæ circumstantia evidenter evincit, comprobatque, gratiam fuisse eo sub præsupposito concessam. Porrò gratia concessa importat dispensationem in radice Matrimonii, quæ a Romanis Pontificibus concedi consuevit urgente magna causa, & quando agitur de impedimento Matrimonii, ortum habente non a jure divino, aut naturali, sed a jure ecclesiastico, & per eam non fit, ut Matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi Matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso Matrimonii contrahendi actu producti fuerunt: de quibus omnibus a Nobis fuse actum est, dum in minoribus Secretarii Congregationis Concilii munere fungeremur in Causa *Pragen. Matrimonii*, quæ fuit proposita *die* 13. *Junii* 1720., 16. *Januarii* 1723., 28. *Augusti ejusdem anni*, & tandem resoluta *die* 18. *sequentis Septembris*, uti videri potest *Tom.* 1. *&* 2. *Thesauri Resolutionum* dictæCongregationis, ubi typis edita inveniuntur ea omnia, quæ tunc a Nobis deducta fuerunt. Cumque solius Romani Pontificis sit, non solum dispensationes in radice Matrimonii indulgere, sed etiam conditiones statuere pro validitate gratiæ adimplendas; in ea, de qua nunc agitur, ea quodammodo statuta dici potest conditio, quod tempore concessionis Violantes novum impedimentum ignoraret, ne ipsa contradicente, & obnitente, prout contigisset, si impedimentum scivisset, concessa dispensatio diceretur: in hoc quippe rerum themate factum est, atque concessum quidquid fieri, aut concedi poterat, ut Matrimonium, cujus validitas fuerat approbata, persisteret; nec mulieri sublata est facultas impugnandi ex novo capite validitatem, si novi impedimenti notitiam tempore concessionis gratiæ, novæque dispensationis habuisset, nulla habita consideratione notitiæ supervenientis post concessionem Brevis: ea quippe superveniens superveniret post sublatum ope no-

væ dispensationis duplicitatis gradus impedimentum. Post hæc nihil aliud remanet, quam, ut videatur, an tempore concessionis gratiæ Violantes haberet notitiam novi impedimenti: Cumque ex documentis, & testibus quacumque exceptione majoribus demonstratum sit, quod Violantes impedimenti notitiam ante concessionem, & tempore concessionis gratiæ habuerat, & omnia parabat necessaria pro instauranda controversia super nullitate Matrimonii in vim novi impedimenti, cui in primo Brevi non fuerat derogatum; nedum approbamus Congregationis Concilii judicium ultimo loco prolatum pro nullitate Matrimonii, sed hoc Nostro Decreto inter Acta Congregationis Concilii asservando, & per Literas Apostolicas in forma Brevis etiam corroborando, dicimus, & pronunciamus, Matrimonium contractum inter Violantem Josepham Enriquez de Almada, & Aloysium Franciscum Sanchez de Baena nullitatis vitio laborare, & quatenus aliud Canonicum non obstet impedimentum, posse utrumque ad alia vota transire.

Datum apud S. Mariam Majorem die 27. Septembris 1755.

BENEDICTUS PP. XIV.

Præsentem copiam Decreti Sanctissimi Domini Nostri manu Sanctitatis Suæ signati, collatione facta cum originali existen. in Secretaria Sac. Congregationis Concilii, concordare testor, & affirmo. In fidem &c. Dat. Romæ hac die 10. *Novembris* 1755.

Loco ✠ Sigilli.

J. A. Furiettus Secret.

B R E V E
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI PP. XIV.
Confirmatorium supradicti Decreti.

ETSI Matrimonialis Causa jamdudum inter dilectam in Christo filiam Violantem Josepham Henriquez de Almada puellam Nobilem Lisbonensem, ac dilectum filium Ludovicum Franciscum de Assis Sanches de Baena Ordinis Jesu Christi Commendatarium super validitate, vel nullitate Matrimonii invicem, ut asserebatur, contracti vertens non semel, sed iterum atque iterum in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum proposita, ac secundum allata, & probata rationum momenta pro validitate fuerat resoluta, atque per Apostolicas Nostras in simili forma Brevis literas confirmata; tamen in eadem Congr. Cardinalium die 13. currentis mensis Septembris, & anni

1755.

1755. maturiori examine ob nova adducta documenta iterum expensa, & discussa ita decisa fuit, quod nimirum Matrimonium hujusmodi irritum, ac nullum esset, ac foret, atque adeo dissolvendum ea præsertim ratione, quod super impedimento duplicis quarti gradus consanguinitatis inter unam, & alterum intercedente haud satis, atque idonee derogatum fuisset in dispensatione impertita per Apostolicas in forma Brevis literas die 12. mensis Septembris anno 1750. datas. Quoniam autem hujusmodi Resolutio a memorata Congregatione Cardinalium super nullitate dicti Matrimonii prolata haud satis, & sufficiens est, ut Contrahentes omnimoda libertate gaudeant transeundi scilicet, ut dicitur, ad secunda vota, cum juxta Constitutionem Nostram tamquam regulam, & normam in Causis Matrimonialibus rite, sancteque decidendisque præscriptam, atque alias editam, & propositam Resolutio antedicta per aliam uniformem resolutionem confirmari, atque iterum in laudata Congregatione Cardinalium necessario sæpedicta Causa reproponi debeat; Hinc est, quod Nos serio considerantes non minus nova Partium dispendia, quam temporis jacturam in hac Matrimoniali Causa a tot annis agitata satis, superque inopportunam, ac perniciosam, de consilio etiam ejusdem Congregationis, postquam libellos, scripturasque pro utraque parte allatas, necnon acta omnia hoc in gravissimo negotio confecta accurate expendimus, & examinavimus, tandem die 27. currentis mensis Septembris Decretum hac super re edidimus, per quod sententiæ laudatæ Congregationis Concilii consentientes declaravimus, ac statuimus Matrimonium antedictum inter Violantem Josepham, & Ludovicum Franciscum Nobiles Lisbonenses contractum, esse, ac fore irritum, & nullum, necnon unam, & alterum in ea quidem omnimoda libertate esse, ac fore ad alia vota, quoties vero aliud non obstet canonicum impedimentum, libere, & licite transeundi: Quod sane Decretum dilecto filio Magistro Josepho Alexandro Furietto ejusdem Congregationis Concilii Secretario tradendum mandavimus, ut inter Acta sæpedictæ Congregationis reponatur, ac servetur. Antedictum itaque Decretum nostrum, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolica etiam auctoritate tenore præsentium confirmamus, illudque inviolabili Apostolicæ firmitatis robore communimus. Decernentes Decretum præfatum, & præsentes nostras literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Violanti Josephæ, & Ludovico Francisco in omnibus, & per omnia plenissime suffragari debere; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & eorumdem Cardinalium Congregationes, necnon Apostolicæ Sedis Nuntios, & quosvis alios quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quibuscumque aliis Decretis in genere, vel in specie aut alias in contrarium præmissorum quomodolibet confirmatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Septembris 1755. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

Cajetanus Amatus.

INDEX
CONCLUSIONUM OMNIUM, ET RESOLUTIONUM
Quæ in singulis Foliis Anni 1755. *fuerunt adnotatæ*.

est: licet enim tunc, dimissa tenui, pinguiorem optare, quæ perpetuo affecta remaneat his officiis, *ib. circa med.*

Cappellania dicitur mere laicalis quoties testator nullam designaverit Ecclesiam, nullum Altare, neque Episcopi auctoritatem requisiverit in erectione, *p.* 6. §. *Re comperta circa med.*

Imo si Testator non expresserit Cappellanos teneri *per se ipsos* onera adjecta implere, quicquid alias dixerit, & expresserit censendum est stare dumtaxat demonstrative ad obligationes, & onera etiam per alios adimplenda, *ib.*

Contrarium vero desumitur ex designatione loci sacri; ex dote non Cappellanis, aut Hæredibus, sed ipsi Cappellaniæ relicta; ex onere Sacrorum; ex Sacerdotio, quo actu habituque honestatos voluit Testator Cappellanos; ex prælatione data iis, qui facultatem haberent Sacramentales Confessiones excipiendi, & ex aliis, *p.*9.*cum seq.* Cum tamen

Et cum Cappellania est Ecclesiastica, necessaria est in Episcopo reservatio juris instituendi Cappellanum *ib.cir. fin.*

Qualitati autem Ecclesiasticæ non officit Testatorem voluisse amoveri posse Cappellanos arbitrio Patronorum, quia non repugnat naturæ Cappellaniæ Ecclesiasticæ, cum necesse non sit, ut beneficium sit perpetuum actu, sed satis sit habitu, & potentia, ut est in Beneficiis Regularibus Curatis, quæ & Ecclesiastica sunt, & institutione Episcopi conferuntur, licet Curati ad nutum Superiorum Regularium amoveri possint, *ib. in fin.*

Contrarium firmatur *p.*10. *cum seq.* §. *Hæc Episcopus.*

In Cappellaniis, & Beneficiis vere Sacerdotalibus ut Consanguineus testatoris præferatur extraneo actu Sacerdoti, satis est si habitu tantum Sacerdos sit, *p.*6. *Re comperta in fin.*

An Celebrationem tantum Sacrorum voluerit Testator, vel etiam applicationem, in dubio, desumi potest ex annuo Prædii redditu, *p.*8. §. *Faventina.*

Uno eodemque actu nequit, & Concursus approbari præsentando approbatum in illo, & Concursum reprobari protestatione, *p.*30. §. *Disputat.*

Ex defectu consensus vi metuque præstiti dicitur nullum matrimonium, *p.* 70. *cum seq.* §. *His compositis.*

Metus autem probatio licet difficillima sit, desumi tamen potest ex actibus antecedentibus, ac subsequentibus, *ib.*

D

Dispensatio Apostolica obtenta sub erronea expressione gradus nulla invalidaque est, *p.*28. §. *Lisbonen.*

Cæteraque ad casum fusius, & ad opportunitatem ex Decreto Sanctissimi Domini Nostri relat. *in fin. hujus Tom.*

Distributiones quotidianas, aliorumque fallentias acquirit Canonicus cœcus factus, qui uti infirmus habetur *pag.* 31. §. *Apruntina.*

Neque tenetur ad Sacrum Conventuale, *ibid.*

E

Episcopis in alienationibus necessariis ex utilitate Ecclesiæ, quæque ob tenuitatem pretii nullum pœne detrimentum patronatui inferunt, facultas data est usque ad summam scutorum 50. absque etiam consensu Patroni, decernere, *p.*14. § *Cæsenaten. in fin.*

Episcopis vetitum est quidquam exigere pro collatione Sacramenti Confirmationis, sive a singulis confirmatis, sive a corporibus, & communitatibus, *p.*75. §. *Disputat.*

Quod procedit etiam si iter faciat Diœcesim visitando, atque accedens ad oppida, & terras sive gratia visitationis, sive expresse ut conferat Confirmationis Sacramentum, *ib. circa med.*

Imo neque excipi potest de consuetudine, tum quia ad eam inducendam requiritur longum tempus cum actuum frequentia; tum quia ex dispositione juris actus illi solutionum, licet per tempus immemoriale reperiantur, meram largitionem præseferunt, ex qua induci non potest consuetudo coactiva, sed servanda est quousque laici velint, non vero iis recusantibus, & nolentibus, *ib. circa fin.*

Erectio Cappellaniæ facta sine ulla designatione Ecclesiæ, Altaris, & absque auctoritate Episcopi, demonstrat Cappellaniam esse mere laicalem, *p.* 6. §. *Re comperta.*

Adde si Testator non expresserit Gappellanos teneri *per seipsos* onera adjecta implere; quicquid alias dixerit, censendum est stare dumtaxat demonstra-

Professio emissa ante impletum *octavum mensem* nulla est ex dispositione Tridentini, *p.66* § *Pergit*.

Dicitur etiam nulla ex capite defectus filiationis ante admissionem ad probationem, *ib.*

illud implere debent, *ibidem*.

Ex Reservatione in Episcopo juris instituendi Cappellanum, desumitur Cappellaniam esse Ecclesiasticam, *p.* 9. *cum seq.* §. *Cum tamen*.

Et fusius ad hanc materiam in *lit.* C.

T

Testatoris voluntas debet esse perfecta, ac determinata ad hoc ut sit locus dispositioni *Cap. Relatum de testament. p.* 57. §. *Romana*.

Ex Anno Prædii redditu desumi potest, in dubio, an Testator solam celebrationem voluerit Sacrorum, vel etiam applicationem, *p.* 8. §. *Faventina*.

V

Vicaria quoties Capitulo unita reperitur neque vacare potest, neque omnes redditus dari Vicario, sed congrua tantum portio, *p.* 30. §. *disputat*.

In Unionibus ex jure antiquo Decretalium requiritur utilitas, & necessitas præcisa, *p.* 40. §. *Displicuit*.

Ex jure novo Tridentini datur facultas uniendi *pro substinendo decenti Canonicorum gradu*, non vero Cappellanorum, seu Hebdomadariorum, *ib.*

Et uniones fiunt præbendis, non autem personis, *ib.*

Cancellariæ Regulæ XIII. de unionibus quæ effectum non habuerunt, locus non est, quando unio facta est auctoritate Concilii, vel ex necessitate Ecclesiæ, *p.* 54. *cum seq.* §. *Postulavit in fin.*

Voluntas Testatoris debet esse perfecta, ac determinata, ad hoc, ut sit locus dispositioni *Cap. Relatum de Testam. p.* 57. *cum seq.* §. *Romana*.

IN-

INDEX RESOLUTIONUM

Quæ in singulis Causis Anni 1755. ab hac Sacr. Concilii Congregat. prodierunt.

A

B

C

in *Posnanien*.19. *Jan*.1754. *ad IV. dub*., & cum denuo causa repropofita fuerit sub die 22. Novem præsentis anni confirmatum fuit hoc Decretum ad formam Installationum a Cammendatariis antecessoribus captarum.

Commendator, an & quando teneatur ex redditibus Commendæ manutenere Cappellanos, qui inserviant Choro, Divinis Officiis, & Parocho Ecclesiæ Parochialis, in *Guardien. Cappellanorum* 25. *Jan*. *p*.3.

In concursu quando omnes approbati sunt, renovatur Concursus, in *Bovinen*. Decanatus 26. *Apr*. *p*.16.

Concursus, qui nullus prætendebatur ex quo Cancellarius fame coactus e Conclave egressus fuerat, contra formam ab hoc S. Tribunali præscriptam, fuit confirmatus, approbatusque in omnibus, in *Civitatis Castelli* 25 *Januarii pag*.3. *cum seq*.

Concursus indictus ab Episcopo in vacatione Vicariæ, ad quam, uti sibi unitam, nominaverat Capitulum, confirmatus fuit, denegataque fuit relaxatio supplicationis favore nominati, in *Ruremunden*. *Vicariæ* 7.*Junii p*.30.& 2.*Aug*. *p*.42. ubi rescriptum fuit *in decisis*, & *amplius*.

Confessarii Regulares a quibus approbari debeant, præsertim pro audiendis Confessionibus Monialium proprio Ordini subjectarum sub *lit.E*. ubi alia fusius reperies ad hanc materiam.

Conjugato permittitur *ex gratia* retentio Cappellaniæ laicalis adimpletis tamen per alium oneribus, in *Auximana Cappellaniæ* 26. *Apr*. *p*.16, *cum seq*. *ad I. dubium*.

D

DEcimas si male, & injuste perceperit Episcopus, restituere cogitur cui debentur, in *Larinen*, *seu Vulturarien*. *Decimarum* 10. *Maii p*. 22. & 20. *Dec*. *p*, 72. *cum seq*. *ad I. dub*.

Dictaque restitutio decreta fuit a die motæ litis, *ib*. *ad II. dub*.

Diminutioni legatorum ratione concordiæ, & expensarum litis non est locus in *Romana reductionis legatorum* 13. *Sept*, *p*.57. *cum seq*. & 6. *Dec*. *p*.64.

Dimissorias denegatas filio obstetricis, qui ob id præsumebatur infamis, concedendas esse rescriptum fuit, in *Carthaginen*. *Ordinationis* 10. *Maii p*.23.

Dispensationi non est locus, quando constat de homicidio, in *Caputaquen*. *Dispensationis* 10. *Maii p*.23.

Dispensatio obtenta sub erronea gradus expressione, litteræque Apostolicæ datæ in forma perinde valere, an, & quando substineantur, in *Lisbonen*. *Nullitatis Matrimonii* 13. *Sept*. *p*.55.

In Matrimoniis pro dispensatione, an & quando non est consulendum Sanctissimo in *Leodien*. *Dispensationis* 10. *Maii p*.55. *cum seq*.

Distributiones quotidianæ etiam provenientes ex aliorum fallentiis debentur Canonico cæco, qui nec etiam tenetur subire onus Missæ Conventualis per alium vice sua celebrandæ, in *Apruntina distributionum* 7 *Junii p*.31.

Distributiones quotidianas tantum, non autem massam grossam lucratur Canonicus œconomus Episcopi in absentia a Choro, vel Civitate in *Tarentina distributionum* 22.*Jan*. *p*.1.*ad I.* & *II.dub*.

Distributiones autem, & massam grossam lucratur Canonicus, qui cum Indulto a Choro, & Civitate degerat, *ibidem ad III. dub*.

E

EPiscopus, si male, & injuste perceperit Decimas, tenetur illas restituere a die motæ litis cui debentur, in *Larinen*., *seu Vulturarien*. *Decimarum* 10. *Maii p*.20. & 20. *Decemb*. *pag*. 71. *cum sequent*.

Episcopus, an & quando teneatur solvere Capitulo quid quid superest ex Asse spolii Episcopi Antecessoris, in *Hieracen*. *Spolii* 1. & 22. *Martii p*.8. & 11. *cum seq*.

Episcopo debetur a Beneficiatis omnibus Cathedraticum in summa conventa; si qui tamen sint qui a conventione appellarunt, jussit Sacra Congregatio, ut videretur particulariter, in *Acerrarum Cathedratici* 20. *Dec*. *p*.71.

Episcopo denegatur reservatio juris eligendi Cappellanum in erectione Cappellaniæ laicalis, in *Romana seu Anagnina* 1. *Mar*. *p*.9. *cum seq*.

An & quando datur Episcopo facultas separandi massam Beneficiatorum possidentium beneficia diversis temporibus erecta in *Calaritana suppressionis beneficiorum*, & *attentatorum* 22. *Mar*. *p*.12. *ad VI. dub*.

&

& præcise ne ad Electionem Abbatissarum exemptarum deveniatur, non significata Ordinario die Electionis, cui Episcopus sive per se, sive per alium interesse, & præsidere possit, in *Omolucen. jurisdictionis* 7. *Junii pag.*31. *cum seqq. ad IX. dub.*

Episcopo competit rationes exigere ab Administratoribus Bonorum temporalium dictorum Monasteriorum exemptorum, & in Administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, & prohibere ne dotes alienentur sine Indulto Pontificio, & sui licentia, *ibid. ad X. dub.*

Confessarii ab Episcopo approbati ad audiendas Confessiones Fidelium utriusque sexus, nequeunt sine speciali approbatione Episcopi in Confessarios Monialium exemptarum a Superioribus Regularibus destinari, *ibidem ad XI. dub.*

Et approbati pro uno ex prædictis Monasteriis, vel pro una vice tantum, non censentur approbati semper, vel pro omnibus Monasteriis, *ibidem ad XII. dub.*

Regulares pro obtinenda facultate audiendi Confessiones sive sæcularium, sive Monialium tenentur se personaliter Episcopo præsentari; nec sufficit ab illorum Superioribus de sufficientia, & idoneitate testimonium transmitti, *ibidem ad XIII. dub.*

Sine licentia Episcopi non licet Regularibus præsertim Benedictinis, & Cisterciensibus Eucharistiam in propriis Ecclesiis exponere, multoque minus insolitam imaginem, aut Sacram Reliquiam ab Ordinario approbatam; & tandem in eisdem Ecclesiis prædicare non petita ab Ordinario Benedictione, aut in aliis Ecclesiis sine Ordinarii licentia, *ibidem ad XVI. dub.*

F

PRO Fabrica Cathedralis, an & quando supprimi possint Canonicatus, in *Hortana suppressionis Canonicatus* 22. *Novembr. pag.*60.

H

DE Homicidio constare, & non esse locum dispensationi rescripserunt Eminentissimi Patres, in *Caputaquen. dispensationis* 10. *Maii pag.*23.

Cadavera infirmorum in hospitali decedentium non posse sepelliri in Sepulchris Oratorii dicto hospitali adnexi, *in Parmen. hospitalis* 2. *Aug. pag.*42. *ad* 2. *dub.*

An, & quando concedenda sit, vel prohibenda transmissio infirmorum de uno hospitali ad aliud, *in Viterbien, seu Montis FalisciHospitalium* 26. Apr. *p.*17. *cum seqq.*

Reintegrationi Hospitalis Beatæ Mariæ Virginis de Misericordia Castri Novi Parmen. Diœcesis, ejusque Oratorii locus fuit, ideoque etiam ab Episcopo rebenedicendum, *in Parmen. Hospitalis* 2. *Augusti pag.*62. *ad I. dub.*

Nec non concessum fuit, ut in eodem Hospitali, seu Oratorio reponerentur Campanæ, & in eo possent celebrari Sacra, & retineri Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro servitio Infirmorum, non autem seppelliri Cadavera infirmorum, qui in dicto Hospitali decederent, In sepulchris ejusdem Oratorii, *ibid. ad II. dub.*

Denegatumque fuit Cappellano pro tempore dicti Hospitalis, seu Oratorii, quod posset independenter a Parocho ministrare infirmis in dicto Hospitali degentibus Sacramenta, eorumque Cadavera in prædictis Sepulchris sepellire, *ibid. ad III. dub.*

I

EX Causa ingratitudinis non removetur a Patronis Cappellanus, salva tamen auctoritate Episcopi, *in Reatina Cappellaniæ* 10. *Maii*, *&* 7. *Junii p.*23. *&* 27. *ad II. dub.*

Infirmorum exterorum transmissio ab Hospitale Montis Falisci ad illud Viterbii, quod tantis impensis impararat, prohibita fuit, *in Viterbien. seu Montis Falisci Hospitalium* 25. *Januarii p.*2.

An constaret de irregularitate, seu potius consulendum esset Sanctissimo pro dipensatione, cum exposceretur Sacrum Tribunal, respondit esse consulendum Sanctissimo pro dispensatione favore percussoris, qui occasionem tantum mortis, non causam dederat, *in Aversana Irregularitatis* 2. *Augusti p.*44. *cum seq.*

Installationem a Capitulo tenetur petere Commendatarius eique solvere emolumenta pro installatione, *in Posnanien.* 19. *Januarii* 1754. *ad IV. dub.*, *& sub die* 22. *Novembris hujus anni* confirmatum fuit Decretum ad formam Installatio-

dalitio jure utilis superficiarii, aut perpetuarii Dominii spectat ad eamdem societatem quoad usum tantum *in Ariminen. 22. Novembris p. 61. cum sequent. ad I. dub.*

Ad ordinem Diaconatus, & Presbyteratus suscipiendum etiam vigore statutorum ; & reformationum ejusdem Ecclesiæ cogendus non est Canonicus, quoties neque ex lege fundationis, seu erectionis, neque ex usu & consuetudine ad Sacerdotium suscipiendum teneatur *in Romana Sacrorum Ordinum* 12. *Julii cum seq. & 23. Augusti p.* 37. & 48.

Canonico non obstavit falsificatio, seu alteratio rescripti S. Congr. ad optandum Præstimonium *in Posnanien. Juris Optandi 2. Augusti pag. 45. cum seq.*

P

Parochiæ permutatio absque consensu Parochi fieri nequit *in Constantien. permutationis Parochiæ 20. Decembris pag. 73. cum seq. ad I. dub.*

Parochusque ad dictam Parochiam reintegrandus, est ; fructusque restituendi a die sequestrationis *ibid. ad II. dub.*

Parochus quoad jurisdictionem in hospitali in propria Parochia sito, *vide sub littera H.*

Parochi Regulares cujuscumque Ordinis illi sint, & præsertim Præmonstratenses, Cistercienses, & Benedictini exercentes curam animarum Personarum sæcularium, & non commensalium in Parochiis, quæ Monasteriis exemptis unitæ sint & annexæ, sive sint de Jurepatronatus, etiamsi cura animarum residere dicatur in Abbatibus, tenentur subire visitationem Episcopi in iis, quæ pertinent ad curam animarum, sive Episcopus visitet per se, sive per alium, non obstantibus Privilegiis dictorum Monasteriorum *in Omolucen. Jurisdictionis 7. Junii pag. 31. cum seq. ad I. dub.*

Imo & tenentur Procurationem solvere, vocati ad Synodum accedere sunt cogendi ; festa Diœcesis populo annunciare, & celebrare ; Chrisma, & Olea SS. ab Episcopo Diœcesano accipere *ibid. ad II. dub.*

Nec etiamsi sint Abbates possunt a Superioribus Regularibus ad curam animarum destinari, illamque exercere sine approbatione Episcopi, *ibidem ad III. dubium.*

Nec dari Regulares in Coadjutores dictorum Parochorum possunt a Superioribus Regularibus, sine expressa licentia Episcopi ; in cujus potestate erit approbare Confessarios Regulares : limitare eorumdem facultates, non solum quoad tempus, sed etiam quoad Personas, & loca, in quibus debent confessiones audire, *ibid. ad IV. dub.*

Nec licet Abbatibus, sive Parochis Regularibus, præsertim Cisterciensibus pro libitu, & sine licentia Episcopi pro Parochiis modo unam, modo alteram Ecclesiam, sive Cappellam, in qua Sacramenta a Parochis administrentur constituere *ibidem ad V. dub.*

Prælati Regulares ubi habent purum Juspatronatum Parochiarum acquisitum, vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, tenentur Episcopo præsentare Sacerdotes sæculares, ut antea laici tenebantur; nequeunt tamen præsentare Monachos, eosque pro libito, non salutato Episcopo removere *ibidem ad VI. dub.*

Abbas Curatus nequit habitare domum etiam paternam, quæ extra fines suæ Parochiæ sita sit *in Pontis Curvi Residentiæ 20. Decemb. p. 76. cum seq.*

Administratio bonorum fieri debet a Cappellano non vero a Patronis *in Reatina Cappellaniæ* 10. *Maii, & 7. Junij p. 23. & 27. ad III. dub.*

Patroni cogi nequeunt ad supplendam dotem beneficii insufficienter assignatam, in *Calaritana Suppressionis Beneficiorum & Attentatorum 22. Mart. p. 12. ad III. dubium.*

Jus nominandi Cappellanum ad Cappellaniam acquisitam occasione reædificationis Ecclesiæ jampridem a Communitate constructæ, quod a Communitate prætendebatur cumulative cum novis Patronis, datum fuit integraliter, & privative Patronis prædictis *in Reatina Cappellaniæ 10. Maii, & 7. Junii p. 23. & 27. ad I. dubium.*

Patronus an & quando possit Cappellaniam laicalem in Beneficium Ecclesiasticum convertere, illudque in præferentia Consanguinei Testatoris Sacerdoti extraneo adjudicare *in Camerinen. Cappellaniæ 25. Januarii p. 5. cum seq.*

Ad participationem legati admissa fœmina in statu virginali, eadem gaudere debet participatione etiam post contractas nuptias in aliena familia *in Romana,*

seu

FINIS.

THESAURUS RESOLUTIONUM
Sacræ Congregationis
CONCILII,
Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, Aliasque Canonici Juris Sanctiones :

MUNUS

Secretarii ejusdem Sacræ Congregationis

OBEUNTE

R.MO P. D. FURIETTO

PRODIERUNT

In Causis sub Annum 1756. propositis,

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, & necessarius.

TOMUS XXV.

DUPLICI INDICE

LOCUPLETATUS.



ROMÆ, MDCCLVI.

Typis, & Sumptibus Hieronymi Mainardi in Platea Agonali
Superiorum facultate.

INDEX
TITULORUM CAUSARUM,
Quæ in Sacra Congregatione Anno MDCCLVI. fuerunt propositæ.

Die Sabbathi 17. Januarii 1756. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit S. Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

BRUGNATEN. COADJUTORIÆ: Cauſa hæc in ultima *Congregatione* habita *die* 20. tranſacti menſis *Decembris* dilationem obtinuit *ad hanc Congregationem*. Rogamus igitur Eminentiſſimos Patres, ut ad ejus quinque Capita expedienda *Folium* ejuſdem Congregationis iterum conſulant. *Seſs. 25. c. 7. de ref.*

I. *An ſit indulgendum Coadjuto pro gratia diſpenſationis a Reſidentia locali, quia in Bulla non adeſt Decretum reſidendi?* & quatenus negative.

II. *An uſus Domus Canonicalis de ſe indiviſibilis debeatur tantum dicto Coadjuto reſidere nunc volenti, & nolenti, quam domum idem Coadjutus nec animo, nec ſcripto umquam ceſſit Coadiutori?*

III. *An Coadjuto competat facultative adminiſtrare Eccleſiam ſuam in Spiritualibus, itaut Coadjutor nihil agere valeat, niſi eo requiſito. & poteſtate tantum Vicaria, donec Officium Coadjutoris duraverit.*

IV. *An, & quomodo ſit providendum in puncto adminiſtrationis etiam in temporalibus, ne Bona Eccleſiæ ulterioribus detrimentis ſubjiciantur.*

V. *An, & quomodo ſit providendum Coadjuto, ne litigare continuo cogatur alimenta ſua in ſumma 36. ducatorum auri de Camera ſibi in Bulla reſervata, addita obligatione Camerali, ac fidejuſſione bene viſa pro aſſecurandis eiſdem alimentis in caſu &c.*

Ad I. Non indigere. Ad II. Proviſum in primo. Ad III. Negative in caſu de quo agitur. Ad IV., & V. Partes utantur jure ſuo coram ſuis Judicibus, & amplius in omnibus.

CASSANEN. MATRICITATIS, ET PRÆEMINENTIARUM: Hæc quoque Cauſa data fuit in eodem *Folio* ultimæ *Congregationis*, ſed propoſita non fuit. Cum nunc, ut credimus, *Seſs. 24. c. 17. de ref.*

proponatur, repetita *ejusdem Folii* lectione, sex ejus Dubia expedienda erunt.

I. *An constet de Matricitate Ecclesiæ S. Nicolai Terræ Castellucci inferioris supra Ecclesiam S. Margaritæ Terræ Castellucci superioris in casu &c.*

II. *An Ecclesiæ S. Nicolai competat antepulsatio campanarum in die Sabbathi Sancti, seu potius sit locus cumulativæ, vel alternativæ?*

III. *An, & cui ex duobus Cleris, & Rectoribus competat Præcedentia in Processionibus, aliisque Functionibus Ecclesiasticis, quæ forte unitim fieri contingant?*

IV. *An in processione peragenda in Die Dominico infra Octavam Corporis Christi in Ecclesia S. Margaritæ delatio Sanctissimi Sacramenti privative spectet ad Archipresbyterum S. Nicolai in casu &c.*

V. *An substineatur mutatio Tituli Rectoris, seu Cappellani Curati S. Margaritæ in Titulum Archipresbyteri ejusdem Ecclesiæ facta ab Episcopo?*

VI. *An Clero Ecclesiæ S. Margaritæ liceat habere suum proprium Cantorem, seu Præfectum Chori, seu potius Cantor S. Nicolai debeat regere utrumque Chorum in casu &c.*

Dilata, & proponatur omnino in prima post Cineres etiam unica.

Sess. 25. c. 4. de ref.

ROMANA APPLICATIONIS: Species omnis hujus Causæ habetur in *Folio Congregationis* habitæ *die 6.* ejusdem nuper transacti mensis *Decembris*: Sed neque hæc proposita fuit. Poterunt itaque Eminentissimi Patres, si nunc proponatur, *eodem Folio* consulto, quod sequitur, Dubium expedire.

An sit locus applicationi Bonorum, de quibus agitur, favore R. Fabricæ S. Petri pro ass. inadimplemento Legati Pii De Amadoris in casu &c.

Negative, & amplius.

RO-

Sess. 25. c. 4. de Ref.

ROMANA REDUCTIONIS · A pio Testatore Vincentio Justiniano anno 1635. ita legatum fuit Clericis Regularibus Ministrantibus Infirmis *lascio alli RR. PP. di S. Maria Maddalena di Roma Luoghi Cento de Monti, coll' entrata de quali debbano alimentarsi dieci Padri di detto Monastero, quali siano obligati perpetuum celebrare dieci Messe il giorno per l'Anima mia*. Defuncto Testatore, R. Fabrica S. Petri Patribus Legatariis indixit, ut declararent, an Legatum agnoscere vellent, & protestationem emisit, ne possent Patres, si Legatum agnoscerent, ullo umquam tempore commutationem impetrare, nisi ea citata, & audita. Legatum Patres agnoverunt, & publicis Tabulis susceperunt obligationem agendi decem quotidiana sacrificia: Hæres tradidit centum Loca Montium, sed non Cameralia, verum deterioris conditionis. Ex his Patres anno 1639., impetrata venia ab hoc Sacro Tribunali, distraxerunt Loca 86., & in eorum locum subrogarunt Palatium, quod possident in Regione S. Eustachii: Cætera Loca 14., quæ annuum fructum sc.64. reddere debuissent, facta sunt inexigibilia. Cum igitur ex illis Locis 86., si detracta non fuissent, percipere Patres non potuissent, nisi, annua sc.416., quæ satis non erant, ut possent *alimentarsi dieci Padri di detto Monastero*, preces ideo iidem Patres obtulerunt *anno* 1746. Sacro huic Tribunali, quibus postularunt reductionem Sacrorum ad numerum Patrum, qui redditibus illis ali poterant. Sacrum Tribunal jurisdictionem mandavit Cardinali Sacchetto Ordinis Protectori, ut Sacrorum numerum *ad proportionatam redditunm quantitatem, more Urbis inspecto, pro suo arbitrio, & prudentia moderaretur, & reduceret*. Mandata jurisdictione usus Cardinalis Sacchettus ita decrevit: *Reducimus onus Missarum ad sex Missas qualibet die, & quatenus recuperentur redditus sc.64. ex Montibus habitis pro derelictis, augeatur onus ad aliam Missam, pro quibus Missis celebrandis detineantur in Conventu tot ex Patribus juxta dispositionem Testatoris, quot Missæ celebrandæ veniunt*.

Hanc reductionem anno 1660. in controversiam revocavit Rev. Fabrica S. Petri, quod ipsa citata atque audita non fuisset; sed inde controversia Transactione sopita fuit, qua Patres Fabricæ cesserunt omnes Fructus non perceptos ex novem Locis Montis veteris, & duobus Locis Montis Jacobilli, ut & Legatum scuta 100., quod anno 1656. Patribus dederat Faustina Capogalla. Contra vero Rev. Fabrica *compositionem admisit, nec non Judicio, & Liti contra eosdem motis renunciavit, Decretumque Sacræ Congregationis Concilii vigore præsentis Transactionis, & ex speciali pacto, & non alias &c. approbavit, & in futurum servari mandavit*. Rebus cum Fabrica compositis, curarunt Patres vindicare Loca illa 14., quæ pro derelictis habebantur, & post longam Litem consequi potuerunt pro tribus Locis Montis subsidii triennalis sc.160., quæ erogata fuerunt in emptionem unius Loci & $\frac{37}{100}$ Montis Restaurati secundæ erectionis, & reddunt annua sc.4. & ob.11. Inde anno 1690. impetrata pariter venia ab hoc

Sacro Tribunali, vendiderunt Loca 9. Montis Veteris pretio ſc.315., eoque pretio emerunt Loca 3. Montis Novennalis, quæ reddunt fructum annuum ſc.9. Horum cauſa Cardinalis Petruccius Viſitator Apoſtolicus anno 1697. juſſit, ut Patres agerent annua Sacra quinquaginta. Patres demum anno 1706. ex ſcutis 90., quæ fuerant pretium duorum Locorum Montis Jacobilli emerunt $\frac{75}{100}$ Montis S. Petri tertiæ erectionis, quæ reddunt annua ſc.2., & ob.25. Poſt hæc evenit, ut cognitiſſimum eſt, diminutio fructuum Locorum Montium, itaut Loca illa 86., in quorum locum ſubrogatum fuit, ut diximus, Palatium in Regione S. Euſtachii, quæque reddebant annua ſc.416., reddere Patribus non potuiſſent, ſi non fuiſſent diſtracta, niſi annua ſcuta 258. Patres igitur anno 1711. novas preces obtulerunt Sacro huic Tribunali, quibus petierunt novam Sacrorum reductionem; auditoque Eminentiſſimo Protectore, cum hic cenſuiſſet, ut *firma remanente obligatione celebrandi Miſſas quinquaginta, quas cl. mem. Cardinalis Petruccius anno 1697. pro ſc.9. annuis, quæ ab Oratoribus percipiuntur ex Locis tribus Montis Novennalis celebrandas eſſe præſcripſit. Pro reliquis Introitibus, ſive Fructibus, hoc eſt pro annuis ſc.258. dictorum Locorum 86. Montium, pro aliis ſc.4. 11., quæ retrahuntur ex Monte Reſtaurato ſecundo, & pro aliis ſc.2., & ob.25., quæ ex Monte S. Petri ſecundæ erectionis quotannis habentur, quorum omnium facta computatione, conflatur ſumma ſc.264. 36., pro hac inquam ſumma Miſſas ad numerum quatuor quotidianarum reducendas, & reſpective taxandas in unum eſſe &c. Cum præfatis ſc.264. 36. non plures quam quatuor Religioſi, nec quidem juxta indigentiam ſuſtentari poſſint &c. nam pro victu, & indumentis ea tempeſtate cujuslibet Religioſi integra ſumma ſc.75. ſingulis annis impendebatur*, Sacra hæc Congregatio *die* 28. *Martii eodem anno* 1711. reſcripſit *Pro Gratia arbitrio Eminentiſſimi Protectoris*.

Binas has reductiones indultas ab hoc Sacro Tribunali, alteram nempe anno 1646., alteram anno 1711. in controverſiam revocat Fabrica. Patres contra diſputant primam anni 1646. non poſſe a Fabrica impugnari, cum obſtet ſolemnis Tranſactio, in qua *Decretum Sacræ Congregationis Concilii ex ſpeciali pacto approbavit, & in futurum ſervari mandavit*: Alteram vero anni 1711. nulla ratione impugnari poſſe, cum ejus juſtitia pateat ex relatione Eminentiſſimi Protectoris, neque excipiendum eſſe, quod Fabrica citata, & audita non fuerit, aut quod Patres publicis Tabulis obligationem ſuſceperint agendi decem quotidiana Sacrificia: quidquid enim ſit, an Patres afficiantur proteſtatione illa emiſſa a Fabrica, cum, nullo Jure cogente, eam ſervare tenerentur, ſatis eſſe, ut reductio juſte fuerit indulta, ut excipi poſſit, vulgato illo adagio, *dic hodie, quid dicturus fuiſſes, ſi citatus fuiſſes*, eoque vehementius, quod a Patribus petita non fuit commutatio voluntatis Defuncti, ſed reductio, & diminutio oneris ob diminutionem reddit0uum, quæ evenit ſine ullo eorum facto vel culpa: Suſcepiſſe Patres obligationem agendi decem quotidiana

diana ſacrificia, ſed hanc obligationem cognatam habere conditionem, ſi redditus, quibus obligatio reſpondet, in eodem ſtatu ſint; iniquum enim eſſe, ut diminutis redditibus, eadem ſemper obligatio permaneat. Hæc Patres. a Fabrica nihil habuimus. Dubium eſt.

An reductio anni 1646., *&* 1711. *ſubſtineatur in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM: Teſtamento, quo deceſſit anno 1607. Joannes Petrus Previtalis in Urbe Mercator legata Dote ſc.1000. Filiæ Fratris ſui Joannis Baptiſtæ, aliaque Dote ſc.200. Filiæ ſororis uxoris ſuæ, hæredem ſcripſit in uſufructu per annos 20. Damianum Paleam, in proprietate vero Sodalitium Urbanum SS. Bartolomei, & Alexandri Nationis Bergomenſis, adjecto onere unius Sacri quotidiani, alioque, *Che doppo, che detta Compagnia riceverà l' uſofrutto, ſia obligata ogn' anno maritare nel giorno de Santi Bartolomeo Apoſtolo, & Aleſſandro Martire dieci povere Zitelle della Nazione Bergamaſca, dandogli ſc.30. per ciaſchedun a con veſte lionata, e ſe per ſorte non vi foſſero al numero di dieci, che ſi debba ſupplire nell' anno ſeguente, con condizione, che ſe ci foſſero Zitelle povere del Parentado, tanto da canto di detto Teſtatore, quanto da canto di madonna Livia ſua moglie, che ſiano preferite all' altre.* Arctiſſima inde adjecta prohibitione alienationis, venditionis, atque hypothecæ Bonorum hæreditariorum, ut ea perpetuo penes hæredem eſſent iis oneribus obnoxia, vetuit, ne poſtulari poſſet a Summo Pontifice cujuſcumque generis derogatio ſuæ voluntatis his verbis, *Che non poſſino in alcun tempo, ne ſotto qualſivoglia preteſto, e cauſa penſata, e non penſata domandare, o impetrare derogazione di queſta proibizione, ne impetrare, o fare impetrare alcun Indulto, Grazia, o abilità, ancorchè di moto proprio del Sommo Pontefice con qualſivoglia clauſole o decreti, etiam alla preſente ſua ultima volontà derogatorie quali ancorchè ſi concedeſſero, non ſe ne poſſino ſervire, perchè eſſo Teſtatore a queſt' effetto, ed acciochè detti Beni rimanghino perpetuamente nella detta Ven. Compagnia con le dette condizioni, leggi, patti, ed oblighi la fà, & iſtituiſce erede, come di ſopra.* Seſſ.22.c.6. de ref.

Ut autem ſua diſpoſitio certius exequeretur, duplicem Teſtator adhibuit cautionem: Alteram, qua voluit, *Che li Signori Protettori, Governatori, Amminiſtratori, Deputati, ed Officiali qualſivoglia d' eſſa Ven. Compagnia, prima che eſſa Ven. Compagnia poſſa conſeguire alcun commodo dalla ſua preſente Eredità e diſpoſizione, ſiano obligati a giurare, ſiccome eſſo Teſtatore li prega a voler giu-*

rare sopra il Sagro Evangelo, che essi, e i loro successori inviolabilmente osserveranno la presente disposizione di esso Testatore, li prega a voler giurare sopra il Sagro Evangelo, che essi, e i loro Successori inviolabilmente osserveranno la presente disposizione di esso Testatore, e che nel Libro dell' Entrate di essa Compagnia registreranno la presente sua volontà, e disposizione, siccome vuole, che si registri, acciochè mai non possino pretendere, o allegare ignoranza della presente sua volontà, e non domandaranno assoluzione di questo suo giuramento, e non contraverranno mai a questa sua volontà. Alteram vero, *Che se la Compagnia non adempisce in tutto, e per tutto la sua disposizione, vuole, che detta sua Eredità tutta ipso facto vadi, e spetti alla Ven. Compagnia di San Bastiano dell' Università de Mercanti nella Chiesa di San Valentino alli Mattei con li medemi obblighi, proibizioni &c. imposte come sopra alla Compagnia de Bergamaschi.* Defuncto Testatore, descripta fuerunt ab utroque Hærede Bona hæreditaria, quæ præter Domos, vineta, Census, estimatis dumtaxat mercibus, creditis, & mobilibus, deductoque ære alieno, summam fecerunt sc.23243. 78. Finito usufructu, Sodalitium diu certavit, ut bona hæreditaria vindicaret, quæ plurimum diminuta recepit: iis tamen vindicatis, exequi cæpit voluntatem Testatoris Sacri quotidiani, & Dotis decem Puellarum: Minuit vero inde Dotes, ac postea Dotium numerum. Cum autem his diminutionibus sibi habuisse videretur summam sc.7799., Rev. Fabrica S. Petri molestias intulit. Sodalitium vero, oblato Libello, quo monstrabantur necessarias fuisse eas diminutiones ob diminutionem redditutum, SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, absolutum fuit de præteritis, & quoad futuras Dotes obtinuit, ut juxta proportionem quantitatis reddituum eædem Dotes præstarentur.

Anno 1745. Laurentius Previtalis preces obtulit eidem SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus postulavit, ut ex subsidiis dotalibus relictis a Joanne Petro Previtali, cujus se agnatum dicebat, Dos congrua assignaretur septem suis Filiabus, quibus premebatur. Data fuit Sacro huic Tribunali postulationis hujus cognitio, & ab hoc Sacro Tribunali rogatus fuit Annibal Albanus S. R. E. Cardinalis Amplissimus, & Sodalitii Protector, ut de ea sententiam animi sui explicaret. Cum Laurentius fides quasdam Baptismatum edidisset, quibus probare intendebat descendentiam suam a Joanne Baptista Testatoris fratre, idem Eminentissimus Protector censuit *instantiam Oratoris patris septem puellarum plenam esse æquitatis, & exaudiendam*, ideoque hoc Sacrum Tribunal eidem Eminentissimo Protectori commisit, *ut oratoris precibus indulgeret quoad prælationem*, atque hoc rescritum Apostolico Brevi confirmatum fuit, adjecta etiam, *quatenus opus esset*, derogatione voluntati Testatoris. At verba illa Rescripti litem excitarunt inter Previtalem, & Sodalitium, contendente Previtale, ut omnes Dotes assignandæ essent singulis suis Filiabus, posthabitis aliis Puellis, quod negabat Sodalitium, a quo tamen duæ ejusdem Previtalis filiæ *come descendenti dal Testatore*

ſtatore prælative ad alias Puellas dotale ſubſidium ſc.30. accepe-runt. Acta eſt lis per decennium, & Judices in aliam atque, aliam abierunt Sententiam. Lite nondum finita, cum reſciviſſet Previtalis plura ex his ſubſidiis dotalibus uni eidemque Puellæ retroactis temporibus data fuiſſe a Sodalitio, his fretus exemplis novas obtulit preces Sacratiſſimo Principi noſtro, quibus poſtulavit, ut Sodalitium, facta cumulatione plurium ſubſidiorum Dotalium congruam Dotem ſingulis ſuis Filiabus conſtituere cogeretur auctoritate Apoſtolica, derogando etiam, ſi neceſſe eſſet, Teſtamentariæ diſpoſitioni Joannis Petri Previtalis.

Data fuit Eminentiſſimis Patribus novæ hujus poſtulationis cognitio, & diſputat nunc Previtalis aſſignandas eſſe ſingulis Filiabus ſuis Dotes in ſc.1000., cum ipſæ ſint Teſtatoris conſanguineæ, ut in Pontificio Brevi declaratum fuit,& agnitæ ab ipſo Sodalitio, quod duabus ex ipſis tamquam *deſcendenti dal Teſtatore* prælationem indulſit, utque agnitæ fuerunt ab hoc Sacro Tribunali,ideoque hac ſpectata conſanguinitate, longe majora ſubſidia præſtanda eſſe ex præſumpta Teſtatoris voluntate, ita ut uni conſanguineæ detur, quod pluribus extraneis,ſive uno ſive pluribus annis, dandum eſſet *Card. de Luca de Dote diſc.*100. *n.*5., *& Urſaya diſcept. Eccleſ. vol*.3. *par.*2. *diſcept.*2. *n.*105. Id in more poſitum Tribunalibus omnibus, & præſertim Sacræ huic Congregationi, cujus decreta colligit. Hinc eſſe, ut minor Dos conſtitui non debeat ſcut.1000., cum ipſe Teſtator hanc Dotem legaverit Filiæ Fratris ſui Joannis Baptiſtæ, a quo ipſe, & Filiæ deſcendunt. Grave hoc eſſe non poſſe Sodalibus, qui lucrifecerunt pluſquam ſc.7000. inutilem eſſe Filiabus ſuis prælationem, quam ipſis dedit Teſtator, ſi ſola ſc.30. ferre deberent,cum hanc dotem ferrent ex ſola Juris diſpoſitione: Nullam habendam eſſe rationem detrimenti, quod aliis Puellis inferatur, cum res ſit de jure incerto, atque pendenti a ſorte, & Urna; Sodales, qui aliis extraneis Puellis plura ex his ſubſidiis in unum cumulata contulerunt, non debere id ipſum denegare Puellis conſanguineis Teſtatoris. Hæc atque alia Previtalis. Contra Sodales reiiciendam diſputant Previtalis poſtulationem, quod ipſe non probet deſcendere a Joanne Baptiſta Fratre Teſtatoris, cum Fides Baptiſmatum ſolam probent ætatem: Agi nunc contra Tertios, ideoque deſcendentiam rigide probandam eſſe, cum de ſola prælatione ageretur, indulſiſſe Eminentiſſimum Protectorem, atque hoc Sacrum Tribunal, quia nulli detrimentum inferebatur, nunc vero diverſum eſſe, nam cumulando tot ſubſidia Dotalia in ſingulas ejus Filias,actum eſſet de Dotibus extraneis Puellis diſtribuendis.

Neceſſe igitur eſſe, ut quando tam grave Tertiis detrimentum infertur, conſanguinitas plene probetur: Sed etſi hæc plene probaretur a Previtali, deviam eſſe ejus poſtulationem a voluntate Teſtatoris, qui præferri quidem voluit ſive ſuas, ſive uxoris conſanguineas aliis extraneis Puellis in ſubſidio dotali ſc.30., non vero voluit, ut ſive ſuæ, ſive uxoris conſanguineæ,facto cumulo,

ſubſidia aliis Puellis extraneis interciperent: ſola igitur ſc.30. Jure prælationis, & ſine ſorte atque Urna capere poſſe Filias Prævitalis; Hanc eſſe Teſtatoris voluntatem, quam ſervare voluit a Sodalibus cautionibus illis duabus, quas adhibuit, & cui derogari honeſtum non ſit, quando Teſtator vetuit impetrari poſſe derogationes ſuæ voluntati, & ſi impetrarentur, noluit iis uti poſſe. Hæc atque alia Sodales. Videant igitur Eminentiſſimi Patres omnibus perpenſis, qua Juris ratione expediendum ſit dubium.

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro aſſignatione congruæ Dotis facienda unicuique ex Filiabus Laurentii *Previtalis præter illam, ſeu illas eis jam debitas ad formam ultimi Judicati, & in qua ſumma, prævia, quatenus opus, Derogatione diſpoſitionis Joannis Petri Previtalis in caſu &c.*

Negative.

Seſſ.7.c.7. de ref. NUSCANA: Erecta fuit a Nuſcano Epiſcopo initio ſæculi XVI. in Collegiatam Eccleſia Parochialis S. Mariæ *del Piano* Terræ Montellæ unione *octo* Parochialium Eccleſiarum, ſeptemque non Parochialium, quæ erant aut intra eamdem Terram, aut in ejus Suburbiis. Cum autem de validitate hujus erectionis, atque unionis jure dubitaretur, Magnus ille Pontifex Leo X. Anno 1515. Conſtitutione ſua Erectionem, atque Unionem confirmavit. Erant in ea Collegiata Archipresbyter, Primicerius, & duodecim Canonici: Archipresbyter duas Canonicales portiones accipiebat, ſed cum tenues eſſent redditus, ideo Leo X. duos Canonicatus primum ſuppreſſit, inde minuit etiam redditus Archipresbytero, ut unam, & dimidiam tolleret Canonicalem portionem. Hac Unione cura animarum translata fuit in Capitulum, quod habitualem habet. Actualis dudum exercebatur ab Archipresbytero, & duobus Canonicis, inde vero juxta Leonis X. Conſtitutionem præpoſiti fuerunt, & nunc præponuntur a Capitulo ſingulis illis octo Parochialibus Vicarii ad nutum amovibiles, tenuiſſimo annuo ſtipendio octo ducatorum. Suevit Capitulum Sacrum Conventuale *pro Benefactoribus*, & poſt Literas Encyclicas Sacratiſſimi Principis noſtri aliud etiam *pro Populo* agere: ſed in nupera Viſitatione decrevit Epiſcopus, ut tot agerentur Sacra *pro Populo* diebus Feſtis, quot ſunt Parochiales Eccleſiæ unitæ. Commovit Capitulum hoc onus, delatiſque precibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO poſtulavit ab hoc onere liberari. Data fuit Ampliſſimis Patribus de hac poſtulatione cognitio, auditoque jam Epiſcopo Nuſcano, qui totus eſt, ut Decretum ſuum defendat, Cauſa nunc Eminentiſſimis Patribus definienda proponitur.

Diſpu

Disputat Capitulum non debere singulis Festis tot Sacra pro Populo agere, quot sunt Parochiales unitæ, quia unio a Summo Pontifice sive facta, sive confirmata non fuerit *æque principaliter*, sed *subjective*, ideoque, extincto Parochiæ Titulo, incongruum sit, ut Sacra *pro populo* agi debeant, quando deest Parochia: subjectivam fuisse unionem liquidum fieri, quia Summus Pontifex usus sit verbis *unimus*, *adnectimus*, *incorporamus*, quæ subjectivam unionem præseferunt; quia data fuerint Capitulo, & Ecclesiæ Collegiatæ *omnia jura* redditus, fructus, emolumenta, quæ ad Ecclesias illas Parochiales spectabant; quia data fuerit Capitulo facultas deputandi Sacerdotes ad nutum amovibiles in iisdem Ecclesiis Parochialibus unitis, qui consequenter nudi suntMinistri Capituli Curam habitualem habentis, ut anno 1708. definitum fuit a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium Consultationibus præposita. Hæc omnia demonstrare unionem subjectivam: Accedere consuetudinem immemorabilem, & tenuitatem redditunm, ex qua fit, ut nequeat Capitulum hoc onere gravari; neque ad rem pertinere, quod ait Episcopus, Sacra *pro populo* agenda esse a Vicariis, cum hi non habeant Ecclesias illas in Titulum, neque aliis oneribus gravandi sint in tanta stipendii eorum tenuitate, quanta fert tenuitas reddituum Capituli. Hæc a Capitulo in suo libello. A Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis Nuscanæ nihil habuimus. Dubium est.

An Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ del Piano Oppidi Montellæ Nuscanæ Diœcesis teneantur unam tantum Missam pro Populo diebus Festis celebrare, seu potius tot Missas, quot sunt Parochiales Ecclesiæ illi unitæ in casu &c.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

ALERIEN. SEPULTURÆ: Initio sæculi XV. vocati fuerunt a Communitate, & Populo Terræ Curtis Aleriensis Diœceseos Patres Minores Observantes S. Francisci, iisque ædificatum fuit Monasterium, & Ecclesia. Ultra alias eleemosynas quibus Patres viverent, Cives, derelictis sepulcris, quæ habebant in Ecclesia matre, sepulturas elegerunt, & construxerunt in Ecclesia S. Francisci, ut sacris, oblationibus, & emolumentis funerum facilius iidem Patres ali possent, & ipsi lucrifacerent *Indulgentias*, quæ a Summis Pontificibus datæ sunt iis, qui sepulturam eligunt in Ecclesiis Patrum S. Francisci. Patres vero, ut aliquid Civibus retribuerent, sese obligatos voluerunt ad associanda singulorum defunctorum corpora, iisque sacrum sine ullo stipendio agendum. Fuga temporum, quibus semper

ita

ita observatum fuit, periit actus, & probatio harum conventionum, ideoque, transacto sæculo, petiit a Patribus Communitas, ut renovarentur, & renovatæ fuerunt, lato a P. Provinciali, & Definitorio Decreto, in quo statutus fuit numerus Patrum; quibus defunctorum corpora associarentur. Etiam Communitas anno 1706. veteres conventiones renovavit publico Instrumento, in quo Cives sepulturam elegerunt in Ecclesia Sancti Francisci *per se, loro eredi, e successori in perpetuo*. Parochus tamen preces contra hoc Instrumentum obtulit Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium negociis, & consultationibus præpositæ, sed rejectus fuit rescripto *servandum esse solitum*.

Anno 1740. Sacerdos Andreas Arrighi, ædificato sive Oratorio, sive Ecclesia sub titulo Beatissimæ Virginis in Cœlum Assumptæ, S. Andreæ, & S. Aloysii Gonzagæ, postulavit ab Episcopo tunc temporis Aleriensi Patronatum ejusdem *per se, e suoi eredi in perpetuo*, atque etiam jus, & facultatem construendi in eodem Oratorio, sive Ecclesia sepulcrum *per se, e per li suoi parenti, e eredi*. Episcopus Patronatum reservavit, & sepulcrum, ut petebatur, concessit sub conditione tamen constituendi dotem eidem Ecclesiæ. Hoc Episcopi rescriptum autographum non potuisse reperiri testificationem facit, qui nunc Ecclesiæ illi præest, Episcopus. Sepulcro ædificato, in illud illata fuerunt corpora quædam non consanguineorum tantum, sed etiam extraneorum, percepitque Arrighius emolumenta funerum. Patres Minores Observantes, & Parochus diutius tacendum non esse censuerunt, ut detrimentum suorum jurium averterent, & Arrighium in jus vocarunt coram Episcopo, qui sententiam tulit, qua Arrighium damnavit ad emolumenta restituenda, vetuitque ei, ne exequias ullas ageret. Hæc tamen sententia Episcopi circumscripta fuit, quia Arrighius prævenerat, oblatis hac de re precibus Sacro huic Tribunali. Causa igitur *ex integro* cognoscenda est ab Eminentissimis Patribus. Controversia omnis VII. Capitibus collecta fuit. Pendet autem res omnis a primo, contendentibus Patribus, & Parocho sepulcrum in eodem Oratorio, sive Ecclesia erectum non substineri; reliqua Capita ab hujus definitione affirmativa pendentia suas habent quæstiones, quibus verba concessionis interprætentur. Longum esset, quæ Patres, & Parochus de singulis Capitibus habent, colligere: satis est Dubia legere, ut quid sit id, de quo quæritur, continuo intelligatur. Ab Arrighio nihil habuimus. Capita sunt.

I. *An sepulcrum erectum in ass. Ecclesia S. Aloysii Gonzagæ Oppidi Curtis substineatur in casu &c.*, & quatenus affirmative.

II. *An dicta concessio sepulcri facta Andreæ Arrighi pro se*, e per li suoi Parenti, ed Eredi *solos Agnatos de Familia Arrighi comprehendat, vel potius ad Cognatos etiam extendi debeat?*

III. *An eadem concessio facta etiam pro hæredibus dicti Arrighi solos hæredes habentes JUspatronatus dictæ ass. Ecclesiæ contineat,*

vel

vel potius hæredes etiam aliorum consanguineorum, qui non habent Juspatronatus dictæ Ecclesiæ?

IV. *An non facta electione sepulturæ ab iis, quibus dictum Jus sepulturæ competere potest, Cadavera eorum tumulanda sint in dicta ass. Ecclesia, seu potius in Ecclesia PP. Minorum Observantium?*

V. *An, & cui competat Jus celebrandi Exequias, aliasque Functiones funebres in dicta ass. Ecclesia S. Aloysii?*

VI. *An, & cui, & pro qua rata competant emolumenta funeralia?*

VII. *An locus sit exhumationi Cadaverum in dicta Ecclesia S. Aloysii sepultorum, ac restitutioni emolumentorum in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Comprendi etiam cognata in casu electionis, & amplius. Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius. Ad IV. Provisum in secundo, & amplius. Ad V. Competere Parocho, & amplius. Ad VI. Competere omnia Parocho. Ad VII. Negative ad primam partem, & quoad secundam affirmative pro quarta funerali.

ORIOLEN. Ecclesia S. Salvatoris *de Oriola* non nisi gradatim ad Cathedralem pervenit. Ante annum 1419. Parochialis erat, & Episcopo Carthaginensi subjecta, inde quia *notabilis, & populosa erat*, & magnos redditus, magnumque habebat Beneficiorum numerum, erecta fuit in Collegiatam, in qua tres essent Dignitates, decem Canonici, Hebdomadarii quatuor, qui Sacerdotale officium, & curam animarum singulis quisque hebdomadis exercerent, unum Diaconum, qui Evangelia, & Subdiaconum, qui epistolas canerent, Sacerdotes denique alios quatuor pro Clericalibus Muneribus. Certi cuique assignati fuerunt redditus, & certa sacrorum agendorum onera certis diebus, præsertim Dignitatibus, & Canonicis, quæ tamen, vel absentes, vel in Sacris Ordinibus nondum constituti per alium Canonicum implere tenerentur, &, ut quilibet, qua die onus suum implere deberet, scire posset, factæ fuerunt Tabellæ, quæ plurics etiam renovatæ fuerunt. Erecta demum fuit hæc Collegiata Ecclesia in Cathedralem, & cum Canonici ad Sacros Ordines ascendere negligerent, condita fuerunt a Capitulo Statuta, & exemplo aliarum Cathedralium, quarum Statuta indictis pœnis Canonicos cogebant, *acciò, quanto prima si ordinino d'Ordine Sagro, ed adempischino per se medesimi col ministerio della sua Prebenda*, Canonici, & Dignitates, qui in Sacris Ordinibus non essent, voce in Capitulo, & dimidia distributionum parte privati fuerunt. Verum hæc etiam Statuta fuga temporis, & desidia Capituli spreta sunt, cum neque Sacros Ordines susciperent Canonici, neque ea etiam servarent, quæ in Cœremoniali Episcoporum de assistentia præstanda Episcopo Sess.24.c.12. de ref.

scopo

ſcopo Pontificalia agenti, aut Sacrum facienti, aut concionanti conſtituta ſunt.

Epiſcopus igitur vitia hæc evellere ſatagens, impetrato Brevi Apoſtolico, quo pactis, & conſuetudinibus quibuſcumque derogatum fuit, Edictum tulit, quo indicebat, ut, qui ex Dignitatibus, aut Canonicis nondum ad Sacerdotium aſcendiſſent, curarent, ut quam primum promoverentur, & per ſe ipſos Officiagerent Sacerdotalia, alias Canonicis pœnis obnoxii eſſent. Pœnas quoque indixit in Capitulares, ſi forte ſinerent fructus Præbendales, & quotidianas diſtributiones percipi ab iis, qui Edicto non paruiſſent. Alias quoquc addidit pœnas in Capitulares, ſi Cœremoniale Epiſcoporum non obſervarent, & aſſiſtentiam Epiſcopo præſtare renuerent. Reſtiterunt huic Edicto duo ex Canonicis, & Sacriſta, quæ ſecunda Dignitas eſt, putantes non teneri ad Sacerdotium ſuſcipiendum, atque appellarunt ad Audientiam Metropolitanam. Poſt varias de hac appellatione controverſias, Cauſa ad Judicium Sacri hujus Tribunalis delata fuit. Audito tamen, ut fieri ſolet, Epiſcopo Oriolenſi, duo Canonici Edicto paruerunt, Sacerdotio ſuſcepto, & Sacriſta preces obtulit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus poſtulabat diſpenſationem ab Ordine Presbyterali, tum quia hic Ordo Dignitati ſuæ non eſſet adnexus, tum quia variis ægritudinibus, & præſertim in oculis obnoxius erat. Data fuit de hac poſtulatione cognitio Eminentiſſimis Patribus, iterumque auditus Epiſcopus Oriolenſis ſcripturas omnes tam a Sacriſta, quam a duobus Canonicis in Epiſcopali Audientia editas una cum Literis ſuis ad hoc Sacrum Tribunal tranſmiſit. Cum vero plures ex his Hiſpano eſſent ſermone, Epiſcopus, ut Cauſa proponi poſſet, curavit ſua pecunia, ut in Italicam linguam converterentur, animo tamen impenſam repetendi. Cauſa omnis quinque, quæ ſubiicimus, Dubiis collecta fuit. A Sacriſta, & Capitulo nihil habuimus.

I. *An Dignitates, & Canonici Præbendati teneantur Sacros Ordines aſsumere juxta Decretum ab Epiſcopo promulgatum die 6. Decembris 1749.?*

II. *An iidem teneantur aſſiſtere Epiſcopo Pontificaliter celebranti?*

III. *An ſimilem aſſiſtentiam debeant exhibere tempore, quo eodem Epiſcopo Pontificalia agente, ipſe ſermonem habet ad Populum, vel potius valeant ad libitum a Choro deſcendere?*

IV. *An non promoti ad Ordines Sacros a quo tempore amiſerint fructus Canonicatus, & cui debeant illi applicari?*

V. *An, & a quo debeant refici ſumptus Tranſportationis, & Traductionis ſcriptararum in caſu &c.*

Dilata.

Die Sabbathi 7. Februarii 1756. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sac. Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DUæ, quæ sequuntur, Causæ in ultima Amplissimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 17. transacti Mensis *Januarii* dilationem obtinuerunt. Cum itaque nunc proponantur, poterunt Eminentissimi Patres ad earum Dubia expedienda *Folium ejusdem Congregationis* iterum consulere.

ROMANA REDUCTIONIS, in qua quæritur. *Sess.25. c.4. de ref.*
An reductio anni 1646., *&* 1711. *sustineatur in casu &c.*

Affirmative, & amplius.

ORIOLEN., cujus V. sunt Capita. *Sess.24. c.12. de Ref.*
I. *An Dignitates, & Canonici Præbendati teneantur Sacros Ordines assumere juxta Decretum ab Episcopo promulgatum die* 6. *Decembris* 1749.?
II. *An iidem teneantur assistere Episcopo Pontificaliter celebranti?*
III. *An similem assistentiam debeant exhibere tempore, quo eodem Episcopo Pontificalia agente, ipse sermonem habet ad Populum, vel potius valeant ad libitum a Choro descendere.*
IV. *An non promoti ad Ordines Sacros a quo tempore amiserint fructus Canonicatus, & cui debeant illi applicari?*
V. *An, & a quo debeant refici sumptus transportationis, & traductionis scripturarum in casu &c.*

Ad I. & II. Affirmative. Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad IV. Affirmative a die decreti Episcopi ad formam Concilii, & esse applicandos fabricæ Ecclesiæ. Ad V. Reficiendos esse a Sacrista.

Sess. 24. c. 12. de ref.

PONTIS CURVI RESIDENTIÆ: Definita fuit hæc Causa ab Eminentissimis Patribus *in Congregatione* habita *die* 20. *Decembris anno nuper transacto*, Dubioque ejus, quod erat, -- *An Abbati Curato Lucernari liceat habitare in Domo Paterna sita in Regione Civita in casu &c.* -- responderunt -- *Negative* -- Redit nunc Abbas ad novum Sacri Tribunalis Judicium, & definiendum est.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius, & ad mentem.

Sess. 13. Decr. de Sanctiss. Euchar. Sacram.

BARCHINONEN. Everso funditus cum vi Bellorum, tum Regiæ Arcis ædificatione vetustissimo pauperum Peregrinorum Hospitali, quod Barchinonæ erat sub Titulo *B. Mariæ de Mari*, cum ejus redditus superessent, novum cum nova, atque eleganti Ecclesia postremis hisce temporibus extructum fuit, in quo triduo hospitantur Peregrini sive ab Hispaniis in Italiam venientes, sive ab Italia in Hispanias. Cum vero novum hoc Hospitale, eique adjuncta Ecclesia septingentis circiter passibus a Parochiali distent Ecclesia, e qua non opportune quandoque transferri potest ad Peregrinos infirmos Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum eadem Hospitalis Ecclesia satis ornata sit, cum redditibus instructa, cum suum habeat Sacerdotem, & Sodales plures ex cultioribus Urbis illius Civibus, qui Hospitali, & Ecclesiæ serviunt, neque vicini desint propinquarum domorum habitatores, qui eam concelebrant, fere necessarium putarunt Decuriones Civitatis, qui idem Hospitale administrant, ut in ejus Ecclesia perpetuo servaretur Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, præsertim cum jam veniam obtinuissent ab Episcopo illud certis diebus publicæ adorationi exponendi, quibus Sodales ex eorum instituto opera quædam pietatis exercent. Ut igitur facultatem hanc perpetuo illud retinendi facilius impetrare possent, consensum obtinuerunt a Parocho, penes quem est habitualis Cura Animarum, inde hac de re rogarunt Episcopum, qui rescripsit audiendum esse Vicarium perpetuum, & Sacerdotes adscriptos Parochiali Ecclesiæ. Paulo post decessit Episcopus, & Vicarius Capitularis, perpensis supra adductis Causis, veniam perpetuo retinendi in Ecclesia Hospitalis Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum *sine præjudicio Jurium Parochialium* indulsit.

Appellarunt Vicarius perpetuus, & Sacerdotes Ecclesiæ Parochialis ad Sanctam Sedem, & postularunt a Signatura Justitiæ circumscriptionem ejusdem concessionis, utque Causa ad judicium Rotæ deferretur, sed Magistratus Barchinonensis preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, quibus postulavit Indultum retinendi

nendi, & publicæ adorationi exponendi Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia Hospitalis, ideoque Eminentissimus Dominus Cardinalis Pro-Auditor rem ab Eminentissimis Patribus cognoscendam esse decrevit. Auditus igitur novus Episcopus luculenta epistola animi sui sententiam secundum postulationem Magistratus aperuit, rationes omnes Vicarii perpetui, & eorum Sacerdotum Ecclesiæ Parochialis, qui cum Vicario perpetuo sentiunt, alii enim consensum præstant Magistratui, funditus rejecit, eoque magis perpetuam retentionem Augustissimi Sacramenti indulgendam censuit, quod, *cum ab anno, & fere tribus mensibus Sanctissimam Sacramentum in Hospitalis Ecclesia asservetur, si postulatum Indultum nunc denegaretur, cederet in magnum dedecus Magistratus totam Civitatem repræsentantis, & aliunde impedirentur spiritualia exercitia Confraternitatis Sanctissimi Crucifixi &c., & quod caput est, quasi scandalum oriretur in Civitate, cum ibidem sueverit Sanctissimum huc usque omnium approbatione, ac plausu, publicaque gratulatione tam nobilium, quam popularium retineri, & quod magis est etiam quorumdam Presbyterorum residentium ejusdem Parochialis, qui irrationabilem esse putant contradictionem Vicarii, & aliorum*. Hæc Episcopus. Causa nunc proponitur, & iisdem Juris, & prudentiæ rationibus disputat Magistratus concedendum esse Apostolicum Indultum. A Vicario, & Sacerdotibus Ecclesiæ Parochialis nihil habuimus. Dubium est.

An sit locus concessioni Indulti pro continua retentione Ven. Sacramenti Eucharistiæ in Ecclesia Hospitalis, seu S. Marthæ in casu &c.

Arbitrio Episcopi pro tempore, salvis juribus Parochialibus, & concordia anni 1734., & amplius.

AUXIMANA APPLICATIONIS MISSÆ. Testamento, quod condidit *anno* 1623. Jo: Dominicus Sancti Terræ Montis Philoptrani legavit PP. Minoribus Conventualibus S. Francisci ejusdem Terræ annuos florenos 30., qui faciunt sc. 15. monetæ Romanæ percipiendos ex duobus suis prædiis, altero vocato *Storachi*, altero nuncupato *S. Angeli*, ut *in perpetuum celebrarent, seu celebrare facerent in eadem Ecclesia S. Francisci per octo menses cujuslibet anni in perpetuum unam Missam pro qualibet die de mane ad horam auroræ pro mercenariis, & operariis, & quibuscumque volentibus accedere ad dictam Missam.* Quatriduo post contractum eadem de re iniit cum Patribus, & in instrumento ita se expressit *cum onere celebrandi per Fratres unam Missam pro qualibet die in aurora pro servitio, & commodo operariorum, & mercenariorum*, & Patres promiserunt *in perpetuum qualibet die de mane in aurora* *Sess. 22. Decr. de observ. & evit. in celeb. Miss.*

celebrare tot Missas. Rursus alio Testamento, quod condidit anno 1625., ita inquit *pro celebratione nonnullarum Missarum celebrandarum de mane in aurora pro operariis*. Tertio denique Testamento, quod condidit anno 1630. ait -- *Li Frati di esso Convento siano obligati celebrare una Messa al giorno nelli mesi specificati nell' istromento fatto gl' anni passati*. Hoc onus Patres impleverunt, & anno 1688. Petrus Joannes Mascellius possessor prædii *Storachi* voluit idem prædium ab annua solutione liberare, sed proposito in hoc Sacro Tribunali Dubio -- *An Conventus & Fratres S. Francisci teneantur recipere ab Oratore Florenos quadringentos, eisque receptis prædium Storachi ab annua Florenorum viginti præstatione liberare* -- Sacrum Tribunal *Negative* respondit, ut in *lib.*38. *decretor. pag.*617.

Nunc autem Innocentius Mascellius, licet neque hæres sit, neque affinis, neque legatarius Testatoris, in Jus vocavit eosdem Patres contendens eos teneri ad *applicationem* Sacrorum. Proponitur itaque Causa, & Patres disputant solam *celebrationem* voluisse Testatorem, non etiam *applicationem*, idque palam fieri ex ratione, & causa finali legandi, ut scilicet consuleret commodo *operariorum*, *& mercenariorum*: Constantem hanc esse Sacri hujus Tribunalis sententiam, ut, si in fundatione solum commodum Populi, Monialium, Artificum, Agricolarum, Peregrinorum, Sodalium, aut similium præoculis habitum fuerit, sola *celebratio*, non etiam *applicatio* injuncta dicatur, ut *in Collen. applicationis Sacrificii* 17. *Decembris* 1679. *lib.*40. *decret. pag.*4. *& in Ferrarien. Applicationis Sacrificii* 11. *Junii* 1729., *& in Fulginaten. Applicationis Missæ* 7. *Septembris* 1737., *& in Mediolanen. Applicationis Missarum* 11. *Maii* 1748. Id ipsum educi ex tenuitate stipendii sc.15., quod non respondet oneri Sacrificium faciendi hora illa incommoda, & ejusdem oneris perpetuitati: Ita denique dicendum esse, etiam spectata consuetudine, cum silentibus Episcopis, & Ministris Fabricæ, sola *celebratio* non etiam *applicatio* facta fuerit a Patribus. A Mascellio nihil adhuc habuimus. Dubium est.

An PP. Conventuales S. Francisci Terræ Montis Philoptrani teneantur saltem in posterum ad applicationem Missæ celebrandæ juxta dispositionem q. Jo: Sancti in casu &c.

Negative.

*Sess.*24.*c.*12. *de ref.*

AQUILANA: Cappellaniā Jurispatronatus Familiæ Antonelliæ, cui adnexum est Chori servitium horis matutinis fundatam in Collegiata, & Parochiali Ecclesia SS. Quintini, & Petri de Saxa Civitatis Aquilæ obtinuit Gregorius Antonellius, qui, cum cardialgiæ morbo laboret, & consilio Medicorum nequeat Choro iis horis interesse, postulavit ab Eminentissimis Patribus, ut alium posset

possi posset substituere, cum vetus sit in eadem Ecclesia consuetudo, ut possint Cappellani servitium per Substitutos præstare. Datis, ut fieri solet, ad Episcopum literis, audivit hic Archipresbyterum, & Capitulares, qui contendebant Cappellaniam esse residentialem, & denegandum esse Antonellio, quod postulabat, neque in pretio habendum esse exemplum Dominici Antonellii, qui, dum hanc ipsam tenuit Cappellaniam, Choro servivit per Substitutum, cum id tribui possit Indulto, quod obtinuisset. Sed cum alia non deessent exempla, quibus *nihil habebat Capitulum, quod opponeret*, censuit Episcopus *posse Oratori licentiam concedi ab eo petitam inserviendi Cappellaniæ per Substitutum*.

Disputat nunc igitur Antonellius omnia Beneficia non curata præsumi simplicia, & præcisam residentiam non requirere, nisi contrarium constet ex fundatione, idque etiam, si in Ecclesia Collegiata fundata sint cum onere servitii Choro, cum eadem Juris præsumptio habeat locum in quacumque Ecclesia etiam Cathedrali, quando a Fundatore non sit expressa pœna privationis Beneficii, casu, quo Beneficiarius non resideat: eoque amplius id custodiendum esse in hac specie, quod ita consuetum sit, & deficiente fundatione, consuetudo pro lege fundationis habeatur. Neque obesse Tridentini decretum, quia ita accipiendum sit, ut vim nullam habeat consuetudo non residendi, quæ contra legem fundationis est: quod abest a casu, quia, deficiente fundatione, consuetudo ipsa suppleat ejus defectum ad arguendum hanc legem residendi datam non fuisse: quod si etiam videatur, his spretis, Cappellaniam dicendam esse residentialem, denegari tamen non posse Indultum, ut Antonellius vacet a Choro ex causa morbi, quo laborat, ut testificationem facit Medicus, cujus judicium sequendum esse Jura decernunt. Hæc Antonellius. A Capitulo nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An liceat Gregorio Antonelli Cappellano S. Mariæ Lauretanæ erectæ in Collegiata Ecclesia SS. Quintini, & Petri de Saxa Civitatis Aquilæ Choro deservire per Substitutum?* & quatenus negative.

II. *An stante morbo quo laborat, sit eidem indulgenda facultas abessendi a Choro horis matutinis, durante infirmitate?*

Dilata ad prima post Cineres.

Die

Die Sabbathi 20. Martii 1756. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DUæ, quas primo loco ſubjicimus, Cauſæ imperio Eminentiſſimorum Patrum *in hac Congregatione* proponuntur. Primam dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 20. *Decembris anno transacto*, ſed propoſita non fuit: Iterum eam dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 17. *Januarii*, & Eminentiſſimi Patres reſponderunt -- *Dilata, & proponatur omnino in prima poſt Cineres etiam unica*. Alteram dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 7. *Februarii*, & reſcriptum fuit -- *Dilata ad primam poſt Cineres*. Poterunt igitur Eminentiſſimi Patres, repetita eorumdem *Foliorum* lectione, earum Dubia expedire.

Seſs.24. c.17. de ref.

CASSANEN. MATRICITATIS, ET PRÆEMINENTIARUM, cujus ſex ſunt Capita.

I. *An conſtet de Matricitate Eccleſiæ S. Nicolai Terræ Caſtellucci inferioris ſupra Eccleſiam S. Margaritæ Terræ Caſtellucci ſuperioris in caſu &c.*

II. *An Eccleſiæ S. Nicolai competat antepulſatio campanarum in die Sabbathi Sancti, ſeu potius ſit locus cumulativæ, vel alternativæ?*

III. *An, & cui ex duobus Cleris, & Rectoribus competat Præcedentia in Proceſſionibus, aliiſque Functionibus Eccleſiaſticis, quæ forte unitim fieri contingant.*

IV. *An in proceſſione peragenda in Die Dominico infra Octavam Corporis Chriſti in Eccleſia S. Margaritæ delatio Sanctiſſimi Sacramenti privative ſpectet ad Archipresbyterum S. Nicolai in caſu &c.*

V. *An ſubſtineatur mutatio Tituli Rectoris, ſeu Cappellani Curati S. Margaritæ in Titulum Archipresbyteri ejuſdem Eccleſiæ facta ab Epiſcopo?*

VI. *An Clero Eccleſiæ S. Margaritæ liceat habere ſuum proprium Cantorem, ſeu Præfectum Chori, ſeu potius Cantor S. Nicolai debeat regere utrumque Chorum in caſu &c.*

Dilata, & proponatur omnino in ſequenti, reformato quinto Dubio.

AQUI-

AQUILANA, in qua duo Dubia disputantur. *Sess. 24. c. 12. de ref.*

I. *An liceat Gregorio Antonelli Cappellano S. Mariæ Lauretanæ erectæ in Collegiata Ecclesia SS. Quintini, & Petri de Saxa Civitatis Aquilæ Choro deservire per Substitutum?* & quatenus negative.

II. *An stante morbo, quo laborat, sit eidem indulgenda facultas abessendi a Choro horis matutinis, durante infirmitate.*

Negative ad utrumque, & ad D. Secretarium juxta mentem, & moneatur Procurator.

CONSTANTIEN. PERMUTATIONIS PAROCHIÆ: Data fuit, & definita hæc Causa in *Folio Congregationis* habitæ *die* 20. transacti *Mensis Decembris*, & IV. ejus Dubiis I. *An Permutatio Parochiæ in Merzhausen sustineatur in casu &c.*, & quatenus negative. II. *An sit reintegrandus Parochus Moeslin ad dictam Parochiam, & a quo tempore restituendi fructus Parochiæ in casu &c.* III. *An, & quæ Decimæ dicto Moeslin debeantur in casu &c.* IV. *An dicto Moeslin debeantur alimenta, & sumptus litis in casu &c.* Respondit Sacrum Tribunal *Ad* I. *Negative*: *Ad* II. *Affirmative, & restituendos esse fructus a die sequestrationis*: *Ad* III. *Dilata*; *Ad* IV. *Provisum in secundo*. Redit nunc ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, & duo sunt definienda Dubia. *Sess. 24. c. 18. Sess. 25. c. 12. de ref.*

I. *An sit standum, vel recedendum a Decisis quoad* I. II., *&* IV. *Dubium in casu &c.*

II. *An, & quæ Decimæ dicto Moeslin. debeantur in casu &c.*

Non proposita.

ORIOLEN. Rejecta postulatione iteratæ dilationis, Causa hæc ab Eminentissimis Patribus definita fuit in *ultima Congregatione* habita *die* 7. transacti mensis *Februarii*. V.erant ejus Capita I. *An Dignitates, & Canonici Præbendati teneantur Sacros Ordines assumere juxta Decretum ab Episcopo promulgatum die* 6. *Decembris* 1749.? II. *An iidem teneantur assistere Episcopo Pontificaliter celebranti?* III. *An similem assistentiam debeant exhibere tempore, quo eodem Episcopo Pontificalia agente, ipse sermonem habet ad Populum, vel potius valeant ad libitum a* Choro *discedere?* IV. *An non* *Sess. 24. c. 12. de ref.*

non promoti ad Ordines Sacros a quo tempore amiserint fructus Canonicatus, & cui debeant illi applicari. V. *An, & a quo debeant refici sumptus transportationis, & traductionis scripturarum in casu &c.* Responsum his fuit: *Ad* I. *Affirmative*: *Ad* II. *Affirmative*: *Ad* III. *Affirmative ad primam partem, & Negative ad secundam*: *Ad* IV. *Affirmative a die Decreti Episcopi ad formam Concilii, & esse applicandos Fabricæ Ecclesiæ*: *Ad* V. *reficiendos esse a Sacrista*. Excussit Capitulares hoc responsum, & impetrarunt *novam Audientiam*; ideoque nunc respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Dilata ad secundam post Agnos.

Sess.25. c.11. de ref.

CÆSENATEN. BENEPLACITI: Species hujus Causæ, quæ agitur inter Angelum Felicem Boni Vicarium Curatum perpetuum Cathedralis Ecclesiæ Cæsenæ Episcopum ejusdem Civitatis, & Capitulum Cathedralis de incisione arborum pro munienda Ripa Fluminis vastantis prædium Vicariæ, habetur in *folio Congregationis*, quæ habita fuit *die* 22. *Martii* superiore anno 1755., quod publici Juris factum est in *Vol. XXIV. Thes. Ref. S.Congreg. pag.*23.: Rescripserunt Eminentissimi Patres ea die: *Dilata ad primam post Agnos.* Causam itaque dedimus in prima *Congregatione post Agnos*, quæ habita fuit *die* 26. *Aprilis*, sed definita non fuit, respondentibus Eminentissimis Patribus -- *Iterum proponatur*. Urget nunc Episcopus novam Causæ propositionem, & Amplissimi Patres, repetita lectione *Folii Congregationis* habitæ *die* 22. *Martii*, duo ejusdem Causæ dubia expedire poterunt.

I. *An licentia Episcopi ad effectum incidendi arbores, de quibus agitur sustineatur absque consensu Capituli in casu &c.*? Et quatenus negative.

II. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.*

Ad I. Affirmative; Ad II. Provisum in primo.

Sess.24. c.12. de refor.

LUNEN. SARZANEN ONERUM MISSARUM: Precibus Principum splendididissimæ Gentis Cybo, & Civitatis Massæ mandavit Summus Pontifex Urbanus VIII. Episcopo primum Lunensi, inde Brugnatensi, ut Parochialem Ecclesiam S. Petri ejusdem Civitatis in Collegiatam insignem erigeret, quæ Abbatem haberet, & novem Canonicos, quorum Præbendæ *ducatos* 24. *auri de Camera* quotannis redderent, reservato Fundatoribus Jurepatronatus, & data Episcopo potestate, ut facilius Præbendarum numerus haberi posset, supprimendi duas Cappellanias, quæ de Jurepatronatus Laicorum erant, accedente Patronorum consensu, & ex Beneficio quodam Ecclesiastico, accedente pariter Possessoris consensu, certam reddituum quantitatem

tatem detrahendi. Civitas annua ſc. 110. pro diſtributionibus quotidianis aſſignavit, & novem Canonicales Præbendæ fundatæ fuerunt magna ex parte a Principibus, quæ annuos *ducatos* 24. *auri de Camera* reddebant, ſed fere omnes onere ſacri quotidiani gravatæ fuerunt, vix data Canonicis facultate, vel ſemel in hebdomada abſtinendi a ſacrificio, vel illud eorum arbitrio applicandi. Exequutor Epiſcopus Præbendarum fundationem approbavit, & Collegiatam erexit. Qui hactenus has Canonicales Præbendas habuerunt, refugerunt, quantum poterant, onera illa Sacrorum iis adjecta, quod putarent onera illa nulla eſſe, neque injungi potuiſſe: metu tamen Principum Patronorum querelam hac de re proponere auſi non ſunt in hoc Sacro Tribunali.

Defectis nunc Principibus Gentis Cybo, preces obtulerunt Ampliſſimis Patribus, quibus poſtularunt, ut nullum declararent onus illud ſacri quotidiani. Auditus Epiſcopus ſecundum eos repondit: Hæredes Patronorum ſeſe obſequuturos declararunt cuicumque Eminentiſſimorum Patrum decreto. Cauſa nunc proponitur, & diſputant Canonici onus illud tollendum eſſe, quia neque datum ſit in literis Apoſtolicis Urbani VIII., neque in erectone, & quia, ſi e *ducatis* 24. *auri de Camera* detrahatur ſtipendium Sacri quotidiani, aut nihil, aut fere nihil in reddito Præbendarum ſuperſit, nulla etiam habita ratione aliorum onerum Canonicalium. Hæc Canonici. Dubium eſt.

An ſuper Præbendis primæ Erectionis ſuſtineatur onus Miſſarum in caſu &c.

Negative.

CLUSINA HONORARII; Venit hæc Cauſa ex alia acta in hoc Sacro Tribunali *Cluſina erectionis Collegiatæ*, quæ data fuit *in Foliis Congregationum* habitarum *die* 20. *Julii* 1754. & *die* 10. *Maii* 1755. Cum enim factus fuiſſet locus erectioni Collegiatæ, quam in Terra Sarteani, defectis maſculis, e bonis ſui erigi juſſerat Antonius Gabriel teſtamento, quod ſcripſit anno 1638., data hujus erectionis cura Epiſcopo, qui tunc Cluſinæ Eccleſiæ præeſſet, & ſopitæ fuiſſent controverſiæ ortæ cum hæredibus ultimi maſculi, Epiſcopus Magnonius, quo ſedente maſculi defecerunt, curam obtinendi Literas Apoſtolicas hujus erectionis mandavit Agenti ſuo Maximiliano Rolio, & Expeditori Franciſco Palmilio, quibus tradidit ſc. 735. pro expenſis Literarum. Dum res in Dataria Apoſtolica agebatur, Epiſcopus Magnonius ab Epiſcopatu Cluſino ad alium Montiſpolitiani translatus fuit, & a Vicario Capitulari Cluſino novum mandatum pro erectione Collegiatæ, qua in re plures ortæ fuerant legales quæſtiones, datum fuit Advocato Aloyſio Pagnio, qui ſibi adjunxit Joſephum Brancam Fori noſtri non ignobilem Cauſidicum. Hi poſtularunt tam ab Eminentiſſimo Pro-Datario, quam ab hoc Sacro Tribunali, ut Rolius, & Palmilius abſtinerent ab hujus erectionis ne-

gocio, ut traderent ſcripturas, & documenta, quæ ad eamdem erectionem pertinebant, ut pecuniæ ab Epiſcopo Magnonio tranſmiſſæ deponerentur. In his poſtulationibus partim auditi, partim rejecti fuerunt: Auditi, ut pecuniæ deponerentur, in reliquis rejecti. Legales quæſtiones, quæ in hoc erectionis negocio oriebantur, reſpiciebant Jus Patronorum, Parochi, Sacerdotum, & Univerſitatis Sarteani, atque hi omnes mandatum Procuræ dederunt Advocato Pagnio, qui cum Cauſidico Branca operam dederunt enodandis, diſſolvendiſque difficultatibus, quæ pro erectione Collegiatæ oriebantur. Novo interim electo Cluſinæ Eccleſiæ Epiſcopo, Pagnius, & Branca ſcripturas ab eo habuerunt, & documenta, quibus uterentur in Cauſa; Cura vero obtinendi Literas Apoſtolicas erectionis ab eo injuncta fuit Rolio, & Palmilio.

Superatis tandem omnibus extrinſecis difficultatibus, cum ſola remaneret Dataria Apoſtolica, & ab hoc Sacro Tribunali expedienda eſſent Dubia eamdem Datariam reſpicientia, Pagnius, & hæres Branchæ, timentes ne, conſumpto depoſito ſc.735., exigere non poſſent eorum creditum ſtipendii functionum, quas egerant, editis eorum computationibus, poſtularunt in hoc Sacro Tribunali ſolutionem, antequam Cauſa erectionis Collegiatæ proponeretur, & diſcuſſis probationibus ex epiſtolis, aliiſque documentis, quæ proponebantur, taxata fuit quantitas ſc.100.; Sed Defenſor Collegiatæ erigendæ adire voluit Eminentiſſimos Patres. Cauſa itaque proponitur, & diſputat nunc ipſe ſtipendium Pagnio, & Branchæ non deberi, quia conventum non fuerit, quia nihil egerint pro Collegiata, ſed contra ipſam cum defenderint Jura Patronorum, Parochi, Sacerdotum, & Univerſitatis Sarteani, quia Pagnius non fuerit ejuſdem Collegiatæ erigendæ Procurator, ſed Rolius, idque Decretis Eminentiſſimi Pro-Datarii, & Sacri hujus Tribunalis liquidum fiat, quia mandatum non habuerit ab Epiſcopo, ſed a Vicario Capitulari, qui nullum habebat jus, quando Teſtator curam erigendæ Collegiatæ dederat Epiſcopo, qui tunc temporis Cluſinæ Eccleſiæ præeſſet, ideoque cum ageretur de Jure ſpeciali, & accidentali, & non de Jure proveniente, vel ab ordinaria Epiſcopi poteſtate, vel a Juris diſpoſitione, non poterat in Vicarium Capitularem tranſire, ut diſtinguunt *Felin.*, *& cæteri Interpretes in cap. cum olim de Major.*, *& Obedient.Roman.conſ.*506. *n.*14. *Sbroz. de Offic.Vicar. lib.*2. *quæſt.*30. *n.*3., *& quæſt.*188. *n.*6. *Garz. de Benefic. par.*5. *cap.*7. *n.*39. Hæc atque alia Defenſor Collegiatæ: a Pagnio, & Branca nihil habuimus. Duo ſunt Cauſæ Dubia.

I. *An*, *& a quibus debeatur Honorarium*? & quatenus affirmative.
II. *In qua ſumma debeatur*?

Non deberi a Collegiata.

Die

Die Sabbathi 3. Aprilis 1756. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

MINDONIEN. FRUCTUUM: Species omnis hujus Cauſæ, quæ agitur inter Adminiſtratorem Fabricæ Cathedralis Eccleſiæ Mindonien., & Petrum Grimaldum, habetur in *Folio Congregationis* habitæ *die* 24. *Martii anno* 1753., quod publici Juris factum fuit in *Vol.XXII. Theſau. Reſol. Sac.Congr. pag.*20. Duo erant controverſiæ capita I. *An Fructus Archidiaconatus de Montenegro huc uſque percepti ab Archidiacono Petro Grimaldi ſint reſtituendi Fabricæ Cathedralis in caſu &c. II. An eidem Fabricæ ſint applicandi fructus in poſterum percipiendi in caſu &c.* Reſpondit his Sacrum Tribunal -- *Affirmative ad utrumque.* Cum vero hæc definitio data fuerit inaudito Archidiacono, poſtulavit hic, & obtinuit ab Eminentiſſimis Patribus *novam Audientiam*. Cauſa igitur reproponitur, & reſpondendum erit. *Seſs.22.c.4. Seſs.23. c.1. Seſs.24.c.12. de Ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis in caſu &c.

Dilata, & proponatur in prima menſis Junii.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM: Dedimus hanc Cauſam pleniſſime in *Folio Congregationis* habitæ *die* 17. tranſacti *menſis Januarii*. Dubium erat -- *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro aſſignatione congruæ Dotis facienda unicuique ex Filiabus Laurentii Prævitalis præter illam, ſeu illas eis jam debitas ad formam ultimi Judicati, & in qua ſumma, prævia, quatenus opus, derogatione diſpoſitionis Jo: Petri Prævitalis in caſu &c.* Reſpondit Sacrum Tribunal -- *Negative*. Redit nunc Laurentius ad novum Eminentiſſimorum Patrum Judicium, & ideo reſpondendum erit. *Seſs.22. c.6. de Ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

Sess.13. 6.19. de resc. BISUNTINA DISPENSATIONIS : Causam hanc, in qua Georgeus Franciscus Dufied dispensationem postulabat a voto castitatis, quia Paterno metu coactus Subdiaconatus Ordinem invictus suscepisset, dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 15. *Aprilis anno* 1752., quod impressum est *Vol.XXI. Thes. Res. Sac. Cong. pag.*30. Rescripsit ea die Sacrum Tribunal -- *Dilata*, *& scribat Defensor Ordinis*. Scripsit hic, & Eminentissimi Patres in *Congregatione* habita *die* 17. *Junii eodem anno*, Dubio, quod proponebatur -- *An sit locus Dispensationi super voto continentiæ in casu &c.* -- responderunt *Negative*. Longo nunc Libello Georgeus Franciscus judicium hoc retractari postulat, ut definiendum sit.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.24. 6.17. Se resc. CASSANEN. MATRICITATIS, ET PRÆEMINENTIARUM : Indulgentia Eminentissimorum Patrum in *ultima Congregatione* habita *die* 20. transacti *Mensis Martii* concessa fuit Clero Terræ Castelluccii inferioris dilatio *ad hanc Congregationem reformato V. Dubio*. Damus igitur nunc eamdem Causam eodem Dubio reformato, ut sex ejus Capita post tot dilationes tandem expediantur.

I. *An constet de Matricitate Ecclesiæ S. Nicolai Terræ Castellucci inferioris supra Ecclesiam S. Margaritæ Terræ Castellucci superioris in casu &c.*

II. *An Ecclesiæ S. Nicolai competat antepulsatio campanarum in die Sabbathi Sancti, seu potius sit locus cumulativæ, vel alternativæ?*

III. *An, & cui ex duobus Cleris, & Rectoribus competat Præcedentia in Processionibus, aliisque Functionibus Ecclesiasticis, quæ forte unitim fieri contingant.*

IV. *An in processione peragenda in Die Dominica infra Octavam Corporis Christi in Ecclesia S. Margaritæ delatio Sanctissimi Sacramenti privative spectet ad Archipresbyterum S. Nicolai in casu &c.*

V. *An sustineatur mutatio Tituli Rectoris, seu Cappellani Curati Sanctæ Margaritæ in Titulum Archipresbyteri ejusdem Ecclesiæ.*

VI. *An Clero Ecclesiæ Sanctæ Margaritæ liceat habere suum proprium Cantorem, seu Præfectum Chori, seu potius Cantor Sancti Nicolai debeat regere utrumque Chorum in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Negative ad primam partem, & esse locum alternativæ, & amplius. Ad III. Competere unicuique Rectori præcedentiam est propria Parochia, & amplius. Ad IV. Negative, & amplius. Ad V. Affirmative quoad titulum tantum. Ad VI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

FORO-

FOROSEMPRONIEN.: Ut voluntatem Alexandri Suzii, cujus hæres fuerat, exequeretur Carolus Chiappolinius in Romano Foro Advocatus, Cappellaniam Laicalem fundavit ad Altare Sanctissimi Crucifixi in Ecclesia PP. Reformatorum S. Francisci Civitatis Forosempronii, reservato sibi, suisque hæredibus, & successoribus in infinitum Jurepatronatus ejusdem. Defuncto Advocato, qui, & Patronus, & primus Cappellanus fuerat, duo ejus Fratres Regulares in Ordine Heremitarum Divi Augustini preces obtulerunt Sacro huic Tribunali, quibus postularunt sibi dari Cappellaniam, sed audito Episcopo Forosemproniensi, censuit hic Cappellaniam ex voluntate Fundatoris esse Ecclesiasticam, neque potuisse ab Advocato Chiappolinio ejus hærede, atque exequutore naturam illius mutari: idem visum est Amplissimis Patribus, ideoque Regularium preces rejectæ fuerunt. Sed unus ex iis Pat. Marcellus veluti Patronus nominavit Dominicum Panzinum Clericum Forosemproniensem, qui, adito Episcopo, Cappellaniæ possessionem nactus est die 8. Maii anno 1753. Sess.24. c.14. de ref.

Re comperta a Clerico Joanne Trepetti, Cappellaniam impetravit a Sede Apostolica ex causa affectionis, quod Advocatus Patronus, & Cappellanus in Curia decessisset; Nudum tamen Beneficii Titulum assequutus est, nam Panzinius monitorio Tribunalis A. C. possessionem suam defendebat. Dum lis inter eos agebatur, Consanguinei de transactione egerunt, & post longas disputationes convenerunt, ut Panzinius Cappellaniam cederet Trepetto, hic vero remitteret Panzinio fructus omnes, quos perceperat, & percepturus fuisset usque ad integrum annum 1753., ita tamen, ut accederet assensus Summi Pontificis, alias nulla esset conventio, & unusquisque ad sua prima Jura regrederetur. Hanc conventionem approbarunt duo litigantes scripta apocha, inde adito *Sanctissimo Domino Nostro*, & re omni integre narrata, postularunt, & impetrarunt ejus assensum. At rem omnem turbarunt Patronæ Cappellaniæ, quæ in Episcopali Curia Forosemproniensi Clericum Trepetti de crimine simoniæ accusarunt. Contra hanc accusationem preces Sacro huic Tribunali obtulerunt Panzinius, & Trepettus. Auditus igitur Episcopus secundum eos respondit. Causa nunc proponitur, & disputant iidem Clerici abesse omnem simoniæ labem, quia reservatum fuerit Apostolicum Beneplacitum, quia conventio Summo Pontifici narrata fuerit; Nec mutare, quod Panzinius ante assensum Pontificium fructus perceperit, quia non Jure conventionis, sed Jure suæ possessionis, in qua erat lite pendente, eos perceperit. Hæc duo Clerici. A Patronis nihil habuimus. Dubium est,

An conventio, de qua agitur, sit simoniaca in casu &c.

Negative.

BRA-

Sess.24. c.8. de ref.

BRACHAREN. IRREGULARITATIS: Ab irreverentia Ludovici Fernandez Chaminheiri, qui in Villa cujusdam nobiliviri exequutionem fecerat, commotus Sacerdos Emanuel Dantas Præfectus domo ejusdem nobilis servis ejus jussit, ut Ludovicum fustibus cæderent, & ipse eum, dum vapulabat, tenuit, ne fugeret. Post octo dies obiit Ludovicus a fustium contusione. Instructo a Curia Archiepiscopali processu, damnatus fuit Emanuel, ut a sacrorum ministerio abstineret, ut pro anima defuncti centum sacra fieri curaret, ut certam pecuniæ vim & hæredibus defuncti, & Fisco persolveret, ut demum certo tempore a Diœcesi abesset. Mandata Judicis implevit Emanuel, & inde pluries postulavit dispensationem ab hoc Sacro Tribunali. Tandem transactis jam *sexdecim annis*, iterum dispensationem postulabat. Auditus Archiepiscopus censuit dispensationem posse indulgeri. Causa nunc proponitur, & disputat Emanuel non animo occidendi percussum fuisse Ludovicum, sed ut puniretur de irreverentia; rem itaque non esse de homicidio voluntario, sed de casuali, cum abfuerit animus occidendi, licet inde mors evenerit, ideoque locum esse dispensationi ab irregularitate, ut tradunt *Sellius Select. Canon. cap.* 18. *Barbos. ad Concil. Sess.* 24. *c.* 8. *num.* 2. *& seqq. Garz. de Benef. par.* 7. *cap.* 11. *num.* 44. Id ipsum requirere longum tempus *sexdecim annorum*, qui transacti sunt ab anno 1740., quo crimen admissum fuit, pluries repetitæ preces, & acta pœnitentia, quæ juxta notissimam Sacri hujus Tribunalis disciplinam plurimum ad obtinendam dispensationem conducunt. Hæc Emanuel. Ab Eminentissimis Patribus definiendum est,

An sit locus dispensationi in casu &c.

Affirmative.

Sess.24. c.18. de ref.

CASSANEN. Numerus Sacerdotum Participantium in Receptiva Ecclesia S. Mariæ de Castello Civitatis Castrivillarum sæculo XVI. ita excreverat, ut Episcopus, spectata reddituum tenuitate, illum ad certum numerum redigendum esse censuerit. Consulto igitur Sacro hoc Tribunali, ejus auctoritate latum fuit anno 1591. reductionis Decretum, quo statutus fuit numerus viginti Participantium, *sine præjudicio tunc viventium: Verum*, ipsi Decreti verba sunt, *cum dicti Sacerdotes ad prædictum numerum præfinitum redacti fuerint, si unus, vel plures mori contigerit, mortuorum loco alius, vel alii Sacerdotes expectantes, & supranumerarii, qui Ecclesiæ prædictæ in minoribus, ac in Sacris Ordinibus inservierint, ac ab eorum origine Parochiani prædictæ Parochiæ extiterint, dictæque Ecclesiæ Parochiali ab Ordina-*

dinario adscripti fuerint . quique in ordine seniores sint, ipso Jure, ipsoque facto ad portionem vacantem, portionesque vacantes admittatur, & recipiatur, admittantur, & recipiantur. Hoc Decretum confirmavit anno 1613. Summus Pontifex Paulus V., qui Archiepiscopo Consentino Exequutori, Sede tunc Episcopali Cassanensi vacante, mandavit, ut unicuique ea viginti Portionariis Sacerdotibus 75. ducatos annuos ex communi massa attribueret, ut ab Exequutore factum est. Post hoc Decretum non alii ad locum vacantem admissi fuerunt expectantes, sive supranumerarii, quam qui eas haberent qualitates, quas idem præfiniverat Decretum, & usque ad annum 1694. Cappellani Curati ejusdem Parochialis Ecclesiæ electi fuerunt ex Sacerdotibus Portionariis, seu Participantibus, ac duo solum ultimi Cappellani extra numerum illorum fuerunt, qui ob id postularunt, ut asseritur, a Portionariis, ut ad participationem admitterentur.

Cum anno 1753. obiisset Cappellanus Curatus Cæsar Marsico, ad participationem admissus fuit Carmelus Casellius, qui inter expectantes, seu supranumerarios, & senior erat in ordine, & cæteras habebat qualitates in Decreto reductionis præscriptas: Sed indicto concursu, electoque in Cappellanum Antonio Campanella, hic contendere cœpit sibi debitam, non Casillio, portionem participationis. Casellius igitur egit contra eum in Curia Episcopali, ut sua custodiretur possessio, sed victus fuit. Appellavit Casellius ad Tribunal A. C., & appellationem recepit Vicarius Generalis, qui tamen Libello ei oblato a Campanella rescripsit, ut Procurator Cleri fructus omnes, & emolumenta participationis ei traderet, præcepitque Casellio, ne sub pœna ducatorum viginti, atque etiam *interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrendi* Campanellæ inferret molestias in quasi possessione Jurium participationis. Casellius igitur confugit ad A. C. qui decrevit, ut attentata purgarentur, & circumscripsit acta omnia post appellationem facta in Curia Cassani, damnavitque Campanellam in expensas: Decrevit etiam Casellio molestias inferendas non esse in possessione participationis, atque exactione reddituum, & ut Campanella fructus perceptos Casellio restitueret. Adiit Campanella *Sanctissimum Dominum Nostrum*, oblatis precibus, quibus petebat, ut Causa avocaretur a Tribunali A.C., & ejus cognitio daretur Eminentissimis Patribus, postulationi annuit Sacratissimus Princeps, & rescriptum exequutum fuit ab Auditore Tribunalis Signaturæ Justitiæ in *statu*, & *terminis*. Causa nunc proponitur, & disputat Casellius non deberi Campanellæ participationem, cum neque Parochianus sit, neque Sacerdos supranumerarius in ordine senior: sibi vero debitam participationem, quia has habeat qualitates: Servandum esse Decretum reductionis latum auctoritate Sacri hujus Tribunalis, & confirmatum auctoritate Pontificia: atque ita in simili casu re Judicata definitum fuisse in Tribunali A. C. Attentata vero esse purganda, cum nimis manifestus fuerit Judicis spretus. Longum esset

esset in facto ita longo omnes Casellii rationes colligere. A Campanella nihil habuimus. Tria sunt Dubia.

I. *An Cappellano Curato Ven. Ecclesiæ S. Mariæ de Castello Civitatis Castrivillarum debeatur participatio Massæ communis Reverendi Cleri d. Ecclesiæ, quamvis non sit Parochianus, nec Sacerdos supranumerarius in ordine senior ejusdem Ecclesiæ?* & quatenus affirmative.

II. *An ei debeatur a die electi Parochi participatio Massæ communis, ad quam postremo admissus fuit Carmelus Caselli in casu &c.* & quatenus affirmative.

III. *An sint purganda attentata in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Affirmative a die capta possessionis, & amplius. Ad III. Negative, & amplius.

Sess. 24. c. 18. de ref.

BISINIANEN. PAROCHIALIS: Indicto concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Mariæ Assumptæ Terræ Acris Diœceseos Bisinianensis, tres ad illum venerunt Parochi, Januarius Capalbo, Julius Cæsar Bernardus, & Josepho Luzzi, qui omnes ab Examinatoribus approbati fuerunt plenis suffragiis, *cum distinctione tamen, quod Januarius Parochus Capalbo fuit in primo loco approbatus quoad conciunculam*. Expleto concursu eadem die Episcopus elegit, & digniorem judicavit Januarium Capalbo. Ab hoc Judicio provocavit Joseph Luzzius ad hoc Sacrum Tribunal, & disputat nullum fuisse concursum, quia Examinatores Synodales nullo umquam tempore Jusjurandum præstiterint, quod, ut nulli ignotum est, facit eos non fuisse legitimos Examinatores, & ideo concursus sit nullus: Judicium vero Episcopi irrationabile fuisse, quia ipse putaverit eosdem Examinatores retulisse *ex discussione actorum concursus, ac Judicio circa Concurrentium mores requisita, & qualitates animarum regimini consentaneas*, & quia Januarius Capalbo *fuerit respectu conciunculæ primo loco approbatus*, quorum utrumque insubsistens sit, cum Examinatores nullam de ætate, prudentia, moribus disquisitionem habuerint, sed de doctrina dumtaxat, ut patet ex Actis concursus, & ex Testibus: *Fuisse* Capalbum ab Examinatoribus *approbatum primo loco respectu conciunculæ* a vero alienum esse, cum ab uno tantum ex tribus Examinatoribus approbatus fuerit. Addit humani aliquid passum Episcopum, qui Capalbum elegerit actuali ejus servitio addictum, ut testificationem faciunt Decuriones Bisinianenses, quod tamen vix credi potest, cum Capalbus in loco diverso, in ipsa nempe Terra Acris Parochus esset. Hæc Luzzius. A Capalbo nihil habuimus. Dubium est.

An constet de irrationabili Judicio Episcopi in casu &c.

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 8. Maii 1756. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BISINIANEN. PAROCHIALIS. Hæc Causa data fuit *in Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 3. transacti *Mensis Aprilis*, sed proposita non fuit. Proponetur nunc, ut credimus, & Eminentissimi Patres Dubium ejus expedire poterunt. *Sess.24. cap.1 de ref.*

An constet de irrationabili Judicio Episcopi in casu &c.

Negative, & amplius.

VITERBIEN. SEU MONTIS FALISCI HOSPITALIUM SUPER EXECUTIONE. Speciem omnem hujus Causæ dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 14. *Decembris anno* 1754., quod publici Juris factum in *Volum. XXIII. Thesaur. Resolution. Sacr. Congregat. pag.* 115. Tria erant ejus Capita: *I. An sit prohibenda transmissio Infirmorum exterorum ab Hospitali Montis Falisci ad Hospitale Viterbii in casu &c.*, & quatenus affirmative. *II. An sit prohibenda transmissio Infirmorum ab Hospitalibus Terræ Martæ, Bolsenæ, & Balneoregii ad Hospitale Montis Falisci in casu &c.* & quatenus affirmative quoad Hospitale Terræ Martæ. *III. An sit prohibenda transmissio Infirmorum ab Hospitalibus Valentani, & Capitis Montis ad illud Terræ Martæ in casu &c.* Respondit Sacrum Tribunal *die* 25. *Januarii* superiori *anno* 1755. -- *Ad I. Affirmative*: *Ad II. & III. Proponantur citatis interesse habentibus.* Reproposita vero Causa *die* 26. *Aprilis* eodem *anno* 1755. responderunt Eminentissimi Patres -- *Ad I. In Decisis juxta modum, nempe exceptis iis, quorum fit mentio in cap. XI. Unionis*: *Ad II., & III. negative* -- ut videre est in eodem *Thesau. Resol. Sac. Congreg. Vol. XXIV. pag.* 27. Modus hic novas inter Hospitalia Viterbii, & Montis Falisci controversias excitavit, eorum Rectoribus alia, atque alia ratione illum interpretantibus. Ut itaque controversiæ tollantur, certumque fiat, qua ratione modus ille exe- *Sess.22. cap. 8. & 9. de Refor. Sess.25. cap. 8. de ref.*

exequi debeat, redeunt nunc ad Eminentissimos Patres, a quibus expediendum erit Dubium.

Quomodo sit exequendus modus adjectus Resolutioni Sacræ Congregationis quoad Infirmos, de quibus loquitur Caput XI. Unionis, sitque providendum in casu &c.

Non proposita.

Sess. 24. cap. 12. de ref.

AQUILANA. Definita fuit hæc Causa in *Congregatione diei* 20. transacti *mensis Martii*. Duo erant ejus Dubia. *I. An liceat Gregorio Antonelli Cappellano S. Mariæ Lauretanæ erectæ in Collegiata Ecclesia SS. Quintini, & Petri de Saxa Civitatis Aquilæ Choro deservire per substitutum?* & quatenus negative: *II. An stante morbo, quo laborat, sit eidem indulgenda facultas abessendi a Choro horis matutinis, durante infirmitate?* responderunt Eminentissimi Patres -- *negative ad utrumque* -- Redit nunc Antonellius ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, & respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita.

Sess. 24. cap. 9. de ref. Matr.

ADJACEN. NULLITATIS MATRIMONII. Speciem omnem hujus Causæ dedimus in *Folio Congregationis habitæ die* 6. *Decembris* superiore *Anno* 1755., quod publici Juris factum fuit *Vol. XXIV. Thes. Resol. Sac. Congreg. pag.* 105., sed causa ea die proposita non fuit, quod nondum scripsisset *Defensor Matrimonii*. Scripsit hic, & nunc proponetur, ideoque onus erit Eminentissimorum Patrum, expensis utriusque Partis rationibus, decernere.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Scribatur Episcopo pro confessione Processus servata Constitutione SSmi D. N. subministratis per ornanum interim alimentis, & sumptibus litis.

CÆSE-

CÆSENATEN. BENEPLACITI: Definita fuit hæc Causa *in Congregatione* habita *die* 20. *Martii* nuper transacti, & duobus ejus Dubiis *I. An Licentia Episcopi ad effectum incidendi Arbores, de quibus agitur, sustineatur absque consensu Capituli in casu &c.* & quatenus negative. *II. An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres -- *Ad I. Affirmative*: *Ad II. Provisum in primo* -- Redit nunc Capitulum ad novum Amplissimorum Patrum Judicium, & respondendum est. *Sess. 24. cap. 11. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

CONSTANTIEN. ÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Deleto vi aquarum exundantis Fluminis Rheni veteri Pago *Steinstat*, qui in ejusdem Fluminis inferiori Ripa jacebat, Incolæ Steinstattenses sese in superiorem Fluminis Ripam recipientes novum ejusdem nominis Pagum intra Fines Parochialis Ecclesiæ *Schliengensis*, quæ subest magno per Alemanniam Hierosolymitani Ordinis Magistro, extruxerunt, neque tamen in novo Pago Ecclesiam Parochialem, ut erat in veteri ab aquis deleto, ædificarunt, sed Ecclesiam Schliengensem ejusque Vicarium Curatum in propriam Parochialem, propriumque Parochum agnoscentes, novalium decimas ei præstiterunt, & Vicarii Curati ejusdem Ecclesiæ a duobus fere sæculis novis Parochianis Steinstattensibus Sacramenta ministrarunt, defunctis sepulturam dederunt in cæmeterio, omnia demum Parochialia munera in eodem Pago expleverunt sive per se ipsos, sive per Capppellanos, qui constituti fuerunt in publica Cappella dudum pro Fratribus Cappellanis ejusdem Ordinis Hierosolymitani in eodem Pago constructa. Hæc igitur Cappella, in qua Sacramenta Steinstattensibus ministrabantur, Filialis Ecclesiæ Schliengensis haberi cæpit, & nuncupari in Visitationibus ejusdem factis tam a Magnis Magistris, quam ab Episcopis. *Sess. 21. cap. 4. de ref.*

Hic rerum status fuit ad annum usque 1752., quo tempore Steinstattenses Parochialem, & Matrem Ecclesiam Schliengensem negantes petierunt a Magno Magistro, ut vel Cappellam ampliaret, vel novam amplioremque ædificaret parem universo Populo ejusdem Pagi recipiendo, propriumque Parochum in ea præficeret. His cognitis a Magno Magistro, & a Francisco Ignatio Schmid Ecclesiæ Schliengensis Vicario, egerunt coram A. C. contra Steinstattenses, & postularunt custodiri eorum possessionem exercendi omnia officia, & Jura

Parochialia in Pago; & sententia contra contumaces Steinstattenses lata fuit, qua pronunciatum est *non constare de ass. Jure Parochialitatis Ecclesiæ prædictæ in Steinstatt, nec esse locum extructioni novæ Ecclesiæ, & constitutioni proprii Parochi in Pago Steinstattensi.* Hæc sententia in rem judicatam transacta est: Sed Steinstattenses, editis Testibus, qui dicebant viam a Pago ad Ecclesiam Schliengensem longam esse, & difficilem, itaut plures sine Baptismo infantes, plures sine Sacramentis obierint adulti, aditoque his probationibus Eminentissimo D. Pro-Auditore Sanctissimi, postularunt, ut Causæ cognitio Sacro huic Tribunali daretur. Censuit tamen idem Eminentissimus D. notionem dandam esse Officiali Constantiensi, ut sine præjudicio Jurium Partium caveret, ne Steinstattenses debita Sacramentorum administratione fraudarentur.

Re igitur ad Officialem Constantiensem delata, visum ei est decernere, ut in eodem Pago Steinstatt *Vicarius Curatus pro perpetuo ponatur, ibique sit domiciliaturus, & ita de Cura Animarum sufficienter provideatur.* Magnus Magister, & Vicarius Ecclesiæ Schliengensis ad eumdem Eminentissimum D. Pro-Auditorem redierunt, petentes circumscriptionem Decreti Officialis Constantiensis, quod facultates suas excessisset, addebant Testes a Steinstattensibus datos mendaces esse. Igitur Eminentissimus Pro-Auditor decretum tulit, quo *Causam remisit super negocio præsenti ad Sacram Congregationem Concilii, firmo remanente Decreto seu declaratione Reverendissimi Ordinarii Constantiensis usque ad exitum litis in eadem Sacra Congregatione.* Deputatus fuit post hoc Decretum Vicarius Curatus, qui Populo Steinstattensi Sacramenta omnia ministrat, & in eo Pago munia explet Parochialia. Auditus quoque fuit Officialis Constantiensis, qui secundum Steinstattenses respondit, & plurimas probationes Epistolæ suæ attexuit. Causa omnis IV. collecta Capitibus nunc proponitur; eorum lectione facile intelligitur, quid sit id, de quo disputatur; longum enim esset e longo libello M. Magistri ejusque Vicarii Schliengensis rationes excerpere. A Steinstattensibus nihil habuimus. Capita sunt.

I. *An constet de prætensa Matricitate Ecclesiæ Parochialis in Schliengen. in casu &c.*

II. *An sit locus ædificationi prætensæ Ecclesiæ Parochialis in Pago Steinstatt, & cujus sumptibus in casu &c.*

III. *An sit locus prætensæ deputationi Parochi, qui residere debeat in d. Pago Steinstattensi, & a quo eidem sit assignanda congrua una cum habitatione?* & quatenus affirmative.

IV. *An dictus Parochus dependere debeat a Parocho supradictæ Parochialis Ecclesiæ Schliengensis, & quales actus, & Functiones Parochiales exercere valeat in casu &c.*

Dilata, & iterum proponatur, reformatis Dubiis, servato interim decreto provisionali Curiæ Constantiensis, ad quem effectum scribatur Emo Episcopo, quod cogat pro omnimoda assignatione habitationis, & congruæ præstandæ per magnum Priorem, necnon juxta instructionem, ad mentem.

DER-

DERTHONEN. IRREGULARITATIS. Dum *anno* 1747. ferveret Liguſticum Bellum, militum Cohors ſive ducta ab Alexandro Repetto viro truci, & moribus perditis, ſive eo viam monſtrante *die* 3. *menſis Octobris*, domum invaſit Laurentii Carboni ſitam in Villa Derthonenſis Diœceſeos, cui nomen eſt *Cà de Cocoli*, eamque funditus direpſit, ſpectante e domo oppoſita Alexandro Repetto, abduxitque in Urbem Genuæ filium, nepotemque Laurentii, qui pluribus ibidem diebus in compedibus detenti fuerunt. Præda inter milites diviſa, portionem quoque ſuam abſtulit Alexander Repettus ſive Dux, ſive explorator, ſed auctorem eum fuiſſe peſſimi hujus facinoris omnes referunt Teſtes. Poſt hoc facinus jactare cæpit Alexander ſitim ſuam occidendi Sacerdotem Jo: Baptiſtam Carboni, declaravitque, ut ſi in eum incideret, necaturus eum eſſet, & ſolitus erat homo natura ferox, ac moribus peſſimis, minas exequi, ut Teſtes conveniunt. Paucis poſt direptionem domus diebus, incidit Sacerdos Jo: Baptiſta aperto in campo in eumdem Alexandrum armatum brevi tormento bellico, qui, viſo Sacerdote obviam veniente, manum appoſuit tormento, ſed paratum licet exploſioni educere non potuit. Sacerdos enim, qui de minis Alexandri certior factus fuerat, imminenti vitæ ſuæ diſcrimini, natura ipſa ſuadente, proſpiciens, eum prævenit, impreſſoque ictu majoris tormenti ſupra pectus, hominem illum humi ſtravit, qui paullo poſt vita exceſſit. *Seſſ. 14. cap. 7. de ref.*

Duplex contra Sacerdotem homicidam confectus fuit proceſſus: alter a Baronali Curia Loci Campi, alter a Curia Eccleſiaſtica Derthonenſi. Curia Baronalis prævenit in occiſi corporis inſpectione, & pluribus auditis Teſtibus, ex quibus conſtant ea, quæ retulimus, deſtitit a cognitione, cum de Sacerdote ageretur. Curia Eccleſiaſtica deſtituta licet corpore delicti, pluribus tamen congeſtis probationibus contra contumacem Sacerdotem, ſententiam tulit, qua eum damnavit ad triremes per decennium, addita etiam pœna confiſcationis Bonorum. Appellavit Sacerdos ad Tribunal A. C. ſed fruſtra petiit, fruſtra expectavit Acta, ut tandem, victa patientia, adire debuerit Sacratiſſimum Principem noſtrum, qui, re perſpecta, auditoque Eminentiſſimo Domino Cardinali Chiſio, juſſit Sacerdotem eſſe abſolvendum, & abſolutus fuit. Rupit tunc longas ſuas moras Curia Eccleſiaſtica Derthonenſis, tranſmiſitque Acta, poſtulans revocari abſolutionem, quod falſis ſuggeſtionibus impetrata fuiſſet. Juſſit igitur Princeps Providentiſſimus, ut uterque proceſſus ad Epiſcopi Placentini notionem deferretur, qui rem diligentius exploraret. Paruit Epiſcopus mandatis principalibus, & repetitis Teſtibus, novum inſtruxit proceſſum, quo in Urbem advento, palam facta eſt veritas eorum, quæ Sacerdos narraverat, & probationum, quas dederat, ideoque juſſum fuit ſilere Derthonenſem Curiam. Quia vero in abſolutionis Decreto adjecta fuerat conditio, *Fir-*

 mo

mo tamen si quem &c. incursu in Irregularitatem causa, & occasione prædicti homicidii contractam. Ideo Sacerdos anno 1749. preces huic Sacro Tribunali obtulit, quibus rejectis, novas obtulit anno 1753., & rescriptum fuit, ut audiretur Episcopus. Respondit hic contra Sacerdotem, & in Causa sese fecit contradictorem, constituto Procuratore Judiciali.

Rem ex processu suo ita narrat Episcopus, die scilicet 11. Octobris cum tres homines frumentum in aruis severint, advenientem vidisse Repettum inermem, lentamque virgam, seu arundinem manu gestantem, qui cum propius advenisset, eosque solvere jussisset, ire se dixit, ut indicaret Carboniis eos, qui res a militibus direptas detinebant, ut eas possent redimere. Dum sermones nectunt advenisse Sacerdotem Carbonum, & ex aggere superiori Repettum eum salutantem increpasse his verbis, *Eja mox associatus non est, ut alias*, simul ignitum ictum explosisse. Addit Loci Campi Principem processum instruxisse *contra suum subditum laicum, qui locum, ubi reperiebatur Alexander Repettus, nuntiavit Carbono, dum hic simul cum Parocho Officium recitabat, quo nuntio audito, immediate Carbonus, Breviario relicto, domum propriam accessit, & accepto sclopo ad Locum cucurrit, ubi cum supradictis Testibus confabulationes miscebat Repettus, illumque extemplo occidit*. Causa nunc proponitur, reicitque Carbonus narrationes Episcopi, uti contrarias processibus tam nempe Curiæ Baronalis, a qua facta fuit recognitio occisi, & inventus fuit armatus, quam Episcopi Placentini; Neque vera esse, quæ addit Episcopus de nuntio accepto, de intermissa horarum recitatione, de homicidio ex industria, cum fortuito obvii fuerint occisor, & occisus, & quæ habet Episcopus, narraverit ex ore Principis Campi, qui Carbono infensissimus est. In iis itaque facti, quod supra ex processibus retulimus, circumstantiis disputat Carbonus non constare de Irregularitate, quia ipse hominem occiderit pro tutela vitæ suæ, quæ lex est naturæ omnium animis scripta: quod si in tutela excessisse dici posset, locum esse dispensationi, cum res non sit de homicidio voluntario, & ex industria illato, cum *novem* jam anni transacti sint, & his concurrentibus, ea sit Sacri hujus Tribunalis disciplina, ut censeat indulgendam esse dispensationem, præsertim cum res esset non de promovendo, sed de promoto ad Sacerdotium ante homicidium. Hæc Carbonus. A Promotore Fiscali nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An constet de Irregularitate?* & quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro Dispensatione in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Negative.

INTE-

INTERAMNEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Testamento, quo decessit anno 1717. Dominicus Magliotti Interamnas Christinæ Liberali conjugi, & hæredi scriptæ hoc onus dedit, *Che sia tenuta, & obligata vendere tutti li miei Beni stabili, che io possiedo in Terni mia Patria, e del ritratto di essi debba farne celebrare per l' Anima mia tante Messe, oppure darne tante elemosine per l' Anima mia, e dette Messe farle celebrare nella Chiesa, dove a detta mia erede parerà, e piacerà, e perchè non voglio, che detta mia erede sia astretta a vendere detti Beni a vil prezzo, e che possa con vantaggio doveroso trovare il compratore, ordino, e voglio, e commando, che sino a tanto, che essa mia erede non troverà il compratore, che pagi detti beni, che sin a tanto, che li venderà, come sopra ne faccia celebrare di detto frutto tante Messe, oppure darne tante elemosine per l' Anima mia*. Supremam viri sui voluntatem implere desiderans Christina nihil prætermisit intactum, ut bona venderet, sed, cum nullum repperisset emptorem, satius duxit ea, cedere, & renunciare Patribus Carmelitis Excalceatis S. Valentini cum eodem onere eadem Bona vendendi. Patres autem onus susceperunt, donec venderentur, tot sacra ex eorum fructibus agendi. Sess. 22 cap. 6. de ref.

Contractus hic inter Christinam, & Patres initus fuit anno 1720. neque tamen bona Testatoris, prædiolo quodam excepto, vendi hactenus potuerunt, neque spes est ea vendendi, cum nullus ea velit emere sine obligatione præstandi evictionem. Capitulum igitur Cathedralis Ecclesiæ, quod ædificium incæpit nobilis Altaris immani sumptu, & illud nondum perfectum intermittere debuit defectu pecuniæ, preces obtulit *Sanctissimo Domino nostro*, quibus postulabat, ut invendita Dominici Magliotti Bona sibi addiceret, vel commutando voluntatem defuncti, vel cessione Jurium R. Fabricæ, ut opus exigi, & consumari posset. Annuit Optimus Princeps, *& die* 19. *Augusti anno* 1754. precibus ita rescripsit *veris existentibus narratis, ac solutione irrepetibiliter facta in eleemosynam ipsius R. Fabricæ scut.*50. *monetæ, Oratores prævia, quatenus opus sit, commutatione voluntatis Testatoris, super expositis in precibus ad petitam cessionem Jurium R. Fabricæ, & Bonorum, de quibus agitur, in forma consueta admittantur: Injuncto tamen Canonicis Deputatis Cappellæ, de qua in precibus, onere erogandi summam recuperandam vigore præsentis cessionis in constructionem, seu perfectionem ejusdem Cappellæ, ut in dictis precibus, facta tamen in actu stipulationis Instrumenti obligatione per ipsos Canonicos Deputatos solvendi eidem R. Fabricæ alia scut.* 20., *postquam iidem propriis eorum sumptibus recuperaverint eadem bona, de quibus agitur*.

Impletis rescripti conditionibus, cum Capitulum coram Judice Fabricæ adjudicationem eorumdem Bonorum petiisset, contradictores sese præstiterunt Patres S. Valentini, qui, ut diximus, cessionem habuerant a Christina, contendentes rescriptum

ptum *Sanctissimi Domini Nostri* solam præseferre cessionem Jurium R. Fabricæ, quæ inutilis esset, quia locus esse non posset hoc casu iisdem Juribus, & Judex Fabricæ, lata sententia, contra Capitulum pronunciavit. Novis igitur precibus oblatis, Capitulum adiit Sacratissimum Principem postulans, ut expresse commutaret Dominici Magliotti voluntatem, eodemque Judicæ Fabricæ *die 6. Decembris transacto anno* preces has referente, *Sanctitas Sua voluntatem Dominici Magliotti ex integro, & expresse commutavit ad effectum applicandi, & vendendi infra annum a die possessionis Bona, & erogandi illorum pretium in constructionem seu perfectionem Altaris, de quo in precibus, non obstante sententia per nos uti Judicem Fabricæ pronunciata; Injancto tamen Capitulo, & Canonicis onere celebrationis unius Missæ quolibet anno in perpetuum pro Anima Testatoris, ac firmis remanentibus aliis conditionibus, & obligationibus adjectis in Rescripto diei 27. Augusti 1754., & in Instrumento cessionis in ejus sequelam favore Oratorũ stipulato.* Vim hujus rescripti evaserunt Carmelitæ, oblatis contrariis precibus, quarum relatio injuncta fuit Eminentissimo Domino Cardinali Pro-Auditori, & *die 30. transacti mensis Januariis* his precibus rescriptum est *Sanctissimus remisit benigne preces ad Sacram Congregationem Concilii ad effectum discutiendi, An sit consulendum Sanctitati Suæ pro commutatione piæ dispositionis Dominici Magliotti in constitutionem, seu perfectionem Altaris in Cathedrali Interamnen. cum legibus appositis in rescripto R. P. D. Œconomi R. Fabricæ edito sub die 6. Decembris proxime præteriti, suspensa interim executione ejusdem rescripti.*

Causa igitur nunc proponitur, & disputat Capitulum commutationem voluntatis Dominici Magliotti consulendam esse ex pluribus justis, & necessariis causis, quas congregat, & quarum præcipuæ sunt, quod voluntas Testatoris impleri non possit, cum per fugam temporis fere quadragenarii nullus emptor advenerit, neque spes sit, ut adveniat, deficiente obligatione evictionis: quod non agatur de onere sacrorum perpetuo, sed de erogatione pretii Bonorum vendendorum unico actu, vel in sacra, vel in eleemosynas facienda, ideoque longe plenius futurum sit suffragium animæ Testatoris sacro perpetuo, quod Capitulum agere debet: quod commutatio vergit in augumentum Divini cultus perfectione Cappellæ, quæ justa causa habetur, ut etiam Episcopus defuncti voluntatem commutare possit: nulli hac commutatione detrimentum, aut iniquam conditionem inferri, cum neque certa Ecclesia pro sacris, neque certi pauperes pro eleemosynis designati fuerint a Testatore, ideoque longe pronius indulgendum esse commutationi: nullum quæsitum fuisse jus Patribus Carmelitis ex cessione habita a Christina, quæ solam exequutionem habebat voluntatis viri, & solam bonorum administrationem, donec ea venderentur. Longum esset omnia, quæ habet Capitulum in suo libello, colligere

ligere. A Patribus Carmelitis nihil habuimus. Dubium est. *An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Dominici Magliotti in casu &c.*

Affirmative.

AMERINA: Cum in Castro Alviani Amerinæ Diœceseos tanta sit inopia Sacerdotum, ut coactus fuerit Episcopus postulare, atque obtinere facultatem, ut sacra, quæ in Ecclesiis ejusdem Castri agenda erant, alibi agi possent, durante Sacerdotum inopia: Hinc cum Ignatius Torretti, qui natus erat in eodem Castro, & Romæ in Pamphilio Collegio studiis operam dabat, postulasset Clericali militiæ adnumerari, Episcopus eum Parochiali Ecclesiæ Alviani adscripsit, & literas dimissoriales ei dedit, expressam causa necessitatis ejusdem Ecclesiæ, ut minores Ordines suscipere posset. Nominatus fuit Ignatius ad Cappellaniam manualem in Templo Divi Ignatii Urbis, & impetravit ab hoc Sacro Tribunali ejus *perpetuationem*, ut ad hujus *Cappellaniæ Titulum* ad Sacros Ordines promoveretur, sicuti promotus fuit, repetita ab Episcopo in literis dimissoriis necessitate Ecclesiæ Parochialis Alviani. Sacerdos factus Ignatius post duos menses, quibus Alviani moram traxerat, veniam petiit ab Episcopo, ut Romam concederet; negavit Episcopus, eique *ore* præcepit, ne discederet, indicta pœna suspensionis *ipso facto incurrendæ*. Discessit Ignatius, Romamque repetiit, Sacroque huic Tribunali preces hac de re obtulit; cum, ut fieri solet, epistola ad Episcopum data fuisset, dicitur ei redditam non fuisse; secundæ epistolæ respondit, negans posse Ignatium Romæ consistere, sed teneri eum præcepto obtemperare, & Alvianum repetere, quod ejus Ecclesiæ servitio adscriptus sit, atque incidisse in pœnas Conciliares, neque excusari posse sive colore Cappellaniæ, sive prætextu studiorum, quod & studia, quantum satis sit necessitatibus Populi illius Castri, compleverit, & Cappellaniæ servire possit per substitutum. Causa nunc duobus collecta Capitibus definienda proponitur. *Sess.23, cap.16. de ref.*

Disputat Promotor Fiscalis a Tridentino post Chalcedonense Concilium definitum fuisse, ut Clerici, qui pro necessitate, aut utilitate Ecclesiæ ordinati fuerint, ejusque servitio adscripti, sine expressa Episcopi venia discedere nequeant, & si Locum inconsulto Episcopo deserverint, Sacrorum exercitio interdicantur; confirmatum id Concilio Romano *tit.6. cap.6.*, atque ita pluries ab hoc Sacro Tribunali judicatum fuisse contra eos, qui discedere voluerunt, ut in *Senogallien.* 19. *Augusti* 1579. *In Ci-*

vitatis Ducalis 6. Septembris 1593., *in Ostunen.* 20. *Jan.* 1616., *in Anconitana* 14. *Februarii* 1609., *in Terraconen.* 9.*Febr.*1621., *atque alibi*; Neque audiendos esse adductos *a Barbos. ad Concil. sess.*23. *cap.*16. *de Ref. & de offic. & potest. Episc. par.*2. *alleg.*21. *num.*5. *&* 6., qui tradunt Clericos, & Sacerdotes, qui non habent Beneficium in Titulum præcisam, & personalem residentiam requirens, discedere posse, & ire quo velint, neque Episcopos his literas dimissorias denegare posse, cum reprobentur a *Fagnan. in cap. Admonet num.*15. *&* 37. *de Renunciat.*, quia Clerici servitio alicujus Ecclesiæ adscripti, & pro ejusdem Ecclesiæ necessitate, seu utilitate ordinati habentur, tamquam servi, aut coloni glebæ addicti, qui sine Domini venia fundum deserere nequeunt, neque discedere possunt ab Ecclesia, & recedere ab obligatione cum ea contracta, ideoque potest Episcopus Literas dimissorias eis negare *Menoch. de arbitrar. cas.*422. *n.*3. *Garzia de Benef. par.*2. *cap.*5. *n.*102. *Antonell. de jur. & oner. cleric. cap.*8. *lib.*2. *par.*6. *num.*2. Ex his colligit Ignatium Torrettum, qui servitio Parochialis Ecclesiæ Alviani adscriptus fuit, & pro ejusdem Ecclesiæ necessitate ordinatus non posse ab ea discedere, invito Episcopo, præsertim eo veniam ex necessaria causa inopiæ Sacerdotum denegante, & quia præcepto Episcopi non obtemperaverit, in pœnam interdictionis sacrorum incidisse. Hæc atque alia Promotor Fiscalis. Ab Ignatio nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An Sacerdos Ignatius Torretti adscriptus servitio Parochialis Ecclesiæ Alviani, & pro necessitate ejusdem Ecclesiæ ad Sacros Ordines promotus Titulo Cappellaniæ obtentæ in Ecclesia S. Ignatii Urbis sibi a Sacra Congregatione perpetuatæ, potuerit contra formam præcepti Episcopi ab eadem Ecclesia discedere, & valeat hic in Urbe permanere?*

II. *An, & in pœnas Conciliares sibi intimatas inciderit in casu &c.*

Ad I. Negative assignata congrua per Episcopum. Ad II. Consulat conscientiæ suæ.

Die

Die Sabbathi 29. Maii 1756. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DUÆ, quæ ſequuntur, Cauſæ in *ultima* Ampliſſimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 8. *hujus menſis* propoſitæ non fuerunt: Cum vero nunc, ut credimus, proponantur, rogamus Eminentiſſimos Dominos, ut *Folium ejuſdem Congregationis* iterum conſulant.

VITERBIEN., SEU MONTIS FALISCI HOSPITALIUM SUPER EXEQUUTIONE, cujus Dubium eſt: *Seſs.22. cap.8. & 9. de refor. & Seſs.25. c.8. de ref.*
Quomodo ſit exequendus modus adjectus Reſolutioni Sacræ Congregationis quoad Infirmos, de quibus loquitur Caput XI. Unionis, *ſitque providendum in caſu &c.*

Modum eſſe exequendum juxta mentem, & mens eſt, quod vetitis omnibus interrogationibus ſervetur cap. XI. Unionis quoad Incurabiles, & quoad diſcedere volentes, facta per Parochum, & unum ex Deputatis atteſtatione cum juramento de eorum libera voluntate tranſmittantur cum Schedula ſubſcripta ab Epiſcopo, vel Vicario Generali, & idem Epiſcopus invigilet ne cura Infirmorum negligatur, nec committantur fraudes, ſtricte onerata ejuſdem Epiſcopi conſcientia.

AQUILANA; in qua quæritur. *Seſs.24. cap.12. de ref.*
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

INTERAMNEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS: *Seſs.22. cap.6. de ref.*
Hæc quoque Cauſa data fuit in *Folio ultimæ Congregationis diei* 8. *hujus menſis*, Dubioque ejus, quod erat — *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro Commutatione voluntatis Dominici Magliotti in caſu &c.* Reſponderunt Eminentiſſimi at Pres — *Affirmativè*. Ju-

dicium retractari postulant Patres Sancti Valentini, & nunc respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.24. cap.9. de ref. matr.

ADJACEN. NULLITATIS MATRIMONII: Dubio hujus Causæ, quæ pariter data fuit *in Folio* ejusdem *ultimæ Congregationis*, & quod erat -- *An constet de nullitate matrimonii in casu &c.* -- cum nullæ in processu essent probationes validitatem, vel nullitatem matrimonii respicientes, Eminentissimi Patres responderunt -- *Scribatur Episcopo pro confectione Processus, servata Constitutione Sanctissimi Domini Nostri, subministratis interim per Ornanum alimentis, & sumptibus litis*. Adversus hoc Rescriptum *audiri* postulavit Ornanus negans, ut credimus, subministrationem alimentorum, & sumptuum litis, ideoque respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad subministrationem alimentorum, & sumptuum litis in casu &c.

Judicio Episcopi.

Sess.22. cap.8. de Ref.

FAVENTINA, SEU IMOLEN. ELECTIONIS: Postquam ab Eminentissimis Patribus in *Congregatione* habita *die* 23. *Augusti* transacto *anno* 1755. definita fuit alia Causa *Faventina, seu Imolen. Electionis*, & rejecta fuit Magdalena Cervinia ab admissione in Monasterium Sanctæ Claræ Terræ Cottiniolæ, ut in *Thesaur. Resolut. Sacr. Congregat. Vol. XXIV. pag.* 77. *& seq.* Sodalitium Sanctissimi Sacramenti ejusdem Terræ hæres Sacerdotis Casparis de Bolis Fundatoris Monasterii concursum Puellarum ad locum vacantem indixit. Duæ ad concursum venerunt Antonia Maria Medri filia fabri lignarii, & Maria Biancoli filia Capitanei Josephi. Scrutinio facto, cui interfuit Vincentius Biancoli frater Mariæ, victa fuit uno suffragio Antonia Maria Medri: Hæc siquidem tredecim numeravit suffragia, contraria vero sex Vincentio Biancoli suffragante: Illa quatuordecim numeravit suffragia, contraria vero quatuor Vincentio Fra-

Fratre non suffragante. Appellavit Antonia Maria Medri ad Tribunal A. C., sed Causæ cognitio Eminentissimis Patribus data fuit, & disputat nunc Antonia nullam fuisse electionem, quia servata non fuerit a Sodalitio voluntas Casparis Fundatoris, qui voluit admittendas esse *trè povere Giovani per Suore in detto Convento*: Pauperem non esse, neque dici posse Mariam Biancoli, cui Joseph Pater in testamento dotem constituerit sc.600., & cujus sorori, cum nupsit, constituta fuit a matre, & fratribus dos scut.1000., cujusque domus stabilia possideat, quæ æstimantur scut.8000.: Pauperem vere esse Antoniam, cujus Pater faber lignarius pauca bona possideat, & se, liberosque suos alat arte, & vultus sui sudore. Ex his colligit nullam fuisse electionem Mariæ Biancoli, & admittendam esse Antoniam prælative ad Mariam, cum semper illa pauperior sit. A Maria nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

An, & de cujus vocatione constet, & quæ sit præferenda in casu &c.

Dilata, & audiatur Episcopum.

PENNEN. DISPENSATIONIS: Matrimonium contraxerunt *die 27. mensis Octobris anno* 1753. Floridaurus Albentius Terræ Forcellæ Aprutinæ Dioeceseos, & Rosa Liberatore Terræ Carminiani Dioeceseos Pennensis, & quia in ea Regione mos est, ut nova nupta in domum viri non deducatur, nisi post aliquot dies, ut interim omnia, quæ ad pompam nuptialem pertinent, parari possint, ideo Rosa ab Ecclesia in domum reversa est comite matre, cæterisque consanguineis. Vix reversa in febrim incidit, ut Floridaurus, & more patrio, & febri obstantibus, eam cognoscere non potuerit, rediitque Forcellam. Aucta vi morbi, auctum fuit impedimentum deductionis Rosæ in domum virqui ob morbum jam intactam, atque inviolatam relinquebat. ost viginti quatuor dies decessit Rosa, & cum Floridaurus eamdem domum tamquam consanguineus aliquando reviseret, tandem captus fuit amore Dorotheæ sororis defunctæ Rosæ. Res eo pervenit, ut & Vicinia, & Terra illa universa sermones de his amoribus agitare cæperit, non sine nota Puellæ, quæ virum ob id fortasse non inveniret; ad hanc notam delendam sponsalia contraxerunt, & Floridaurus postulavit a SSmo D. N. dispensationem ab impedimento publicæ honestatis, quod matrimonium cum Rosa contractum ratum dumtaxat fuerit, non consumatum. *Seß.24. cap.3. de Ref. matr.*

Postulationis hujus cognitio data fuit Eminentissimis Patribus, auditusque

ditusque fuit, Sede Episcopali vacante, Vicarius Capitularis, qui, auditis tribus testibus negantibus consumationem, censuit dispensationi esse locum; sed Eminentissimi Patres *die 2. Augusti* transacto *anno* 1755. precibus Floridauri responderunt *coadjuventur probationes super cohabitatione numquam habita in Mariti domo*. Edidit Floridaurus Testimonium Provicarii Generalis, qui certior hac de re factus cohabitationem negavit: sed satius visum est audire novum Episcopum. Hic, auditis aliis Testibus, ipsoque Floridauro, & Dorothæa, ejusque matre, cum ex his accepisset matrimonium cum Rosa contractum non fuisse consumatum, cum numquam cum Floridauro habitasset; Consuetudinem vero Floridauri cum Dorothea culpa quidem vacare, sed a suspicione vulgi immunem non esse, itaut innupta remaneret, si Floridauro non jungeretur, censuit & ipse locum esse dispensationi. Disputat itaque nunc Floridaurus ex his, quas hactenus recensuimus, probationibus satis constare matrimonium, quod ipse cum Rosa contraxit, consumatum non fuisse, ideoque nullam ex eo affinitatem fuisse contractam, &, ne Dorotheam ducat, obstare dumtaxat publicæ honestatis impedimentum, a quo, aliqua concurrente justa causa, dispensari soleat: Justam causam esse, quod ita restitui possit honori suo Puella in opinione vulgi læsa, & graves tolli inimicitias, quæ ex eadem ratione oriri possent inter consanguineos Dorotheæ, & Floridaurum. Videant igitur Eminentissimi Patres, *An sit locus Dispensationi Apostolicæ in casu &c.*

Negative.

Die

Die Sabbathi 26. Junii 1756. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

MINDONIEN. FRUCTUUM. Imperio Eminentiſſimorum Patrum hæc Cauſa proponitur, qui in *Congregatione* habita *die* 3. tranſacti *menſis Aprilis* reſcripſerunt -- *Dilata ad primam menſis Junii*. Rogamus itaque eoſdem Eminentiſſimos Patres, ut repetita lectione *Folii Congregationis* habitæ *die* 24. *Martii* 1753., quod publici juris factum fuit *Volum. XXII. Theſaur. Reſol. Sacr. Congregat. pag.* 20., in quo primum hæc Cauſa data fuit, & duo ejus Capita expedita fuerunt, Dubium, quod nunc proponitur, definiant. *Seſſ. 22. cap. 8. & 9. de refor. & Seſſ. 25. c. 8. de ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Prævio receſſu a Deciſis negative ad primum Dubium.

FOROSEMPRONIEN. Hæc quoque Cauſa data fuit *in eodem Folio Congregationis* habitæ *die* 3. *Aprilis*, & Dubio ejus, quod erat -- *An conventio, de qua agitur, ſit ſimoniaca in caſu &c.* -- Reſponderunt Eminentiſſimi Patres -- *Negative*. Redeunt nunc Patronæ Beneficii ad novum Judicium contra duos Clericos Panzinium, & Trepettum, ideoque reſpondendum erit. *Seſſ. 24. cap. 14. de ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Non propoſita.

MONTIS ALTI CONGRUÆ: Dedimus hanc Cauſam, & rationes omnes tam Ciccolinii, quam Decimatorum in *Folio Congregationis* habitæ *die* 6. *Decembris* 1755., quod in lucem hominum editum fuit *Volum. XXIV. pag.* 103. *Theſaur. Reſolut. Sacr.* *Seſſ. 24. c. 18. de ref.*

Sacr. Congregat.: Sed Eminentissimi Patres rescribendum censuerunt -- *Dilata*, *& scribatur Episcopo juxta Instructionem*. Instructio fuit, *ut distincte referret omnes fructus*, *& redditus tam certos*, *quam incertos Parochialis Ecclesiæ*. Retulit Episcopus *fructus tam certos*, *quam incertos dictæ Ecclesiæ esse scut.46.*, *& ad summum ob.50. ex quibus demptis scut.13., & ob.41. pro oneribus*, *remanent libera scut.32. & ob.99.*, adjecitque hujus quantitatis probationes. Redit itaque nunc Ciccolinius Parochus ad Eminentissimos Patres, & postulat definiri Dubium.

An, *& a quibus*, *& in qua summa sit supplenda congrua Priori Curato S. Petri Castignani intra fines suæ Parochiæ in casu &c.*

Negative, & amplius.

Sess.21. c.5. de ref.

TRICARICEN. BENEFICII. Speciem omnem hujus Causæ, quæ erat inter Episcopum Guardiensem, & Clerum Oppidi Armenti dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 10. *Februarii anno* 1748., quod publici juris factum fuit in *Volum.XVII. Thesaur. Resolut. Sacr. Congreg. pag.*16. Duo erant ejus Capita -- I. *An sit locus confirmationi unionis*, *seu illius sanationi?* II. *An Episcopus Guardiæ Alferiæ*, *non obstante dicta unione*, *retinere valeat Beneficium S. Joannis a Gabasto*, *eique restituendi sint fructus a Clero Armenti ex eodem Beneficio percepti in casu &c.* His respondit Sacrum Tribunal: *Ad I. Dilata*, *& transportentur acta auditis Ministris*: *Ad II. Affirmative in omnibus*, *& quoad prætensas expensas utatur jure suo*, ut in eodem *Volum.XVII. Thesaur. pag.*17. Post octo annos Causa reproponitur, & definiendum est.

I. *An sit locus confirmationi unionis*, *seu illius sanationi?*

II. *An sit standum*, *vel recedendum a decisis quoad II. Dubium in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

Sess.21. c.4. de refer., & Sess.24. c.13. de ref.

NOLANA PAROCHIALIS: Post longam litem actam in hoc Sacro Tribunali inter Principem Striani, & Patres Congregationis Cœlestinorum de erectione novæ Parochiæ in latifundio *Bosco Regale*, quæ ab Eminentissimis Patribus numquam definita fuit, ut patet ex *Foliis Congregationum* habitarum *die* 3. *Februarii anno* 1753., *& die* 25. *Januarii*, *&* 1. *Martii anno* 1755., controversia tandem transactione sopita fuit, quæ nunc Eminentissimis Patribus approbanda proponitur, sicuti eam approbandam censuit Episcopus Nolanus. Sed rem interim turbavit Præses Hiacynthus Ursinus, qui in extrema ejusdem latifundii parte ampla possidet prædia, Accolæ vocant *Massaria*, in qui-

quibus est Ecclesia, cui ipse præficit Cappellanum. Preces obtulit Præses Ursinus Sacro huic Tribunali, quibus postulabat, ut in casu erectionis novæ Parochiæ in eo latifundio *venga considerata la suddetta Cappella, che ritiene l'Oratore*, suspensa interim exequutione transactionis. Auditus fuit de his precibus Episcopus, qui retulit quidem statum tam Cappellæ, quam *della Massaria*, sed nihil habet de petitione Præsidis, cum ignoretur quid velit. Disputat nunc Princeps Striani approbandam esse transactionem initam cum Patribus Cœlestinis, penes quos erat Jus Parochiale, præsertim, cum facta fuerit sequendo mentem Eminentissimorum Patrum, neque audiendum esse Præsidem, qui nullum Jus habet intercedendi, ne fiat transactio, quique ignoratur, quid velit, an novam Parochiam, an appositionem Œconomi in sua Cappella, an aliud quidquam. A Præside nihil habuimus. Dubium est.

An sit locus approbationi concordiæ in casu &c.

Dilata ad sequentem.

BAREN. Est in Terra Nojæ Dioeceseos Barensis Ecclesia Collegiata, de cujus erectione omnia incerta sunt, quod lateat in tenebris vetustatis. Collegii sive Capituli Caput, & prima Dignitas est Archipresbyter, qui suæ Dignitati annexam habet curam animarum universæ illius Terræ: Dignitas hæc a S. Sede confertur. Amplior olim fuit Archipresbyteri potestas, & jurisdictio: Animadvertebat enim tam in Clericos, quam in Laicos ob leviora crimina, etiam excommunicationis pœna. Jus dicebat in levioribus Causis, quæ inter Laicos, & Clericos agebantur, neque ipsi Canonici, & Primicerii ab ejus exempti erant Jurisdictione; omnes enim sive Capitulares, sive Clerici, sive Laici dictæ Terræ in actu possessionis, quam Archipresbyter accipiebat suæ Dignitatis, eidem obedientiam præstabant. Sed inde externam hanc Potestatem, & Jurisdictionem extra curam animarum amiserunt Archiepresbyteri, salvo jure præheminentiali in Capitulum: Soli enim Archipresbyteri jura, & functiones omnes Parochiales exercuerunt, soli sacramenta ministrarunt, & si quid umquam, vel a Canonicis, vel a Primiceriis actum est, actum fuit venia Archipresbyteri, qui libros Baptismales, & Confirmationum, & Nuptiarum, & defunctorum retinet, statum animarum format, schedulas implementi Paschalis præcepti distribuit, & colligit, subscribit, & signat, eique Universitas Terræ chartam his libris, schedisque necessariam tradit, solvitque certam summam ei, qui Sacerdotem comitatur ad accipienda ab Ecclesia Cathedrali sacra olea missum. Tentarunt pluries Canonici, & Primicerii Parochialia jura invadere, sed, resistentibus Archipresbyteris, destiterunt ab inceptis: nuper autem majori conatu rem egerunt contendentes non

Sess. 23. c. 1. & 14. de ref. Sess. 24. c. 1. de Ref. matr. & cap. 18. de Ref.

habitualem tantum curam, sed etiam actualem esse penes Capitulum. Archipresbyter itaque monitorium in Tribunali A. C. expedivit, & illud Capitulo insinuari curavit, sed Vicarius Generalis decrevit, ut Archipresbyter claves Fontis Baptismalis in Sacrario deponeret commodo Canonicorum baptizare volentium. Decreto non obtemperavit Archipresbyter fretus speciali citatione, quam fecerat pro purgatione attentatorum. Vicarius decreti sui exequutionem mandavit, indicta pœna carcerum, & capionis pignorum. Pudet ea referre, quæ a Canonicis acta sunt contra Archipresbyterum magno Laicorum, & scandalo, & risu. Venit itaque Romam Archipresbyter, ut se violentiis subduceret, & Causa ab Eminentissimo Domino Pro-Auditore Sanctissimi avocata fuit a Tribunali A. C., & ad Judicium Eminentissimorum Patrum delata. Auditus fuit, ut moris est, Archiepiscopus, & Causa nunc proponitur XIII. collecta Capitibus, quorum lectione facile intelligitur, quid sit id, de quo disputatur. A Canonicis nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An cura animarum Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Nojæ resideat privativè tam habitualiter, quàm actualiter penes Archipresbyterum, seu potius penes Capitulum in casu &c.*

II. *An denunciationes, & publicationes, quæ fiunt inter Missarum solemnia pro contrahendis matrimoniis, promovendis ad sacros Ordines, excommunicationibus, & indulgentiis, pertineant privativè ad Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine, favore Canonicorum Primiceriorum, sitque servanda in casu &c.*

III. *An delatio stolæ in funeribus, & absolutio super cadavera explendæ sint per Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonici Confessarii, eaque sit servanda in casu &c.*

IV. *An jus deferendi Sacrum Viaticum, & Oleum Sanctum infirmis pertineat privativè ad Archipresbyterum. seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonici Confessarii, qui peccata eorum audiverit, & sit servanda in casu &c.*

V. *An benedictio domorum in die Sabathi Sancti spectet ad Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine, sitque servanda in casu &c.*

VI. *An benedictio mulierum post partum privative spectet ad Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine favore Capituli, sive Canonicorum deputandorum, eaque veniat servanda in casu &c.*

VII. *An liceat Confessariis Canonicis requisitis privativè quoad Archipresbyterum ministrare independenter Sacramentum Baptismatis in casu &c.*

VIII. *An in omnibus supradictis actibus, & functionibus, quatenus expleri possint per Canonicos, intelligendum sit exclusivè, & privativè quoad ipsum Archipresbyterum præsentem, & per se ipsum ministrare volentem in casu &c.*

An

IX. *An tam supra enunciati actus, & functiones, quatenus spectent privativè ad Archipresbyterum, quam aliæ, quæ fiunt in Sabatho Sancto, in Dominica Palmarum, in Feria quarta Cinerum, & quinta Cœnæ Domini, ac in Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, eo absente, vel impedito, expleri valeant ab ejus substituto etiam non Canonico in casu &c.*

X. *An emolumenta pro administratione Sacramentorum, aliarumque functionum ad curam animarum spectan. percipi debeant ab Archipresbytero, seu potius constet de contraria consuetudine, eaque sit servanda in casu &c.*

XI. *An claves Baptisterii, Sacri Tabernaculi, & Olei Sancti sint retinendæ per Archipresbyterum, seu potius per Sacristam ejusdem Ecclesiæ, & Capituli in casu &c.*

XII. *An Subsacristæ in eadem Ecclesia eligi valeant quolibet anno absque intelligentia, & approbatione Archipresbyteri in casu &c.*

XIII. *An constet de attentatis, & per quem, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

PERUSINA PAROCHIALIS. Ecclesia Parochialis Sanctæ Crucis in Urbe Perusia subjective unita est Monasterio Sancti Petri Congregationis Olivetanæ, quod Eugubii situm est. Vacavit superiori anno 1755. hæc Parochialis, & Abbas Monasterii S. Petri Perusino Episcopo præsentavit Clericum Franciscum Delicati, quem pluries idem Episcopus testimonialibus suis literis commendaverat, & quem ad Beneficia etiam Curata idoneum in duobus concursibus Examinatores Synodales renunciaverant. Instituto igitur examine, propositæ ei fuerunt a tribus Examinatoribus quæstiones aliquot morales, & Evangelii caput explanandum, indictumque tempus quatuor horarum: Responsis, quæ ipse scripsit, expensis, reprobatus fuit. Appellavit Franciscus ad hoc Sacrum Tribunal: Bis datæ fuerunt ad Episcopum literæ: Rescripsit tandem, atque acta transmisit. Animi sui sententiam his verbis aperuit -- *Tam male* Franciscum *insipienterque respondisse, ut non solum in morali scientia, sed in Grammaticis etiam elementis incredibilem ignorantiam ostenderit, non dicam Presbytero animarum curam petente, sed ne in Clerico quidem ad Sacros Ordines promoveri cupiente ferendam.* Causa nunc proponitur, & quæ in Epistola sua habet Episcopus, eadem in suo libello singula Francisci responsa expendendo urget Promotor Fiscalis, ex quibus colligit, & jure reprobatum fuisse Franciscum, & novo examini subjiciendũ non esse, cum nulla esse possit ei spes, ut in novo examine approbetur, quo casu huic locum non esse tradunt *Fagnan. in cap. eam Te n.39., & seqq. de ætat., & qualitat. atq. ord., & Fargna de Jurepatron. par.5. can.10. casu 1. num.*40. Contra Franciscus humani aliquid passos fuisse Examina- *Sess.24.c.18. de ref.*

 tores,

tores, qui eum reprobarunt, cum longe aliud sentiant Theologi Urbis Romæ, quorum responsa seorsim distribuit: quod si etiam judicium Examinatorum sequendum esset, denegari non posse novum examen, cum res sit de Ecclesia Patronata, ut distinguendo casus tradunt *Massobr. in Prax. Concurs. de Election. requis.* 5. *dub.* 6., & alii frequenter, ac pluries respondit *hoc Sacrum Tribunal*. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An constet de mala relatione Examinatorum, itaut R. D. Franciscus Delicati sit deputandus ad curam animarum Parochialis Ecclesiæ S. Crucis in casu &c.* Et quatenus negative.

II. *An sit locus novo examini in casu &c.*

Esse locum novo examini in Urbe.

Sess. 24. c. 18. de ref. VASIONEN. DISTRIBUTIONUM: In Parochiali Ecclesia Oppidi Malaucenæ anno 1527. institutum fuit Collegium Presbyterorum ad anniversaria, Sacra, aliaque Divina Officia agenda, distributis inter eos emolumentis in hanc causam relictis. Sunt tamen inter hos, qui ratione specialis alicujus muneris, quod subeunt, alia emolumenta, ultra ea, quæ distribuuntur, percipiunt, quales sunt Prior, Cantor, & alii. Prioratus hujus Parochialis Ecclesiæ anno 1598. Apostolica auctoritate unitus fuit Capitulo Metropolitanæ Ecclesiæ Avenionensis cum onere *inservire faciendi in Divinis*. Suevit igitur Capitulum unum ex Collegii illius Presbyteris in *Subpriorem* eligere ad nutum suum amovibilem, qui, & vices Capituli gereret, & Parochum adjuvaret in administratione Sacramentorum, aliisque muniis Parochialibus, assignatis pro stipendio annuis libris 60., quæ faciunt summam sc. 12. circiter monetæ Romanæ. Hoc stipendium soli Subpriores perceperunt, quod soli vices gererent Capituli. Venit in mentem Presbyterorum anno 1753., ut Chastel Subprior teneretur stipendium illud in communem Massam conferre, & sine Judicis auctoritate inhibuerunt Provisoribus, ne eidem solverent portionem ei debitam tamquam Presbytero Collegii, donec libras 36. ex illis 60., quas soluit Capitulum Avenionense, Collegio præstaret. Adiit Subprior Episcopum Vasionensem, a quo revocata fuit inhibitio, relaxato mandato de consignando portionem Subpriori debitam. Appellarunt Presbyteri ad Tribunal A.C., sed, & ab A.C., & a Tribunali Signaturæ rejecta fuit Appellatio.

Quod hac ratione obtinere non potuerunt, alia methodo consequi posse censuerunt Presbyteri; Consilio siquidem coacto die 16. Decembris anno 1754. decreverunt nullum ex Presbyteris subire deinceps posse Subprioris Officium, quod incompatibile esset cum officiis, & oneribus Presbyterorum illius Collegii: quia vero reservatum fuerat *Beneplacitum Superiorum*, Episcopus aditus renuit Decretum illud approbare. Hanc itaque approbationem postularunt Presbyteri ab Eminentissimis Patribus. Auditis Epi-

Episcopo Vasionensi, & Archiepiscopo Avenionensi, qui contra Presbyteros responderunt, Eminentissimi Patres *in Congregatione* habita *die* 8. *Maii* 1754. preces Presbyterorum rejecerunt. Hac tamen rejectione non territi Dubium proponi petierunt. Proponitur nunc, & disputat contra eos Subprior reiiciendam esse iterum eorum postulationem, quod a centum, & qui excurrunt, annis, idem Subprioris munus gestum fuerit ab aliquo ex Presbyteris, ut hæc observantia satis monstret, non subsistere incompatibilitatem illam, quæ est fundamentum decreti Presbyterorum, neque Capitulum Avenionense sine necessitate cogendum esse, ut, aucto stipendio, exterum Sacerdotem conducat, cum nullus in eo Oppido Sacerdos sit, qui Collegio Presbyterorum non sit adscriptus; Excludi omnem incompatibilitatem, cum servitium Ecclesiæ, & Subprioris Officium in idem colliment: Quod si aliquando ratione ejusdem Officii Choro interesse nequeat Subprior distentus administratione Sacramentorum, non ideo tamen argui possit incompatibilitas, cum in ipsis Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis pro præsentibus habeantur, qui ex causa curæ animarum Choro divinisque officiis non intersunt. Hæc, atque alia in suo libello Subprior. A Presbyteris nihil habuimus. Dubium est.

An resolutio generalis capta a Presbyteris Aggregatis Ecclesiæ Parochialis Malaucenæ sub die 16. *Decembris* 1754. *sit approbanda in casu &c.*

Negativè, & amplius.

ROMANA, SEU WARMIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Speciem omnem hujus Causæ, quæ agitur inter Collegium S. Norberti Patrum Præmonstratensium Urbis, & Patronos Collegii Warmiensis, sive Præykiani repetere poterunt Eminentissimi Patres ex Causa *Romana*, *seu* Warmien. *Redditionis rationis*, quæ data fuit *in* Folio *Congregationis* habitæ *die* 28 *Septembris anno* 1754. quod in hominum lucem editum fuit in *Vol. XXIII. Thes. Resol. Sac. Congr. pag.* 78. Tria erant Causæ illius Dubia, & primum dumtaxat propositum fuit, quod redditionem rationis respiciebat, neque definitum fuit, rescribentibus Eminentissimis Patribus -- *Dilata*, *& ad mentem* -- quæ fuit, ut Causa reproponeretur cum aliis Dubiis. Numquam tamen reproposita fuit, quod Patroni, mutato consilio, preces obtulerint Sacratissimo Principi nostro, quibus postularunt translationem Collegii Præykiani a Collegio Norbertino ad aliud Urbanum. Quatuor postulationis hujus causæ proponebantur: Prima, quod Fundator *provisionaliter* suam fundationem univerit Collegio Norbertino, cum sibi potestatem reservaverit, *necessitate ita exigente*, *in alium Locum*, *& etiam Civitatem trasferendi*: Altera, quia Collegium Norbertinum in extremis fere Urbis finibus situm Alumnis maxime incommodum sit, qui juxta legem fundatio- *Sess. 22. c. 6. de ref.*

dationis, vel Romanum Collegium, vel Archigymnasium celebrare debent studiorum causa: Tertia, quia eadem impensa plures in alio Collegio retineri possint Alumni, quam in Norbertino, in quo duo tantum ali possunt: Quarta demum, quod redditus fundationis Præykianæ male a Præsidibus Norbertinis administrati fuerint, & administrentur, ut probatum fuit Eminentissimis Patribus tum,cum de redditione rationis actum fuit. Provinciam verificandi has Causas nobis demandata fuit ab Optimo Principe, sed visum est eas Judicio Eminentissimorum Patrum subiicere.

Disputat nunc Præses Collegii Norbertini translationi huic locum esse non posse, quia commutanda sit Fundatoris voluntas, quod sine justa, & necessaria causa fieri nequeat, præsertim in damnum, & diminutionem Juris alteri quæsiti, ut est Collegium Norbertinum, ejusque Præsides: nullam hic esse Causam, quia quatuor a Patronis propositæ non subsistant. Non prima, quia Fundator sibi tantum potestatem reservaverit transferendi Collegium, & quidem *necessitate ita exigente*, non Patronis, quibus immo vetuit, ne quid immutarent, indicta pœna caducitatis a Jure nominandi Alumnos: Non secunda, quia eadem nunc sit distantia Collegii Norbertini ab Archigymnasio, & Romano Collegio, quæ erat tempore fundationis, ideoque, si hujus distantiæ, & incommoditatis nullam Fundator rationem habuit, nequeat nunc eadem distantia proponi pro justa causa translationis; non tertia, quia redditus Fundationis Præykianæ imminuti fuerint sine culpa Præsidum Norbertinorum, neque iisdem redditibus augeri possit Alumnorum numerus in alio Collegio, quod eadem, non major requiratur impensa; non denique quarta, quia male de administratione gesta redarguantur Præsides Norbertini, qui se ab impictis accusationibus purgarunt coram Eminentissimis Patribus, cum Dubium *de redditione rationis* propositum fuit, & nunc etiam late purgantur. Longum esset omnia, quæ Præses Norbertinus habet in suo libello, perstringere. A Patronis nihil hactenus habuimus. Dubium est.

An sit locus commutationi voluntatis, seu translationi Collegii in casu &c.

Dilata, & proponatur omnino in prima post proximam etiam unica.

Die

Die Sabbathi 17. Julii 1756. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes, quæ ordine ſuo ſequuntur, Cauſæ in *ultima Congregatione* habita *die* 26. tranſacti *menſis Junii* dilationem obtinuerunt ad hanc *Congregationem*. Rogamus igitur Eminentiſſimos Patres, ut ad earum Dubia expedienda *Folium ejuſdem Congregationis* iterum conſulant.

TRICARICEN. BENEFICII: cujus duo ſunt Capita. *Seſs. 21. c. 5. de Ref.*

I. *An ſit locus confirmationi unionis, ſeu illius ſanationi?*
II. *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis quoad II. Dubium in caſu &c.*

Negativè in omnibus, & amplius.

NOLANA PAROCHIALIS: in qua quæritur: *Seſſ. 21. c. 4. & Seſſ. 24. c. 13. de Ref.*

An ſit locus approbationi Concordiæ favore Principis Striani, ſeu potius ſit locus approbationi alterius prætenſæ Concordiæ favore D. Præſidentis Hiacynthi Pauli Urſini.

Affirmativè ad primam partem juxta modum, & ad mentem: Negativè ad ſecundam.

BAREN.; in qua XIII. Dubia diſputantur. *Seſs. 23. c. 13. & c. 14. ſeſſ. 24. cap. 1. de ref. matr. & c. 18. de ref.*

I. *An cura animarum Parochialis, & Collegiatæ Eccleſiæ Terræ Nojæ reſideat privative tam habitualiter, quam actualiter penes Archipresbyterum, ſeu potius penes Capitulum in caſu &c.*

An

II. *An denunciationes, & publicationes, quæ fiunt inter Missarum solemnia pro contrahendis matrimoniis, promovendis ad sacros Ordines, excommunicationibus, & indulgentiis, pertineant privativè ad Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine, favore Canonicorum Primiceriorum, sitque servanda in casu &c.*

III. *An delatio stolæ in funeribus, & absolutio super cadavera explendæ sint per Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonici Confessarii, eaque sit servanda in casu &c.*

IV. *An jus deferendi Sacrum Viaticum, & Oleum Sanctum infirmis pertineat privativè ad Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonici Confessarii, qui peccata eorum audiverit, & sit servanda in casu &c.*

V. *An benedictio domorum in die Sabathi Sancti spectet ad Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine, sitque servanda in casu &c.*

VI. *An benedictio mulierum post partum privative spectet ad Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine favore Capituli, sive Canonicorum deputandorum, eaque veniat servanda in casu &c.*

VII. *An liceat Confessariis Canonicis requisitis privativè quoad Archipresbyterum ministrare independenter Sacramentum Baptismatis in casu &c.*

VIII. *An in omnibus supradictis actibus, & functionibus, quatenus expleri possint per Canonicos, intelligendum sit exclusivè, & privativè quoad ipsum Archipresbyterum præsentem, & per se ipsum ministrare volentem in casu &c.*

IX. *An tam supra enunciati actus, & functiones, quatenus spectent privativè ad Archipresbyterum, quam aliæ, quæ fiunt in Sabatho Sancto, in Dominica Palmarum, in Feria quarta Cinerum, & quinta Cœnæ Domini, ac in Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, eo absente, vel impedito, expleri valeant ab ejus substituto etiam non Canonico in casu &c.*

X. *An emolumenta pro administratione Sacramentorum, aliarumque functionum ad curam animarum spectan. percipi debeant ab Archipresbytero, seu potius constet de contraria consuetudine, eaque sit servanda in casu &c.*

XI. *An claves Baptisterii, Sacri Tabernaculi, & Olei Sancti sint retinendæ per Archipresbyterum, seu potius per Sacristam ejusdem Ecclesiæ, & Capituli in casu &c.*

XII. *An Subsacristæ in eadem Ecclesia eligi valeant quolibet anno absque intelligentia, & approbatione Archipresbyteri in casu &c.*

XIII. *An constet de attentatis, & per quem, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Dilata ad primam post proximam.

AME-

AMERINA. Data fuit hæc Causa in *Folio Congregationis* habitæ *die* 8. superioris *mensis Maii*, & ab Eminentissimis Patribus definita. Duo erant ejus Capita I. *An Sacerdos Ignatius Torretti adscriptus servitio Parochialis Ecclesiæ Alviani, & pro necessitate ejusdem Ecclesiæ ad Sacros Ordines promotus Titulo Cappellaniæ obtentæ in Ecclesia S. Ignatii Urbis sibi a Sacra Congregatione perpetuatæ, potuerit contra formam præcepti Episcopi ab eadem Ecclesia discedere, & valeat in eadem Urbe permanere in casu*. II. *An, & in pœnas conciliares sibi comminatas inciderit in casu &c.* -- quibus respondit Sacrum Tribunal -- *Ad* I. *negativè assignata congrua per Episcopum*: *Ad* II. *Consulat Conscientiæ suæ* - Redit nunc Sacerdos Ignatius ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, & respondendum erit. *Sess. 23. c. 16. de refor.*

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

PERUSINA PAROCHIALIS: Definita fuit hæc Causa in *ultima Congregatione* habita *die* 26. transacti *mensis Junii*, & duobus ejus Dubiis, quæ erant I. *An constet de mala relatione Examinatorum, itaut R. D. Franciscus Delicati sit deputandus ad curam Animarum Parochialis Ecclesiæ S. Crucis in casu &c.* & quatenus negative. II. *An sit Locus novo examini in casu &c.* -- Responderunt Eminentissimi Patres - *Esse locum novo Examini in Urbe* - Ad novum nunc hæc definitio revocatur examen, & respondendum est. *Sess. 24. c. 18. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

FIRMANA LEGATI: Testamento, quo decessit anno 1622. Alcides Galassius scripto hærede Prospero Galassio Fratris Filio, ejus linea defecta substituit Sodalitium *Sanctissimæ Spinæ* erectum in Ecclesia S. Augustini Civitatis Firmi, dato onere *con li frutti dell' eredità di esso Testatore fare un Altare di marmo in detta Chiesa di S. Agostino &c. ed ivi si debba celebrare la Festa di S. Basso, e debba dotare detto Altare di scudi* 100. *parimente con li frutti della sua eredità, e si debba officiare dalli PP. di S. Agostino, quali PP. siano obligati celebrare in detto Altare due* *Sess. 25. c. 4. de Ref.*

Messe la settimana per l' Anima di esso Testatore -- Pergit Testator, *E dopo che sarà compito detto Altare, e dotato come sopra delli frutti della sua eredità per l' avvenire in perpetuo ogn' anno ne debba fare tre parti, d' una parte possa detta Compagnia disporne a suo Beneplacito per suoi bisogni, e farci celebrare un Ufficio, e dodici Messe per l' anima di esso Testatore ogn' anno in perpetuo, e con l' altre due parti dotarci due orfanelle, ovvero bisognose di questa Città*. Venit casus substitutionis, & Sodalitium, extructo Altari, publicis Tabulis sese obligatum voluit singulis annis solvere Patribus pro eleemosyna sacrorum sc.12.: Atque hac methodo ventum est ad annum 1689., quo Cardinalis Ginnettus Archiepiscopus Firmanus in sua Visitatione decrevit -- *Poni ad Censum perpetuum scuta centum cum expressione, quod sint ad favorem Legati Alcidis Galassi pro Missis celebrandis in Altari S. Bassi, & in posterum non solvantur pro eleemosyna, nisi fructus retrahendi ex ipso Censu: Quod si qui pro tali eleemosyna satisfiant inveniri non poterunt, ad Sacram Congregationem Sacri Concilii Interpretum pro reductione recursus habeatur, & interim huic decreto nullo modo contraveniatur sub pœna refundendi de proprio* --

Huic tamen Decreto non obtemperarunt Sodales, sed ad hæc usque tempora solverunt Patribus annua sc.12. Tandem certiores facti de decreto Cardinalis Ginnetti postularunt ab hoc Sacro Tribunali ejusdem exequutionem. Auditus Archiepiscopus, ut varia sunt hominum judicia, discessit a sententia sui Prædecessoris, censuitque nihil esse mutandum. Disputant nunc Sodales, non fuisse datum onus a Testatore solvendi quotannis stipendium Sacrorum PP. Augustinianis, sed tantum præstandi sc.100. pro dote Altaris: Onus agendi sacra datum fuisse PP. solutione igitur sc.100., quæ fundum constituant Dotis, eos plenissime liberari; Atque ita ab hac Sacra Congregatione definitum fuisse *in Firmana Reductionis Missarum* 24. *Augusti* 1686., & *in Pistorien. reductionis Missarum* 28. *Septembris eodem anno*: neque ad rem pertinere, quod Sodalitium hæres sic Testatoris, aut quod annua sc.12. debeantur ex contractu: Nam qualitas hæreditaria non facit, ut hæres teneatur ad onus, quod Testator non dedit, & contractus initus fuit in sequelam dispositionis Testamentariæ, itaut alio Jure censeri non debeat: Cogi vero non posse ad supplementum, quia taxativè non demonstrativè data fuerint sc.100., ideoque si eorum redditus satis esse non possit stipendio sacrorum, reductioni, non supplemento locus esse debeat ut recte decrevit Cardinalis Ginnettus. Hæc Sodales. A PP. S. Augustini nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An Hæres Alcidis Galassi investiendo sc.*100. *liberetur ab annua præstatione sc.*12. Et quatenus affirmativè.

II. *An sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Iterum proponatur.

Sess. 24. c. 12. de Ref.

ASCULANA ERECTIONIS CANONICATUS: Deceſſit anno 1736. Advocatus Antonius Teſta ſcriptis hæredibus Emigdio Fratre, & Franciſco Filio Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Aſculanæ in dicta caducitate, niſi intra decendium tabulas ſuas acceptarent. Hæredibus defunctis, juſſit, ut ea ſuæ hæreditatis portio, quæ erat in Cenſibus, Creditis, & Domibus, quæque eſſe poterat in ſumma ſc.4000., tribueretur Capitulo,& Canonicis ejuſdem Eccleſiæ Cathedralis cum onere perpetuo agendi tot ſacra ſive annua, ſive quotidiana, quot reſponderent redditibus ratione aſſium 18.pro quolibet ſacro. Portio vero altera quæ erat in prædiis ruſticis, & latifundiis cederet in erectionem novi Canonicatus in eadem Eccleſia Cathedrali, cujus Poſſeſſor haberet *il Titolo di Canonico Canoniſta*, eidemque incumberet *il peſo di leggere publicamente a chi vorrà ſtudiare gl' Iſtituti, e Legge Canonica concernente la materia dell' uno, e l' altro Foro*. Proviſio vero, & Collatio hujus Canonicatus voluit, ut ſemper fieret *per via d' eſame formale, conforme ſi conferiſcono gl' altri dui Canonicati Teologale, e di Penitenziere a tenore della Coſtituzione della S. M. di Benedetto XIII., con la giunta unicamente nell' Eſame, concorſo di due Eſaminatori Laici Legali, o Eccleſiaſtici, che dovranno deputarſi dal Collegio de Dottori Legiſti di Aſcoli, o del loro Corpo, o fuori ad arbitrio di eſſo Collegio, i quali vi abbiano il voto conſultivo*.

Conditiones autem,quibus fieri deberet erectio his verbis expreſſit: Primo *che l' Eligendo ſia vero Dottore nell' una, e nell' altra Legge, Laureato nella publica Univerſità, e che tra eſſi ſia preferito il Lettore Civiliſta, o Canoniſta a chi non aveſſe mai letto, o interpretato Leggi*. Secondo, *che il nobile dell' ordine almeno degl' Illuſtriſſimi Signori Anziani data la capacità, ed equal perizia nelle Leggi, e ne' coſtumi degl' altri ſia preferito*. Terzo, *che in caſo, che li Preeligendi foſſero più d' uno di numero, e con gli eguali requiſiti rimanga l' arbitrio all' Illuſtriſſimo Capitolo, e Canonici di preſcegliere chi parerà loro più opportuno con la ballottazione ſegreta de lor voti*. Quartam conditionem cum ad rem non pertineat omittimus. Quinto, *che al detto Canonico Canoniſta competano tutte le preeminenze, che godono gl' altri Signori Canonici ſi nell' Abito eſtivo, e jemale, come nell' Luogo in Capitolo, e ſtallo in Coro, ed in ogn' altro trattamento in niſſun conto difforme da quello di tutti gl' altri, e con l' anzianità, e perciò ne giorni non occupati nella Lettura ſia tenuto a preſtare l' intereſſenza, e canto in Coro in tutte le ore Canoniche ſotto pena di Puntatura conforme ſoggiacion gl' altri, e con la partecipazione di tutti gl' emolumenti, e delle meſſe che ſi dividono tra tutti gl' altri Signori Canonici*. Facultates tribuit Epiſcopo una cum Capitulo *in caſo conveniſſe nell' erezzione aggiungere qualche altra proviſione alle premeſſe non difforme di accreſcerla, o ſcemarla come parerà alla loro prudenza*.

Tabulas denique ſuas his verbis clauſit *Che quando la piena eſecuzione del detto Canonicato Canoniſta con la real Lezzione &c. e ſervizio del Coro non ſeguiſſe dentro il termine di due anni ad ſummum*

 dal

dal giorno della morte dell' ultimo di detti miei Figlio, e Fratello, s' intendano tutti li sudetti miei Terreni assegnati per fondo del Canonicato Canonista, devoluti senza alcun decreto di Giudice alla Ven. Congregazione del Santissimo Bambino Gesù, ed alle Signore Convittrici d' Ascoli, nelli quali Terreni tutti lascio adesso per allora, ed in tal caso, e nomino erede l' istessa Congregazione senza alcun peso, fuorche d' adempire il loro Istituto. Defuncto Testatore, ultimam ejus voluntatem ratam habuit Emigdius Frater, non Filius, & anno tandem 1754. mense Octobri venit, cessitque dies erectionis Canonicatus morte ejusdem Emigdii, qui hæredem scripsit Cathedralis Ecclesiæ Capitulum. Compertum fuit ex statu Bonorum, quæ Fundum faciunt novi Canonicatus, redditum annuum esse in sc.120. Morte tamen Episcopi dilata fuit Canonicatus erectio. Novus, qui Asculanam Ecclesiam obtinuit Episcopus extremam erectioni manum imponere parabat, sed perficere non potuit contradicentibus nonnullis Canonicis, qui contendebant reiciendas esse conditiones illas, ut novus Canonicus particeps esset massæ Communis, & quotidianarum distributionum, & præeminentiarum omnium, quibus cæteri utuntur Canonici, cum Jus posceret erectionem ita faciendam esse, ut hic Canonicatus novæ, ac distinctæ erectionis esset, & a Capitulari cætu penitus separatus, & sejunctus.

Nihil intactum reliquit Episcopus, ut contradictores ab oppositione recederent. Dicebat *nullum præjudicium inferri Massæ communi, quia facile servari poterant eædem quotidianæ in singulos Canonicos Distributiones, quæ 40. circiter scuta pertingunt, quoties ex fructibus hæreditatis Testa æqualis summa quotannis deponeretur*, ut nempe pars cederet in Distributiones quotidianas, pars in Præbendam novi Canonici: Addebat id saltem *convenire titulo grati animi erga eumdem Benefactorem, qui sc.4000. circiter legavit Capitulo cum onere missarum ad rationem 18. assium pro qualibet*: Sed hæc omnia Episcopus frustra. Collegium igitur Doctorum Civitatis Asculi preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, ne interim laberetur biennium a Testatore præfinitum. Data fuit postulationis hujus cognitio Eminentissimis Patribus, ad quos etiam venerunt Convictrices substitutæ. Auditus fuit Episcopus, adjecta formula *Tempus, & Tempora non currere per tres menses*: Episcopus contra Canonicos contradictores pro erectione respondit. Causa nunc proponitur, & Promotor Fiscalis, ac Doctorum Collegium Jura dedit in Libello, quæ non exscribimus, ne *Folium* in volumen excrescat. A Canonicis, & Convictricibus nihil habuimus. Duo sunt Dubia expedienda.

I. *An, & quomodo sit locus Erectioni Canonicatus, seu potius substitutioni favore Convictricium?*

II. *An expensæ præsentis litis sint desumendæ, ex Bonis hæreditariis, seu potius an, & a quibus debeant refici in casu &c.*

Non proposita.

SALU-

SALUTIARUM JURIS VISITANDI : Veniam postularunt anno 1651. a san. mem. Innocentio X. Patres Minores Observantes Sancti Francisci Carmigliolæ agendi Sacrum in Cappella extruenda in Burgo Salsasii, & Divo Antonio Patavino dedicanda. Annuit Summus Pontifex, & mandavit Episcopo Salutiarum, ut *si dicta Cappella publico in loco sita fuerit, & a privatis Domibus ita separata extiterit, ut per eas ad illam accessus, aut prospectus minime pateret, Cappellam præfatam sub prohibitione de mandato san. mem. Pauli V. de non celebrando in privatis Oratoriis publicata, haud quaquam comprehensam declaret, atque ulterius sine præjudicio quorumcumque jurium Parochialium dictum Sacrosanctum Missæ sacrificium per quemcumque Sacerdotem sive sæcularem, sive regularem in ea celebrari Apostolica Auctoritate permitteret*. Ædificata fuit Cappella, cum adnexa religiosa Domo, ideoque tunc temporis Salutiarum Episcopus, dum anno 1654. Visitationem ageret, eam visitavit, & reputans factum id esse contra Constitutiones Apostolicas, & præsertim *de non dormiendo extra Conventus* decrevit hac de re consulendam esse Sac. Congregationem negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, inhibuitque Fratribus sub pœna interdicti ejusdem Cappellæ, ne in adnexa Domo dormirent. Hanc eamdem Cappellam alii duo visitarunt Episcopi, alter anno 1702., alter, qui nunc Ecclesiæ Salutiarum præest anno 1743., neque his visitationibus contradixerunt Fratres, neque appellarunt. Iterum eam visitare voluit Episcopus anno 1754., sed restitit Guardianus renuens eam recludere, & Episcopum visitantem excipere, qui ideo eam publice interdictam declaravit. *Sess. 7. c. 8. de ref.*

Appellarunt Fratres ad hoc Sacrum Tribunal, & disputat nunc Promotor Fiscalis in suo Libello jus favere Episcopo, qui potest omnes Ecclesias, & Cappellas Regularium a Claustris separatas visitare: satis igitur ei esse, si exceptiones exemptionis, quas Fratres proponunt, dubias reddat, præsertim cum in possessione sit visitandi per fugam centum annorum. Frustra igitur exemptionem ab iis desumi a Brevi Innocentiano, quæ ipsa Parochialia jura integra esse voluit; frustra ex Privilegiis, quæ concessa sunt aliis Regularibus, & ex communicatione quæsitis, cum agant de aliis Cappellis, quæ nempe sunt in Granciis; Frustra denique ex Testibus de antiqua consuetudine Episcoporum abstinendi a Visitatione testificantibus, cum reprobentur ab ipsis Visitationibus Episcopalibus, quas supra retulimus: Hinc substinendum esse colligit *Interdictum*, cui supposita fuit Ecclesia, neque illud revocandum, quousque ad ejusdem Visitationem Episcopus non admittatur. Hæc Promotor Fiscalis. A Fratribus nondum libellum jurium habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An competat Episcopo jus visitandi Ecclesiam, seu Cappellam Sancti Antonii de Padua Carmignolæ in casu &c.*

II. *An substineatur Interdictum?*

Dilata ad sequentem.

RE-

Sess.24.c.12. de ref.

RECINETEN. SERVITII CHORI: Cum ante annum 1621. Dignitates, & Canonici Cathedralis Ecclesiæ Recineti Choro Divinisque Officiis interesse negligerent ob tenuitatem redditum, Cardinalis Roma, qui Ecclesiæ illi præerat omnem operam suam collocavit, ut quatuor Sodalitia, quæ plurium Beneficiorum Patronatum habebant, non alios ad ea præsentarent quam Dignitates, & Canonicos, atque ita publicis tabulis servare spoponderunt, statuta eorumdem Canonicorum, & Dignitatum annua provisione, ad quam fructus conferendorum Beneficiorum pervenire deberent. Constitutum itaque fuit, ut Dignitates, & Canonici tot Beneficia habere possent, quot redderent annua scut.130., non tamen minus scut.100., & ideo permissa fuit divisio Beneficiorum, quæ redditum annuum haberent scut.200. Data quoque fuit optio ad Beneficia pinguioris redditus, dimissis tenuvioribus, ut ita annua scut.100. consequi possent: Atque hæc omnia probavit, & confirmavit Urbanus VIII. Pontifex Maximus. Hinc evenit, ut dispar esset Dignitatum, & Canonicorum conditio, & inæquale Chori servitium; qui enim nullam habent Beneficiorum provisionem diebus dumtaxat Domini, aliisque Festis Choro Divinisque Officiis intersunt; qui vero dimidiam, nempe scut.50., etiam Adventus, & Quadragesimæ temporibus.

Coadjutor Archipresbytero Leonardo Colleoni Apostolica auctoritate datus fuit anno 1738. Clemens Antonius Politi annum agens 18., qui omnia hæc ignorans, licet alium non habeat redditum, quam sc.60., quotidie tamen Choro, Divinisque Officiis interfuit. Cum vero inde ob mortem Canonicorum resciverit, & Urbanam Constitutionem, & jus optionis, curavit, ut a Sodalitiis ad pinguiora Beneficia præsentaretur, sed cesserunt in irritum semel, & bis, quas obtinuit, præsentationes, & victus fuit etiam judicialiter, ideoque post tot servitii annos videns se deceptum spe obtinendi Beneficia abstinere cæpit a servitio Ecclesiæ. At Canonici eum teneri ad fallentias contendebant: Confugit igitur ad hoc Sacrum Tribunal postulans non teneri nisi diebus Dominicis, aliisque Festis, & tempore Adventus, & Quadragesimæ. Auditus Episcopus secundum Canonicos respondit in possessorio Judicio: sed quoniam Sacrum hoc Tribunal Interdictum Prætoris *uti possidetis* non sequitur, & rem *de jure* cognoscit, ac definit, ideo, in jus vocatc Capitulo, quod tamen nondum venit, disputat nunc Archipresbyter ad quotidianum servitium cogi non posse defectu integri redditus. Duo igitur Dubia sunt expedienda.

I. *An Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Recineti teneatur Choro interesse diebus tantum festivis de Præcepto, & tempore Adventus, & Quadragesimæ?* & quatenus affirmative.

II. *An teneatur solvere fallentias pro tempore præterito in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

Die

Die Sabbathi 7. Auguſti 1756. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUatuor primæ, quas ſubjicimus, Cauſæ in *ultima* Ampliſſimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 17. tranſacti *menſis Julii* definitæ non fuerunt. Rogamus igitur Eminentiſſimos Patres, ut ad eas definiendas *Folium ejuſdem Congregationis* iterum conſulant.

FIRMANA LEGATI, cui reſcriptum fuit -- *Iterum proponatur* --, & cujus duo ſunt Dubia. *Seſs. 25. c. 4. de ref.*

I. *An Hæres Alcidis Galaſſi inveſtiendo ſc.* 100. *liberetur ab annua præſtatione ſc.* 12. Et quatenus affirmative.

II. *An ſit locus reductioni Miſſarum in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem.

ASCULANA ERECTIONIS Canonicatus, quæ *non* fuit *propoſita*, & duo habet Capita. *Seſſ. 24. c. 12. de ref.*

I. *An, & quomodo ſit locus erectioni Canonicatus, ſeu potius ſubſtitutioni favore Convictricium?*

II. *An expenſæ præſentis litis ſint deſumendæ, ex Bonis hæreditariis, ſeu potius an, & a quibus debeant refici in caſu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem: Affirmative ad ſecundam. Ad II. Expenſas litis deſumendas eſſe ex bonis hæreditariis, & amplius.

SALUTIARUM JURIS VISITANDI, quæ *dilationem* obtinuit ad *hanc Congregationem*, & duo pariter habet Capita. *Seſs. 7. c. 8. de ref.*

I. *An competat Epiſcopo jus viſitandi Eccleſiam, ſeu Cappellam Sancti Antonii de Padua Carmignolæ in caſu &c.*

II. *An ſuſtineatur Interdictum?*

Negative ad utrumque.

RECI-

Sess.24. c.12. de ref.

RECINETEN. SERVITII CHORI, quæ ut præcedens *dilationem* obtinuit ad *hanc Congregationem*, ejusque duo sunt Dubia.

I. *An Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Recineti teneatur Choro interesse diebus tantum festivis de Præcepto, & tempore Adventus, & Quadragesimæ* ? & quatenus affirmative.

II. *An teneatur solvere fallentias pro tempore præterito in casu &c.*

Ad I. Affirmative : Ad II. Negative.

Sess.22. c.6. de ref.

ROMANA SEU WARMIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS: Causam hanc damus obsequentes imperio Eminentissimorum Patrum, qui in *Congregatione* habita *die* 26. superioris *mensis Junii*, in cujus *Folio* data fuit, rescripserunt -- *Dilata, & proponatur omnino in prima post proximam etiam unica*. Poterunt itaque idem *Folium* iterum consulere, ut ejus Dubium expediant.

An sit locus commutationi voluntatis, seu translationi Collegii in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess.22. c.8. de ref.

ARIMINEN. Dedimus omnem hujus Causæ speciem *in Folio Congregationis* habitæ *die* 22. *Novembris* transacto *anno* 1755. quod publici Juris factum fuit *Vol.XXIV. Thesau. Resolut. Sac. Congreg. pag.*93. Ex VI. Dubiis ejusdem causæ *primum* dumtaxat definitum fuit, in quo quærebatur -- *An solum, in quo ædificata reperiuntur duo Oratoria S. Mariæ de Paradiso, & S. Josephi, spectet quoad utile dominium ad Societatem S. Josephi, seu potius ad PP. Minores Conventuales*? cui Sacrum Tribunal respondit -- *spectare ad Societatem quoad usum tantum*. Cætera Dubia definita non fuerunt, indulta *dilatione*, adjectumque fuit *scribatur Episcopo juxta Instructionem*. Scriptum fuit Episcopo, & rescripsit. Cum vero utraque Pars definitionem *primi Dubii* justam agnoverit, reproponuntur nunc reliqua V. Dubia, ut ab Eminentissimis Patribus definiantur.

I. *An Episcopus possit privative, seu cumulative visitare dicta duo Oratoria, eorumque Altaria, & omnia adnexa*.

II. *An Pat. Guardianus Minorum Conventualium possit assistere uti Præses Congregationibus prædictæ Societatis, & duo suffragia habere in scrutiniis*? Et quatenus affirmative.

III. *An hoc idem liceat Reverendissimo Episcopo, ejusque Vicario Generali, vel alteri eorum nomine?*

IV. *An liceat PP. Minoribus Conventualibus aggregatis dictæ Societati interesse Congregationibus, ac ibi habere vocem activam, & passivam?*

V. *An dicta Societas S. Josephi subjecta sit Episcopi Jurisdictioni, itaut teneatur exequi ejus mandata, & decreta, quæ etiam extra Sacram Visitationem edi contigerit pro bono regimine?*

Ad I. Visitare posse cumulative quoad ea tantum, quæ spectant ad societatem. Ad II. Affirmative ut unum tantum habeat suffragium. Ad III. Negative. Ad IV. Affirmative cum voce activa tantum. Ad V. Affirmative in iis, quæ spectant ad societatem, & amplius in omnibus.

DERTHUSEN. APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO: Censuit Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Derthusensis, quod habitualem Curam Animarum totius Urbis habet, Vicarios Curatos, qui *Commensales* nuncupantur, quique actuale ejusdem Curæ exercitium habent, teneri singulis diebus Sacrum pro populo applicare, idque cum cantu, atque hac de re quædam lata fuerunt Capitularia Decreta. Curati *Commensales* ad hoc Sacrum Tribunal venerunt, contendentes non teneri, nisi diebus Festis, & sine cantu. Auditus Episcopus secundum Curatos *Commensales* respondit. Causa nunc proponitur, disputantque Vicarii ex sententia Sacri hujus Tribunalis non posse cogi ad quotidianam applicationem Sacri pro populo, sed diebus tantum Festis, ut refert *Scarfanton. ad* Ceccoper. *Lucubr.* Canon. *addit.* 9. *numer.* 12., & 14., & *in Tolentina Missæ Parochialis, & Professionis Fidei* 16. *Maii* 1739. *ad I. Dubium Vol. IX. Thesaur. Resol. Sac. Congreg.* Neque a Capitulo opponi posse leges fundationis, cum fundatio duorum ex his quatuor Vicariis non reperitur; fundationes vero aliorum duorum id non habeant; Atque hinc nullam habendam esse rationem decreti lati anno 1656. a Vicario Generali Derthusensi, quo *Commensales* ad hanc applicationem quotidianam damnati fuerunt, quod latum fuerit sub supposito legum fundationis, quæ nullæ sunt: præsertim cum idem decretum observatum, atque exequutum non fuerit, recusantibus semper Curatis *Commensalibus* hoc onus. Hæc summa est eorum libelli. A Capitulo nihil habuimus. Dubium est. *Sess. 5. c. 2. de ref.*

An Curati *Ecclesiæ* Cathedralis *Derthusen. teneantur applicare, & respective canere in horis matutinis Missam quotidianam pro Populo in casu &c.*

Affirmative sine cantu, attentis peculiaribus circumstantiis.

Sess.22. c.8. de ref.

EUGUBINA, SEU PERGULEN. Testamento Luciæ Vennaruccíæ hæres scriptus fuit usufructuarius Fulvius Francaluccius vir, eoque defuncto, voluit Testatrix, ut in Civitate Pergulæ erigeretur Cappellania laicalis cum onere Sacri quotidiani. Jus nominandi Cappellanum tribuit Augustino Vennaruccio fratri suo, inde omnibus ejus liberis, & descendentibus in infinitum, masculis primum, inde fæminis; omnibus vero deficientibus substituit filios Fulvii Francalucci viri, quos ex nuptiis secundis susciperet. Jussit autem, ut si hæreditas non solum satis esset pro Dote Cappellaniæ, sed etiam excederet, esset *in arbitrio del detto mio erede usufruttuario di erogare, & impiegare il sopravanzo in qualunque opera pia anche segreta, che più li parerà e aggradirà, liberandolo da ogni rendimento di conti*. Hæc Testamento scripta sunt: Codicillis autem mutavit voluntatem, voluitque, ut defuncto viro hærede usufructuario, hæreditatem omnem administraret Cappellanus, cui ex redditibus hæreditariis annua sc.80. addixit, tam pro implendis Cappellaniæ oneribus, quam pro cura administrationis. De reliquis redditibus ita disposuit -- *E del rimanente, cioè detratti sc.80. Romani, del frutto ridotto a danaro si facciano due parti; l' una per distribuirsi egualmente nelle quattro Parochie, ed alli respettivi Curati di questa Città &c. ad effetto s' impieghino, e ciascheduno di loro l' impieghi nella elemosina delle povere Famiglie della loro Parochia &c. e l' altra parte si converta nella vestizione di una persona povera della medema* Città, *che ispirata dal Signore fosse chiamata ad alcuna Religione, oppure nella contribuzione della dote di una Zitella povera di questa Città, che chiamata dal Signore volesse monacarsi.* Quod si vivo viro liquidaretur redditus annuus hæreditatis, potestatem fecit eidem viro *col suo arbitrio meglio determinare le preaccenate cose, e opere pie, volendo, che onninamente debba starsi alla sua determinazione, e volontà, conforme parimente hò ordinato nel detto Testamento.*

Morte obita a Testatrice, Fulvius vir ad secundas venit nuptias cum Junipera Latonia, e qua plures sustulit Filios, decessitque tandem superiore anno 1755. Cum igitur morte Fulvii factus fuisset locus erectioni Cappellaniæ, nullique extarent ex primo vocatis ad Jus nominandi, Junipera uti Mater, & Tutrix Filiorum, qui substituti fuerant in Testamento Luciæ, nominavit Cappellanum Aloysium Francaluccium Filium Fratris defuncti viri, assignavitque eidem annua sc.80., deditque onus administrandi hæreditatem, ea lege adjecta, ut, quidquid ex redditibus superesset, in æde sacra deponeret, ut erogari posset ad formam dispositionis Luciæ Vennaruccíæ. Agitabat Civitas Pergulæ fundationem Collegii Scholarum Piarum pro Juventute religione, & bonis artibus imbuenda, sed deerant pecuniæ pro fabrica Collegii, alia omnia recipiendis PP. Scholarum Piarum necessaria præsto erant: nam Sodalitium Sanctissimi Crucifixi Ecclesiam S. Vitalis cum suppellectili, & argentis, adnexaque Domo, reddituque annuo sc.120. Patribus cesserat, dato tantum onere certum Sacro-

crorum numerum adimplendi: & Civitas ad annuam solutionem sc.130. sese solemniter obligatam voluerat. Cives igitur postularunt a Junipera consensum, ut quidquid, deductis annuis sc.80. pro stipendio Cappellani, superesset ex redditibus hæreditatis Luciæ Vennarucciæ, erogaretur in fabricam Collegii, eoque consensu impetrato, preces obtulerunt Sacratissimo Principi nostro, quibus postularunt, ut quidquid supererat ex redditibus d. hæreditatis, assignaret fabricæ Collegii, suspensa ad aliquod tempus erogatione illa in pauperes familias, & in subsidia dotis, & hujus postulationis cognitio Eminentissimis Patribus data fuit.
Auditus Episcopus Eugubinus Civitatis, & Civium *preces exaudiendas esse* putavit, cum *eleemosynarum, & subsidii dotalis suspensio non multum detrimenti sit allatura pauperibus, & puellis Civitatis Pergulæ, cum ipsarum commodo bina extent subsidia Dotalia, illis vero plures nobiles Familiæ, & de ordine Civium in dies stipem largiantur; e contra vero fundatio Collegii inficiari nequeat, quin in maximam totius Civitatis utilitatem cessura sit, & præsertim juventutis, quæ, & pietate, & literis apprime instrueretur, pro quibus addiscendis unus tantummodo Grammaticæ, & Rethoricæ stipendio conductus præceptor presto est, id quod si præfata Lucia de Venaruccis, quæ Maceratæ diem clausit extremum, advertisset, fortasse Communitatis consilia prævenisset*: Hæc Episcopus. Huic tamen suspensioni contradictorem se præbuit Nicolaus Francaluccius Cappellani Pater, ignoratur quo titulo, cum nullum Filio detrimentum inferatur, cui salva sunt annua sc.80. Nunc igitur Causa proponitur, & Civitas latius disputat indulgendum esse suspensioni, quæ non est vera voluntatis Luciæ commutatio, & si esset, permittendam esse, cum sit in melius; publico siquidem bono consulitur, fere nullo pauperum, ac puellarum detrimento, ut differit Episcopus: eoque amplius, quod incerti sint pauperes, incertæ sint puellæ, ideoque nulla habenda sit ratio detrimenti, quod cadit in personas incertas. Longum esset in facto ita longo omnes Civitatis rationes excerpere, quas Eminentissimi Patres legent in ejus libello. A Nicolao nihil habuimus. Dubium est.

An sit consulendum Sanctissimo pro temporanea suspensione legati quondam Luciæ Vennarucci, illiusque applicatione pro fabrica Conventus Scholarum Piarum in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

Die Sabbathi 28. Augusti 1756. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sac. Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Sess.25. c.4. de ref.

FIRMANA LEGATI: Definitio hujus Causæ in *ultima Congregatione* habita *die* 7. *hujus mensis* dilata fuit ab Eminentissimis Patribus *ad hanc Congregationem*. Rogantur igitur, ut repetita lectione *Folii Congregationis* habitæ *die* 17. *Julii*, in quo primum data fuit, duo ejus Capita expediant

I. *An hæres Alcidis Galassi investiendo sc.*100. *liberetur ab annua præstatione sc.*12. Et quatenus affirmativè.

II. *An sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Negative ad utrumque.

Sess.23. c.1. & cap.14. de ref. Sess. 24. cap.1. de ref. Matrim., & Sess.24. c.18. de ref.

BAREN: Hæc quoque Causa *in Congregatione* habita *die* 17. *Julii* dilata fuit ab Eminentissimis Patribus *ad hanc Congregationem*. Poterunt igitur consulto iterum *Folio Congregationis* habitæ *die* 26. *mensis Junii*, in quo primum data fuit, XIII. ejus Dubia expedire.

I. *An cura animarum Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Nojæ resideat privative tam habitualiter, quam actualiter penes Archipresbyterum, seu potius penes Capitulum in casu &c.*

II. *An denunciationes, & publicationes, quæ fiunt inter Missarum solemnia pro contrahendis matrimoniis, promovendis ad sacros Ordines, excommunicationibus, & indulgentiis, pertineant privativè ad Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine, favore Canonicorum Primiceriorum, sitque servanda in casu &c.*

III. *An delatio stolæ in funeribus, & absolutio super cadavera explendæ sint per Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonici Confessarii, eaque sit servanda in casu &c.*

IV. *An jus deferendi Sacrum Viaticum, & Oleum Sanctum infirmis pertineat privativè ad Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonici Confessarii, qui peccata eorum audiverit, & sit servanda in casu &c.*

V. *An benedictio domorum in die Sabathi Sancti spectet ad Archipresbyterum, seu potius constet de contraria consuetudine, sitque servanda in casu &c.*

VI. *An benedictio mulierum post partum privative spectet ad Archipres-*

presbyterum , seu potius constet de contraria consuetudine favore Capituli , sive Canonicorum deputandorum , eaque veniat servanda in casu &c.

VII. *An liceat Confessariis Canonicis requisitis privativè quoad Archipresbyterum ministrare independenter Sacramentum Baptismatis in casu &c.*

VIII. *An in omnibus supradictis actibus , & functionibus , quatenus expleri possint per Canonicos , intelligendum sit exclusivè , & privativè quoad ipsum Archipresbyterum præsentem , & per se ipsum ministrare volentem in casu &c.*

IX. *An tam supra enunciati actus , & functiones , quatenus spectent privativè ad Archipresbyterum , quam aliæ , quæ fiunt in Sabatho Sancto , in Dominica Palmarum , in Feria quarta Cinerum , & quinta Cœnæ Domini , ac in Purificatione Beatæ Mariæ Virginis , eo absente , vel impedito , expleri valeant ab ejus substituto etiam non Canonico in casu &c.*

X. *An emolumenta pro administratione Sacramentorum , aliarumque functionum ad curam animarum spectan. percipi debeant ab Archipresbytero , seu potius constet de contraria consuetudine, eaque sit servanda in casu &c.*

XI. *An claves Baptisterii , Sacri Tabernaculi , & Olei Sancti sint retinendæ per Archipresbyterum , seu potius per Sacristam ejusdem Ecclesiæ , & Capituli in casu &c.*

XII. *An Subsacristæ in eadem Ecclesia eligi valeant quolibet anno absque intelligentia , & approbatione Archipresbyteri in casu &c.*

XIII. *An constet de attentatis , & per quem , & quomodo sint purganda in casu &c.*

Ad I. Curam habitualem esse penes Capitulum , actualem vero penes Archipresbyterum . Ad II. Affirmative ad primam partem , salvo jure Archiepiscopi , negative ad secundam . Ad III. Affirmative ad primam partem , negative ad secundam . Ad IV. Ut in tertio . Ad V. Affirmative ad primam partem , negative ad secundam . Ad VI. Servetur solitum . Ad VII. , & VIII. Negative . Ad IX. Quoad actus , & functiones supra enunciatas affirmative , in reliquis negative . Ad X. Dilata , & coadjuventur probationes . Ad XI. Claves Baptisterii , & Olei Sancti retinendas esse penes Archipresbyterum , Claves vero S. Tabernaculi penes utrumque . Ad XII. Affirmative . Ad XIII. Dilata .

CONSTANTIEN. PERMUTATIONIS PAROCHIÆ : Postquam Causa , quæ agitur inter Parochum Moeslin , & Collegium Patrum Jesuitarum Friburgi definita fuerat *in Congregatione* habita *die 20. Decembris superiore anno*, & quatuor ejus Dubiis, quorum I. erat , *An Permutatio Parochiæ in Merzhausen. sustineatur in casu &c.* Et quatenus negativè . II. *An sit reintegrandus Parochus Moeslin ad dictam Parochiam , & a quo tempore restituendi fructus Parochiæ in casu &c.* III. *An , & quæ Decimæ dicto*

Sess. 24. c. 18. de reform. & Sess. 25. c. 12. de ref.

cto Moeslin debeantur in casu &c. IV. *An dicto Moeslin debeantur alimenta, & sumptus litis in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres *Ad* I. *Negativè*: *Ad* II. *Affirmativè*, *& restituendos esse fructus a die sequestrationis*. *Ad* III. *Dilata*. *Ad* IV. *Provisum in secundo*. Eamdem Causam iterum dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 20. transacti mensis *Martii*, sed proposita non fuit. Cum nunc, ut credimus, proponatur, expedienda erunt ab Eminentissimis Patribus Duo, quæ sequuntur Dubia.

I. *An sit standum, vel recedendum a Decisis quoad* I. II. *&* IV. *Dubium in casu &c.*

II. *An, & quæ Decimæ dicto Moeslin debeantur in casu &c.*

Dilata ad primam post aquas, subministratis interim scutis centum.

Sess. 24. c. 14. de ref. EMBRICEN. JURIUM CANONICALIUM: Ante hos undecim annos dedimus hanc Causam *in Folio Congregationis* habitæ *die* 18. *Septembris*, *&* 20. *Novembris* 1745., quod in lucem hominum editum fuit *Vol. XIV. Thesau. Resol. Sac. Congregat. pag.* 86., *&* 90. Iterum vero, cum definita non fuisset, eam dedimus in *Folio Congregationis habitæ die* 23. *Septembris* 1747. quatuor ejus Dubia erant I. *An statuta, seu ordinationes de anno* 1638. *facta per Decanum, & Canonicos Embricen. circa Canonicum Sacellanum sustineantur in casu &c.* II. *An Canonicus Sacellanus gaudere debeat Jure Turni, ac voce activa, & passiva, aliisque prærogativis prout cæteri Canonici in casu &c.* III. *An onus celebrandi Missam Parochialem singulis diebus Dominicis, & Festivis spectet ad Canonicum Sacellanum, seu potius ad Capitulum in casu &c.* IV. *An Canonico Sacellano occupato in exercitio Curæ Animarum, & a Choro absenti debeantur distributiones quotidianæ in casu &c.* His respondit Sacrum Tribunal: *Ad* I. *affirmative*: *Ad* II. *negativè*: *Ad* III. *affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam*: *Ad* IV. *affirmativè*, ut *in Thes. Resol. Sac. Cong. Vol. XVI. pag.* 69., *& seq.* Redit nunc Canonicus Sacellanus ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, & respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Dilata, & scribatur Nuncio juxta Instructionem.

ORIO-

ORIOLEN: Data fuit primum hæc Causa in *Folio Congregationis* habitæ *die* 17. *Januarii hujus anni*, sed ejus definitio dilata fuit. Dedimus eam iterum in *Folio Congregationis* habitæ *die* 7. *Februarii*, & definita fuit, contumace tamen Capitulo Oriolensi, & frustra secundam dilationem postulante. Quinque erant ejus Dubia. I. *An Dignitates, & Canonici Præbendati teneantur Sacros Ordines assumere juxta Decretum ab Episcopo promulgatum die* 6. *Decembris* 1749.? II. *An iidem teneantur assistere Episcopo Pontificaliter celebranti?* III. *An similem assistentiam debeant exhibere tempore, quo eodem Episcopo Pontificalia agente, ipse sermonem habet ad Populum, vel potius valeant ad libitum e choro discedere?* IV. *An non promoti ad Ordines Sacros a quo tempore amiserint fructus Canonicatus, & cui debeant illi applicari?* V. *An, & a quo debeant resici sumptus transportationis, & traductionis scripturarum in casu &c.* His respondit Sacrum Tribunal *Ad* I. *affirmativè*: *Ad* II. *affirmativè*. *Ad* III. *affirmativè ad primam partem, & negativè ad secundam*: *Ad* IV. *affirmativè a die decreti Episcopi ad formam Concilii, & esse applicandos Fabricæ Ecclesiæ*. *Ad* V. *Reficiendos esse a Sacrista*. Post hanc definitionem dedimus tertio eamdem Causam *in Folio Congregationis* habitæ *die* 20. *Martii*, & Eminentissimi Patres rescripserunt. *Dilata ad secundam post Agnos*. Oblatis tamen inde Capituli nomine precibus, nova ab Eminentissimis Patribus indulta fuit dilatio. Urget nunc Episcopus Causæ propositionem, ideoque respondendum erit. *Sess.* 24. *c.* 12. *de ref.*

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

CAPUTAQUEN: Ecclesiam habent Monachi Congregationis Montis Virginis, quæ dicitur *S. Honuphrii de Massa diruta*, sita in Territorio Parochiali *di Abetina* Diæceseos Caputaquensis. Est in ea Fons Baptismalis, & admittuntur ad excipiendas Confessiones Sacramentales non ipsi dumtaxat Monachi, sed Sacerdotes quicumque ab Episcopo non approbati, sola impetrata venia a Priore Monasterii. Hæc visa sunt Episcopo non ferenda, & questus est in sua Ecclesiæ relatione, quam fecit in Visitatione Sacrorum Liminum. Cum responsum accepisset, ut hoc Sacrum Tribunal adiret, ita egit, & ut moris est, auditus sententiam aperuit animi sui, qua duo illa damnavit. Prior tamen, & Monachi Jus suum constituerunt in qualitate *Nullius Diœceseos*, qua ea sibi licere putant. Disputat itaque nunc Promotor Fiscalis contra eam qualitatem, neque licere Priori Monasterii veniam dare *Sess.* 23. *c.* 15. *de ref. sess.* 22. *c.* 11. *de ref. &* *Sess.* 24. *c.* 13. *de ref.*

Sacer-

Sacerdotibus ab Episcopo non approbatis audiendi Sacramentales Confessiones; Fontem denique Baptismalem esse removendum. A Priore, & Monachis nihil habuimus. Quinque sunt disputationis Capita.

I. *An Monasterium S. Honuphrii nuncupat: di massa diruta sit nullius Diœcesis?* Et quatenus negativè.

II. *An Priori seu Abbati dicti Monasterii liceat facultatem concedere Sacerdotibus Sæcularibus, vel Regularibus ab Ordinario minimè approbatis audiendi Confessiones Personarum Sæcularium in dicta Ecclesia S. Honuphrii.* Et quatenus negativè.

III. *An Sacerdotes Sæculares, vel Regulares alterius Diœcesis etiam a proprio Ordinario approbati audire possint confessiones Personarum Sæcularium de licentia P. Prioris, seu Abbatis pro tempore ejusdem Monasterii?* Et quatenus negativè.

IV. *An, & in quas pœnas incidant tam Prior, sive Abbas, quàm Confessarii?*

V. *An Fons Baptismalis in eadem Ecclesia positus sit removendus?*

Dilata ad primam post aquas, suspensis interim per modum provisionis, & sine præjudicio Jurium partium Confessariis non approbatis ab Episcopo.

Sess. 24. c. 4. de reform. & Sess. 25. c. 13. de regul.

FAVENTINA JURIUM PAROCHIALIUM, ET PRÆEMINENTIARUM. Diœcesis Faventina in plures Congregationes, & Vicariatus divisa est; Parochi siquidem, & Clerici statis Temporibus apud Archipresbyterum, seu Vicarium illius Congregationis convenientes de negociis ad Parochias pertinentibus, de casibus conscientiæ, aliisque insimul agunt. In una harum Congregationum sunt duo Parochi nempe Hannibal Fanelli Archipresbyter ruralis Ecclesiæ S. Andreæ, qui curam habet Familiarum 78., quæ hinc inde per campos habitant, & Antonius Maria Rossini Parochus Castri Granaroli, qui curam habet Familiarum 150., quæ habitant in eo Castro. Inter hos Parochos quædam exortæ sunt controversiæ: Primò siquidem contendit Archipresbyter Fanelli teneri Parochum Granaroli in Funeribus, Anniversariis, & Festis, quæ in sua Parochiali Ecclesia aguntur, re Archipresbyterum, & cæteros suæ Congregationis Parochos prælativè ad alios simplices Sacerdotes, idque tam ex antiqua consuetudine, quàm ex societate quadam, quæ inter Parochos ejusdem Congregationis contracta sit. Secundò, cum unus sit tempore quadragesimæ, qui prædicationis munus explet in Ecclesia Archipresbyterali S. Andreæ, & in Ecclesia Parochiali Granaroli, contendit Archipresbyter die Festo S. Josephi, præ-

dica-

dicationem faciendam esse in Ecclesia Archipresbyterali, in qua Festum celebratur, non verò in Parochiali, idque ne minuatur concursus Populi ad Ecclesiam. in qua agitur Festum, & ne tollatur tricennaria consuetudo. Tertiò contendit Archipresbyter teneri Parochum Granaroli die Festo Sanctissimi Corporis Christi interesse cum Presbyteris, & Clericis suæ Parochiæ Pompæ seu Processioni, quæ fit in Ecclesia Archipresbyterali, & si non interfit, incidere in pœnas in Synodalibus Constitutionibus indictas Delatis ad hoc Sacrum Tribunal his controversiis, auditus fuit, ut moris est, Episcopus, qui contentus retulisse utriusque Partis rationes abstinuit a suffragio ferendo; Causa nunc proponitur, & Parochus Granaroli longũ dedit libellum, e quo Causæ factum vix percipi potest, totus in refellendis prætensionibus Archipresbyteri: rationes ex eo exscribere longum esset. Ab Archipresbytero actore nihil adhuc habuimus. Quatuor sunt Dubia, quæ expediri debent.

I. *An Archipresbyter S. Andreæ, cæterique Parochi Congregationis debeant prælativè ad Sacerdotes simplices invitari ad Festivitates, Funeralia, & Anniversaria, quæ celebrantur in Ecclesia Parochiali S. Joannis Evangelistæ Granaroli, & in aliis Ecclesiis Parochialibus Congregationis in casu &c.*

II. *An sit servanda asserta consuetudo Ecclesiæ Archipresbyteralis S. Andreæ, & S. Joannis Granaroli, quæ unicum retinet concionatorem in quadragesima, ut in die Festivitatis S. Josephi, quæ celebratur in dicta Ecclesia Archipresbyterali, fiat concio in eadem Ecclesia exclusivè ad aliam Granaroli, ne tollatur Populi concursus in casu &c.*

III. *An in die solemnitatis Corporis Christi Parochus Granaroli debeat personaliter intervenire una cum Presbyteris, & Clericis ejus Parochiæ Processioni, quæ fit in Ecclesia Archipresbyterali S. Andreæ in casu &c.?* Et quatenus affirmativè.

IV. *An ob non interventum d. Processioni incidat in pœnas in Constitutionibus Synodalibus Transgressoribus inflictas in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Seſſ. 21. c. 4. & ſeſſ. 24. c. 13. de ref.

NOLANA PAROCHIALIS. Redit tertiò hæc Cauſa ad Eminentiſſimos Patres: Primò ſiquidem acta fuit inter Principem Striani, & Patres Congregationis Cœleſtinorum de ſeparatione latifundii *di Boſco Reale* a Parochiali Eccleſia Turris Annunciatæ, & hæc poſt longam litem tranſactione ſopita fuit. Inde dum Princeps Striani ejuſdem tranſactionis approbationem poſtularet ab Eminentiſſimis Patribus nova exorta eſt controverſia inter eumdem Principem, & Præſidem Urſinum contendentem approbandam eſſe tranſactionem a Cœleſtinis cum ipſo initam, licèt hæc aſſerta tranſactio nondum viſa fuerit. Propoſito igitur in *Congregatione* habita *die* 17. tranſacti menſis *Julii* Dubio: *An ſit locus approbationi concordiæ favore Principis Striani, ſeu potius ſit locus approbationi alterius prætenſæ concordiæ favore Præſidentis Hiacynthi Pauli Urſini?* Sacrum Tribunal reſpondit: *Affirmativè ad primam partem juxta modum, & ad mentem: & negativè ad ſecundam partem*. Tertiò nunc, ut diximus, redit hæc Cauſa ad Ampliſſimos Patres: Agnovit enim Præſes Urſinus juſtitiam Decreti, ſed adhuc contendit eſſe locum erectioni alterius Parochiæ in ſua Cappella *del Flocco*, quæ non ſolum compræhendat *Maſſariam* ſuam, ſed alias etiam proximas ſitas in eodem Territorio *di Boſco Reale*. Rationes, quibus putat novæ huic diſmembrationi eſſe locum ignoramus, nam in ſuo breviſſimo, quem nobis dedit, libello nullas expreſſit: Dubium eſt.

An ſit permittenda erectio alterius Parochiæ in caſu &c.

Die Sabbathi 18. Sept. 1756. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

SUperſunt ex *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 28. tranſacti menſis *Auguſti* priores duæ, quas ſubiicimus, Cauſæ, quæ proponi non potueruut. Rogamus igitur Eminentiſſimos Patres, ut ad eas definiendas *Folium* ejuſdem *Congregationis* iterum conſulant.

FAVENTINA JURIUM PAROCHIALIUM, ET PRÆEMINENTIARUM: cujus IV. ſunt Capita. *Seſs.24.c.4. de reform.& Seſs.25.c.13. de Regul.*

I. *An Archipresbyter S. Andreæ, cæterique Parochi Congregationis debeant prælativè ad Sacerdotes ſimplices invitari ad Feſtivitates, Funeralia, & Anniverſaria, quæ celebrantur in Eccleſia Parochiali S. Joannis Evangeliſtæ Granaroli, & in aliis Eccleſiis Parochialibus Congregationis in caſu &c.*

II. *An ſit ſervanda aſſerta conſuetudo Eccleſiæ Archipresbyteralis S. Andreæ, & S. Joannis Granaroli, quæ unicum retinet concionatorem in quadrageſima, ut in die Feſtivitatis S. Joſephi, quæ celebratur in dicta Eccleſia Archipresbyterali, fiat concio in eadem Eccleſia excluſivè ad aliam Granaroli, ne tollatur Populi concurſus in caſu &c.*

III. *An in die ſolemnitatis Corporis Chriſti Parochus Granaroli debeat perſonaliter intervenire una cum Presbyteris, & Clericis ejus Parochiæ Proceſſioni, quæ fit in Eccleſia Archipresbyterali S. Andreæ in caſu &c.*? Et quatenus affirmativè.

IV. *An ob non interventum d. Proceſſioni incidat in pœnas in Conſtitutionibus Synodalibus Tranſgreſſoribus inflictas in caſu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Poſſe concionem fieri in utraque Eccleſia horis ab Epiſcopo deſignandis. Ad III., & IV. Affirmative.

Sess. 24. c. 12. & Sess. 24. c. 13. de ref.

NOLANA PAROCHIALIS, in qua quæritur.
An sit permittenda erectio alterius Parochiæ in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta Instructionem.

Sess. 24. c. 12. de ref.

ASCULANA ERECTIONIS CANONICATUS. Data fuit hæc Causa in *Folio Congregationis* habitæ *die* 17. superioris mensis *Julii*, sed proposita non fuit. Dedimus eam iterum in *Folio Congregationis* habitæ *die* 7. *Augusti* nuper transacti, & duobus ejus Dubiis, quorum I. erat: *An, & quomodo sit locus erectionis Canonicatus, seu potius substitutioni favore Convictricium?* Alterum vero: *An expensæ præsentis litis sint desumendæ ex bonis hæreditariis, seu potius, an, & a quibus debeant refici in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres: *Ad I. Negativè ad primam partem, & affirmativè ad secundam: Ad II. Expensas litis desumendas esse ex bonis hæreditariis, & amplius.* Iterum nunc Causa proponitur, & repetita lectione *Folii dictæ Congregationis* habitæ *die* 17. *Julii* decernendum est.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 22. c. 6. & 8. de ref.

SVESSANA. Antequam Professionem emitterent in Monasterio Sanctæ Annæ Civitatis Svessæ duæ germanæ sorores Rosa, & Maria Anna Zitelliæ, ultimum suæ voluntatis elogium anno 1707. in publicas tabulas retulerunt. Reservatis igitur sibi omnibus bonorum redditibus, adjectoque jure accrescendi favore superstitis, voluerunt, ut *seguita la morte d' ambedue detti loro beni in qualsivoglia specie si siano, si debbano vendere dall' Illustrissimo, e Reverendissimo Monsignor Vescovo, che si troverà in quel tempo in detta Città di Sessa.* Ex pretio autem bonorum legarunt ducatos 500. Cappellæ Beatæ Mariæ de Populo, quæ in Ecclesia Cathedrali est; Ducatos 200. Conventui Carmelitarum ejusdem Civitatis cum onere sacri perpetui qualibet hebdomada agendi, & duorum Anniversariorum quotannis die earum emortuali: Ducatorum denique 400. Monasterio Sanctæ Annæ, qui erogandi essent in emptionem bonorum immobilium, quorum redditibus instrui perpetuo posset Altare Beatæ Virginis

Con-

Constantinopolitanæ, quod est intra Claustra ejusdem Monasterii. De reliquo pretio ita disposuerunt: *Ed il rimanente di detto prezzo vogliono &c. esse Signore Sorelle, che detto Illustrissimo Vescovo di Sessa debba spenderlo, ed impiegarlo per maggior servizio, decoro, ed ornamento di detta Beata Vergine del Carmine, e sua Chiesa di detta Città col parere, e consiglio del P. Priore, e Padri, che allora si troveranno in d. Ven. Monastero* -- Adjacerunt denique, ut in emptione bonorum consanguinei præferrentur his verbis -- *Item vogliono, e dispongono esse Signore Sorelle, che nel tempo, che dopo la morte di esse si dovrà procedere per detto Illustrissimo Monsignor Vescovo alla vendita delli beni per adempire le accennate disposizioni, ritrovandosi loro congionti, o per consanguinità, o per affinità sino al decimo grado, che volessero comprare li medesimi Beni, o qualche corpo di quelli, debbano essere preferiti per l' istesso prezzo, che si troveranno a vendere ad estranei, atteso così è la volontà di dette Signore Zitelle.*

Decessit primo soror Maria Anna, inde Rosa die 31. Martii superiore anno 1755., & Prior Carmelitarum ratus dispositionem Sororum esse donationem universalem favore sui Conventus, nullo ex interesse habentibus citato, ipsoque Episcopo exequutore posthabito, duplex in Curia Laica Svessæ Decretum obtinuit, alterum, quo bona omnia Sororum, deductis oneribus, Conventui adjudicabantur: alterum quo idem Conventus in eorumdem bonorum possessionem immittebatur. Sed Episcopus, instantibus Promotore Fiscali, Œconomo Cappellæ Cathedralis, & Sanctimonialibus Sanctæ Annæ exequendo voluntatem Sororum, citatis Patribus Carmelitis, Œconomum deputavit, qui bona interim administraret, præcepitque colonis, ne alteri quam Œconomo solverent, duosque Peritos elegit, qui bona æstimarent, licet æstimatio, impedimento Peritorum, fieri non potuerit. Prior autem, & Carmelitæ, qui his omnibus consensum præstiterant, preces Sacro huic Tribunali obtulerunt, quibus postulabant, ut deductis legatis Cappellæ Cathedralis, & Sanctimonialium S. Annæ, Bona omnia Ecclesiæ eorum Conventus applicarentur; nulli siquidem detrimentum inferri dicebant, si Bona non alienarentur, ut Sorores disposuerant. Audito autem, ut moris est, Episcopo, compertoque detrimento, Eminentissimi Patres rescripserunt -- *Lectum, & Episcopus caret exequutionem voluntatis Testatricium.*: oblatis vero a Carmelitis novis precibus, rescriptum fuit, ut *sua jura producerent adversus Episcopi informationem, auditis etiam consanguineis Sororum de Zitellis.*

Neglexerunt Patres id, quod jussum fuerat, implere, ideoque Episcopus, lapsis jam quatuor mensibus, mandavit Bona æstimari a Peritis; sed nihil actum est a Patribus ad Metropolitanum, inde ad hoc Sacrum Tribunal confugientibus, novæ iterum datæ fuerunt ad Episcopum Literæ, a quo præfixus fuit consanguineis, & affinibus Sororum terminus 20. dierum ad jura sua deducenda. Ex his duo hactenus sese Patribus Carmeli-

 tis

tis contradictores præstiterunt. Post hæc iidem Patres obtulerunt Episcopo preces, quibus petebant, ut ex fructibus Bonorum, quæ Sororum erant, Conventum reintegraret de expensis, quas fecerat pro ædificando muro quodam Ecclesiæ: Episcopus vero jussit, ut id postularent ab Eminentissimis Patribus, quos simul scire voluit esse hos fructus apud Œconomum, sed ex his non posse reintegrari Conventum, cum ipse a Patribus certior factus non fuerit: non enim Patribus sine Episcopo, sed Episcopo cum Patrum consilio data fuit a Sororibus facultas erogandi, quod superesset, deductis oneribus in Ecclesiam Carmelitarum. Causa nunc proponitur, & disputat Promotor Fiscalis Bona juxta dispositionem Sororum vendenda esse, non vero, deductis oneribus, applicanda esse Conventui, ut postulant Patres, ne lædatur voluntas Sororum, jus Episcopi, prælatio, quæ a Sororibus data fuit consanguineis, & affinibus: nullam quoque fructuum, qui apud Œcononum sunt, dandam esse Patribus summam pro expensis in fabrica. Hæc Promotor Fiscalis. A Patribus nihil habuimus. Duo sunt Causæ Dubia.

I. *An sit locus venditioni Bonorum, seu potius illorum applicationi favore Conventus Carmelitarum Svessæ cum onere solvendi Legata, & erogandi annuos fructus residui in beneficium Ecclesiæ S. Mariæ de Carmelo ejusdem Civitatis in casu &c.*

II. *An, & quæ summa ex fructibus hactenus recollectis sit solvenda dicto Conventui pro expensis ultimo factis in beneficium præfatæ Ecclesiæ in casu.*

Dilata ad primam post aquas.

Seff.22. c.6. de ref. ALBANEN. Testamento, quo decessit Joannes Farneti, filios, quos ex primis nuptiis susceperat Josephum, & Antonium, alterum in portione legitima, alterum in bonis, quæ ei in emancipatione tradiderat, hæredes instituit. Omnium vero bonorum hæredem esse voluit Dominicum quadriennem, quem ex secundis nuptiis susceperat, eo vero in pupillari ætate decedente, voluit, *che si vendano tutti gli effetti della mia eredità, e tutto il denaro, che se ne ritraerà debba erogarsi per una porzione, nel fare un investimento sicuro, che basti nel suo fruttato per celebrare in perpetuo in questa Chiesa Arcipretale di Genzano un Anniversario nel giorno della mia morte, e tutto il rimanente s' impieghi dalli medesimi Esecutori Testamentarj in far celebrare tante Messe per suffragio dell' anima mia, de' miei Parenti defonti, e dell' Anime Sante del Purgatorio.* Animo inde reputans uxorem

uxorem ſuam ex fructibus ſuæ Dotis, & augumenti Dotalis non poſſe eos redditus percipere, qui ſatis eſſent ad alimenta, voluit, ut filio Dominico in pupillari ætate decedente, atque ita, eveniente caſu diſtractionis bonorum, *ſi preſervi inveſtita una porzione della mia eredità, che baſti col ſuo frutto a ſupplire annualmente alli di lei decenti alimenti.* Morte obita a Teſtatore, deceſſit triduo poſt Dominicus infans hæres ſcriptus univerſalis, & Joſeph, atque Antonius, quos Joannes ex primi nuptiis ſuſceperat, viduam domo expulerunt, & plures contra paternam hæreditatem lites egerunt, immo teſtamentum ipſum Patris nullum irritumque dixerunt; ſed in omnibus litibus victi confugerunt ad Sacratiſſimum Principem noſtrum poſtulantes, ut prævia derogatione voluntatis Teſtatoris bona omnia immobilia ipſis addicerentur cum onere diſſolvendi æs alienum, & Legata, atque erogandi quantitatem reſpondentem pretio atque æſtimationi bonorum reſiduorum in ſacra agenda tamen infra tres annos. Poſtulationis hujus cognitio data fuit Emis Patribus.

Rogatus igitur Eminentiſſimus Epiſcopus, ut animi ſui ſententiam aperiret, retulit Privignos Chirographum ſcripſiſſe, quo obligationem ſuſceperunt diſſolvendi omne æs alienum ſpatio triennii, & obtuliſſe quamcumque cautionem, & fidejuſſionem, ut de alimentis ſecura ſit Noverca: Sententiam denique ſuam his verbis explicat, *quod petunt Oratores æquitati, & rationi conſonum videtur, cum revera nil aliud poſtulent, niſi ut ſibi emere liceat bona a Patre relicta, & ad pretium ſolvendum breve tempus concedatur: Cæterum quodcumque onus hæreditatis fideliter implere promittunt, datis fidejuſſionibus, quæ poſtea cognoſcendum erit, an revera uti idoneæ admitti poſſint: non aliter vero Oratorum precibus annuendum eſſe putarem, niſi cum certo conſtaret, minimè eorum, quorum intereſt, ullum grave damnum eſſe obventurum.* Cum igitur Creditores, & Legatarii urgeant, & mandata contra bona hæreditaria obtinuerint, ideo Cauſa nunc proponitur, diſputantque Exequutores nihil proponi, cur, nulla urgente juſta, & neceſſaria cauſa, mutanda ſit Teſtatoris voluntas: Grave damnum ex hac mutatione evenire cum Sacrificia ſaltem differantur, neque cautionibus, & fidejuſſionibus conſuli viduæ, quæ parata conſequi debet alimenta, non vero lites contra Privignos, & Fidejuſſores ſuſcipere, ut ea conſequatur: Nullam deuique ipſis Privignis utilitatem pervenire ex hac commutatione. Hæc ſumma eſt libelli dati ab Exequutoribus. A Filiis nihil habuimus. Dubium eſt.

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro derogatione voluntatis Teſtatoris in eo, quod ſupererit in hæreditate pro cauſa pia, ſolutis debitis, & legatis in caſu &c.

Non propoſita.

BRI-

Sess.7.c.8. & Sess.21.c.7. de ref.

BRICTINORIEN. Qui nunc Parochialem Ecclesiam S. Andreæ Villæ Dugheriæ, alteramque S. Joannis Baptistæ eidem unitam possidet Hieronymus Mambellius, cum utraque fatisceret, & dilaberetur, Parochianos in jus vocavit, ut ab iis sarcirentur. Decrevit Vicarius Generalis Parochianos pro tribus partibus ad reparationis impensas obstrictos esse, Parochum pro parte quarta. Appellarunt Parochiani ad Tribunal A. C. sed causæ cognitio *in devolutivo tantum* data fuit Eminentissimis Patribus. Post hæc Parochus contendere cœpit Parochialem Ecclesiam S. Andreæ reparare inutile esse futurum ob soli, in quo ædificata est, naturam, & satius esse, ut in loco diverso, & firmiori reædificaretur. Mandata igitur fuit jurisdictio Episcopo Foroliviensi, ut eligerentur Periti, qui de statu Ecclesiæ, & loci qualitate referrent. Parochiani Peritum suum elegerunt, qui censuit, utramque Ecclesiam reparari facile posse, & ad illas reparandas, sartasque tectas conservandas præstita idonea fidejussione se obtulit: Parochus quoque Peritum suum elegit, sed inde ab alio Perito judicium datum fuit. Hic censuit Ecclesiam S. Joannis Baptistæ reparari posse, non vero alterum S. Andreæ, eique adnexam domum Parochialem, quia solum nimis infirmum sit. Diffidentibus itaque Peritis, tertius electus fuit, qui accessit Perito Parochi. Causa nunc proponitur, & disputant Parochiani nullam duarum Peritiarum, quæ Parocho favent, habendam esse rationem, quod primus neque a Judice electus, neque confirmatus fuerit, alter vero, qui uti peritior electus fuit, rudis sit, & artem, non intelligat: spectandum esse Judicium Periti Parochianorum, qui suo periculo opus redimere vult: Hinc reædificationi locum non esse contendunt: Reparationem vero faciendam esse impensis Parochi, qui uberes annuos fructus sc.150. ex Parochia percipit; Sacrorum Canonum, & præsertim Tridentini dispositione cautum esse ad Parochianos veniendum non esse, nisi cum Parochiæ redditus ita tenues sint, ut vix congruæ Parochi sustentationi sufficiant. Hæc Parochiani. A Parocho nihil habuimus. Dubium est.

An sit locus restaurationi Ecclesiæ Parochialis S. Andreæ, & S. Joannis Baptistæ, & respectivè Domus Parochialis Villæ Dugheriæ; sive potius reædificationi, quo in loco, & quibus sumptibus in casu &c.

Dilata ad primam post aquas, & ad D. Secretarium pro provisione capienda super necessariis reparationibus.

Sess.22.c.6. de ref.

PISCIEN. OFFICIATURÆ MISSARUM. Statuto Prioralis Ecclesiæ Sanctorum Stephani, & Nicolai, in qua Capitulum est, & Parochia, ad prospiciendum publico Populi commodo cautum est, ut *tempore Divinorum Officiorum duæ Missæ sine cantu celebrentur, una in principio Conventualis, altera post Communio ejusdem Missæ majoris*: Prima ab eo, qui *desiit esse Hebdomadarius, cui satisfactio duarum Missarum pro Archipresbyter*

Michae

Michaele Angelo Bertini assignatur cum solita eleemosyna unius julii; Altera vero ab eo, *qui immediatè succedit habenti turnum mortuorum*, *qui unam Missam habeat celebrandam pro Joanne Baptista Masseri cum eleemosyna unius julii*: Indicta etiam pœna, si neque per se, neque per alium sacrificia egerint, amittendi distributiones illius diei, & solidos quatuor solvendi. Statutariam hanc dispositionem sartam tectam semper servavit Capitulum, licet, ut ajunt, incommoda esset Sacerdotibus Turnariis, optatque illam deinceps servare, & simul Turnariis prospicere. Cum enim anno 1668. Dominicus Cherubini Cappellaniam fundasset sub titulo Beatissimæ Conceptionis, & post extinctionem quarumdam Familiarum, jus nominandi activum, & passivum dedisset Capitulo, & Canonicis SS. Stephani, & Nicolai, dato Cappellanis pro tempore nominatis onere quotidianum sacrum agendi ad Altare majus Ecclesiæ Sodalitii Misericordiæ, quæ proxima est Ecclesiæ Priorali, & defectis nuper Familiis, evenerit casus substitutionis Capituli, & Canonicorum Sancti Stephani, hi in animum induxerunt, ut posset hac Cappellania prospici Turnariis, postulando gratiam commutationis voluntatis hoc tamen modo, Cappellanum nempe nominando ea lege, & conditione, ut diebus Dominicis, aliisque Festis, quibus Ecclesia Priorali abundat Sacris, agat Sacrificium ad Altare majus Ecclesiæ Sodalitii: Diebus vero ferialibus, quibus Ecclesia Prioralis caret Sacris, agatur Sacrificium non a Cappellano, sed a Sacerdote aliquo ex solitis in eadem Ecclesia Priorali tempore Sacri Conventualis.

Hac itaque de re preces obtulerunt, sed auditus Episcopus contra Capitulum his præcipuè rationibus respondit, *quod* juxta Testatoris voluntatem Sacra agenda sint in Ecclesia Sodalitii, non in Ecclesia Priorali: *Quod* Turnarii eleemosynam habeant duorum Sacrorum, quæ agenda sunt, dum agitur Sacrum Conventuale, neque iis desint alia onera Sacrorum suis Præbendis adnexa; *Quod* nova hac Sacrorum assignatione induci possit inter Capitulares confusio, qua negligeretur potius, quam servaretur statutaria dispositio, prout contigit anno 1732., quo facta fuit Turnariis Capitulari decreto certa Sacrorum assignatio, quæ inde alio decreto revocari debuit: *Quod* denique his Sacris tempore, quo Conventuale agitur, Populus non egeat, qui rarus accedit ad illam Ecclesiam in loco dissito, & prope mænia Civitatis sitam. Causa proponitur, seu verius Capituli postulatio, cujus libellus totus est, ut monstrata utilitate commutationis voluntatis, ex qua nulli detrimentum infertur, neque mens Testatoris in ipsa sui substantia evertitur, Episcopi rationibus respondeat, ut Emi Patres ejus lectione dignoscent. Unum est Caput, cui respondendum est.

An Officiatura Cherubini in Ecclesia SS. Stephani, & Nicolai Piscien. conferri valeat Sacerdoti, qui celebrare debeat pro dicta Officiatura diebus Dominicis, & Festivis de præcepto tantùm, & diebus Feriatis celebratio missarum pro eadem Officiatura committi va-

valeat Sacerdotibus celebrare solitis in eadem Ecclesia immediatè ante, & post Missam Conventualem per Turnum in casu &c.

Negative, & amplius.

URGELLEN. Parochiali Ecclesiæ B.Mariæ in Cœlum Assumptæ Villæ *de Llimiana* servitium, ministeriumque præstant Rector, & quatuor Beneficiarii, quos vocant *Residentes*. Hos inter, & Rectorem anno 1747. controversia orta est de regimine Ecclesiæ tam *in spiritualibus*, quam *in temporalibus*, quod Rector privativè sibi ex antiqua consuetudine competere dicebat; Beneficiarii verò sibi ipsis una tamen cum Rectore, ita ut omnes Corpus unum constituerent, asserebant. Episcopus, ad quem Rector confugerat, epistolam dedit, qua vetuit, ut lite pendente, molestias Beneficiarii inferrent Rectori *nel possesso, in cui si trova di amministrare detta Chiesa independentemente da detti Beneficiarii, e non innovino cosa alcuna intorno al Titolo, e prerogativa di Communità, che intendono di formare*. Dum lis ageretur, decretum tulit Curia Urgellensis, quo decem dierum terminus præfixus fuit ad testes examinandos. Appellarunt ab hoc Decreto Beneficiarii; sed hæc appellatio, ut fieri debebat, rejecta fuit, & examini subjecti fuerunt tam ipsi Beneficiarii, quàm plures alii testes, qui de hac consuetudine certiores esse poterant. Sed, cum interim Episcopus visitationis gratia Llimianam accessurus esset, curavit Rector, ut non solum hæc lis, sed aliæ omnes controversiæ, quæ ex ea, tamquam ex equo Trojano prodierant, arbitrio Episcopi componerentur. Episcopus igitur partibus pluries auditis, de omnibus controversiarum capitibus laudum tulit, quod cum secundum Rectorem esset, Beneficiarii ab eo appellarunt. Rejecta quidem fuit appellatio a Curia Urgellensi, sed reparata, & reintegrata fuit a Curia Metropolitana Tarraconensi. In hac igitur Beneficiarii 270. articulos composuerunt, atque in actis ediderunt pro examinandis testibus. Dum tamen cunctantur, & moras examini testium, repetitis dilationibus, nectunt, moritur Procurator judicialis a Rectore constitutus. Properare tunc Beneficiarii, & testes plurimos audiri curarunt, clam Rectorem, qui omnia ignorabat. Ubi, & mortem Procuratoris sui, & examen rescivit, petiit, & obtinuit circumscribi quodcumque actum, gestumque fuerat post obitum Procuratoris, & Curia Metropolitana causam remisit ad Curiam Urgellensem, quæ in possessorio Judicio secundum Rectorem pronunciavit.

Adierunt Beneficiarii Signaturæ Tribunal, a quo rescriptum fuit -- *De appellatione a sententia Metropolitani, circumscriptis omnibus gestis post appellationem a dicta sententia* -- Proposito inde in Rota Dubio -- *An constet de nullitate actorum factorum post obitum Procuratoris Bartholomæi Adot, itaut ea sint circumscribenda* -- responsum fuit *negativè*. Satius igitur censuit Bartholomæus Adot Rector judicio illi renunciare, ne diutius Causa principalis differetur. At Decreto Emi D. Pro- Auditoris Sanctissimi Causa

ſa a Rota avocata fuit, ne cum tot Capita controverſiarum complectatur, lis in eo Tribunali fieret immortalis, & cognitio ejuſdem Emis Patribus data fuit. Audito igitur Epiſcopo, Cauſa nunc proponitur XXXI. Dubiis inſtructa. Hæc excepimus ex breviſſimo, quem nobis tradidit Rector, Libello. Nihil enim a Beneficiariis habuimus. Dubia, ex quorum lectione quid ſit id, de quo diſputatur, facilè intelligitur, hæc ſunt.

I. *An, & cujus qualitatis ſit Eccleſia S. Mariæ in Celum Aſſumptæ Villæ de Llimiana, nempe Collegiata, Communitativa, aut ſimplex Parochialis.*

II. *An Gubernium, & Regimen ejuſdem Eccleſiæ tam quoad ſpiritualia, quàm quoad temporalia ſpectet ad Rectorem independenter a Sacerdotibus Beneficiatis?*

III. *An, & ad quem, & quos ſpectet jus retinendi claves Eccleſiæ Sacriſtiæ, & Archivii?*

IV. *An, & ad quem, & quos ſpectet jus retinendi librum, in quo adnotantur Miſſæ, Anniverſaria, aliaque opera pia in eadem Eccleſia fundata?*

V. *An a Rectore, vel a Beneficiatis ſit conficienda Cartella, in qua adnotantur Miſſæ ſingulis diebus, aut hebdomadis celebran?*

VI. *An horæ pro celebratione Miſſarum ſolemnium, aliarumque Eccleſiaſticarum Functionum in ſupradicta Eccleſia ſit determinanda a Rectore, vel a Beneficiatis?*

VII. *An, & ad quem, vel quos ſpectet determinatio dierum pro celebratione Miſſarum, vel Anniverſariorum, quæ ex aliquo impedimento ſtatutis diebus celebrari non potuerint?*

VIII. *An Jus exigendi redditus, & proventus ejuſdem Eccleſiæ ſpectet ad Rectorem privativè, ſeu potius ad ipſum una cum Beneficiatis, itaut per Turnum ſit quolibet anno eligendus Exactor?*

IX. *An, & ad quem, vel quos ſpectet jus recipiendi, & retinendi pecuniam in caſu extinctionis alicujus cenſus?*

X. *An in inveſtimentis pecuniarum, noviſque creationibus cenſus liceat Rectori proprio libitu diſponere, ſeu potius ſit exquirendum, & attendendum votum ſingulorum Beneficiatorum in Capitulo ad hoc præciſè convocando?*

XI. *An tam Rector, quam Beneficiati, qui juſtè impediti, Miſſis cantatis, Anniverſariis, aliiſque Sacris Functionibus non interveniant, lucrentur ſolita emolumenta?*

XII. *An Coadjutor Rectoris nuncupatus Vicarius faciat corpus cum Beneficiatis?*

XIII. *An abſente Rectore ad illius Vicarium ſpectet jus regendi Chorum, & præſidendi in Eccleſia, ſeu potius ad Beneficiatum ſeniorem?*

XIV. *An jus convocandi Beneficiatos, ſeu Presbyteros pro pertractandis Eccleſiæ negociis ſpectet ad Rectorem?* Et quatenus affirmativè.

XV. *An convocatio dictorum Beneficiatorum, ſed Presbyterorum fieri debeat ad ſonitum campanæ, vel per nuncium de Ordine Rectoris?*

An

XVI. *An licentia pulsandi campanas, quando opus fuerit, concedenda sit a Rectore independenter a Residentibus?*

XVII. *An, & ad quem, vel quos, spectet determinatio numeri missarum quolibet die canendarum?*

XVIII. *An designatio Sacerdotum, & Ministrorum pro missis canendis spectet ad Rectorem, seu potius sit procedendum per Turnum?*

XIX. *An designatio Presbyterorum, aliorumque Sacrorum Ministrorum pro celebratione Missarum solemnium, & aliorum divinorum Officiorum in hebdomada sancta, & die Nativitatis Domini spectet ad Rectorem, seu potius inservire debeant duo ultimi Beneficiati, alter ad officium Diaconi, & alter Subdiaconi?*

XX. *An qui, & quomodo teneatur more, & loco consuetis exorcizare tempestates?*

XXI. *An oblationes dividi debeant super petram positam ante januam majorem Ecclesiæ, seu potius in domo Rectoris.*

XXII. *An Exactor redditUUm sacristiæ Sacrista nuncupatus, qui eligitur a Communitate sæculari loci sit subordinatus Rectori, seu potius Decurionibus ejusdem Communitatis, eisque pebeat rationem reddere?*

XXIII. *An Rector teneatur qualibet die Missam pro Populo offerre?*

XXIV. *An, & qui teneatur exercere Officium uulgo* Armaro?

XXV. *An Parochiani Ecclesiæ Filialis S. Christophori teneantur præceptum Paschatis adimplere in Ecclesia Matrice Loci de Lliminana, seu potius sit adigendus Rector in eadem solemnitate iisdem Parochianis ministrare Eucharistiæ Sacramentum in eadem Ecclesia Filiali S. Christophori?*

XXVI. *An, & qui teneatur statis diebus, & horis erogare eleemosynas erga pauperes?*

XXVII. *An ex legatis olivarum relictis a piis Testatoribus teneatur Rector continuo manutenere lampadem vulgo dictam* di nostra Signora *accensam in altari majori, seu potius possit oleum sibi appropriare?* Et quatenus affirmativè ad primam partem.

XXVIII. *An teneatur idem Rector rationem reddere de oleo ex olivetis percepto ab initio sui Rectoratus usque ad præsentem diem?*

XXIX. *An, & ad quem spectet deputatio administratorum Eremi, & Eremitæ SS. Protasii, & Gervasii?*

XXX. *An, & cui sit subordinatus dictus Eremita, & cui teneatur reddere rationem de oblationibus, & eleemosynis?*

XXXI. *An, & qui debeant retinere claves Capsulæ, seu Cappellæ, in qua asservantur Reliquiæ supradictorum Sanctorum in casu &c.*

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 20. Nov. 1756. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUatuor primæ, quæ ſequuntur, Cauſæ imperio Eminentiſſimorum Patrum in hac *Congregatione* proponuntur: Priores duæ datæ fuerunt in *Folio Congregationis* habitæ *die* 28. *Auguſti*: Reliquæ in *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 18. *Septembris*. Conſultis itaque nunc iterum earumdem *Foliis*, Dubia earum ſunt expedienda.

CONSTANTIEN. PERMUTATIONIS PAROCHIÆ, cujus duo ſunt Capita. *Seſs.24. c.18. & Seſs. 25. c.12. de Ref.*

I. *An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis quoad* I. II. & IV. *Dubium in caſu &c.*

II. *An, & quæ Decimæ dicto Moeslin debeantur in caſu &c.*

Ad I. In deciſis, & amplius. Ad II. Decimas novalium non deberi, & amplius.

CAPUTAQUEN., in qua V. Dubia diſputantur. *Seſs.23. c.15. Seſs.22. c.11. & Seſs. 24. cap.13. de ref.*

I. *An Monaſterium S. Honuphrii nuncupat.* di maſſa diruta *ſit nullius Diœceſis*? Et quatenus negativè.

II. *An Priori ſeu Abbati dicti Monaſterii liceat facultatem concedere Sacerdotibus Sæcularibus, vel Regularibus ab Ordinario minimè approbatis audiendi Confeſſiones Perſonarum Sæcularium in dicta Eccleſia S. Honuphrii*. Et quatenus negativè.

III. *An Sacerdotes Sæculares, vel Regulares alterius Diœceſis etiam a proprio Ordinario approbati audire poſſint confeſſiones Perſonarum Sæcularium de licentia P. Prioris, ſeu Abbatis pro tempore ejuſdem Monaſterii*? Et quatenus negativè.

IV. *An, & in quas pœnas incidant tam Prior, ſive Abbas, quàm Confeſſarii?*

V. *An Fons Baptiſmalis in eadem Eccleſia poſitus ſit removendus?*

Dilata ad primam in ſequenti etiam unica.

Sess.22. c.6. & 8. de ref.

SVESSANA, quæ duo Capita complectitur:

I. *An sit locus venditioni Bonorum, seu potius illorum applicationi favore Conventus Carmelitarum Suessæ cum onere solvendi Legata, & erogandi annuos fructus residui in beneficium Ecclesiæ S. Mariæ de Carmelo ejusdem Civitatis in casu &c.*

II. *An, & quæ summa ex fructibus hactenus recollectis sit solvenda dicto Conventui pro expensis ultimo factis in beneficium præfatæ Ecclesiæ in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius. Ad II. Affirmative in ducatis centum, sequuta venditione bonorum, & adimpletis legatis, & amplius.

Sess.7.c.8. & Sess. 21. c.7. de Ref.

BRICTINORIEN., in qua quæritur:

An sit locus restaurationi Ecclesiæ Parochialis S. Andreæ, & S. Joannis Baptistæ, & respectivè Domus Parochialis Villæ Dugheriæ; sive potius reædificationi, quo in loco, & quibus sumptibus in casu &c.

Esse locum restaurationi utriusque Ecclesiæ, & domus Parochialis sumptibus Parochi pro tertia parte, & Parochianorum pro reliqua, accepta oblatione per Biagolinum præstita idonea fidejussione in Statu Ecclesiastico.

URGELLEN. Data fuit hæc Causa XXXI. Dubiis instructa in eodem *Folio ultimæ Congregationis*, sed proposita non fuit. Iterum eam nunc damus instante Rectore, & poterunt Eminentissimi Patres ad eam definiendam *idem Folium* consulere.

I. *An, & cujus qualitatis sit Ecclesia S. Mariæ in Cœlum Assumptæ Villæ de Llimiana, nempe Collegiata, Communitativa, aut simplex Parochialis.*

II. *An Gubernium, & Regimen ejusdem Ecclesiæ tam quoad spiritualia, quàm quoad temporalia spectet ad Rectorem independenter a Sacerdotibus Beneficiatis?*

III. *An, & ad quem, vel quos spectet jus retinendi claves Ecclesiæ Sacristiæ, & Archivii?*

IV. *An, & ad quem, vel quos spectet jus retinendi librum, in quo adnotantur Missæ, Anniversaria, aliaque opera pia in eadem Ecclesia fundata?*

V. *An a Rectore, vel a Beneficiatis sit conficienda Cartella, in qua adnotantur Missæ singulis diebus, aut hebdomadis celebran.?*

VI. *An horæ pro celebratione Missarum solemnium, aliarumque Ecclesiæ*

clesiasticarum Functionum in supradicta Ecclesia sint determinandæ a Rectore, vel a Beneficiatis?

VII. *An, & ad quem, vel quos spectet determinatio dierum pro celebratione Missarum, vel Anniversariorum, quæ ex aliquo impedimento statutis diebus celebrari non potuerint?*

VIII. *An Jus exigendi redditus, & proventus ejusdem Ecclesiæ spectet ad Rectorem privativè, seu potius ad ipsum unà cum Beneficiatis, ita ut per Turnum sit quolibet anno eligendus Exactor?*

IX. *An, & ad quem, vel quos spectet jus recipiendi, & retinendi pecuniam in casu extinctionis alicujus census?*

X. *An in investimentis pecuniarum, novisque creationibus census liceat Rectori proprio libitu disponere, seu potius sit exquirendum, & attendendum votum singulorum Beneficiatorum in Capitulo ad hoc præcisè convocando?*

XI. *An tam Rector, quàm Beneficiati, qui justè impediti, Missis cantatis, Anniversariis, aliisque Sacris Functionibus non interveniant, lucrentur solita emolumenta?*

XII. *An Coadjutor Rectoris nuncupatus Vicarius faciat corpus cum Beneficiatis?*

XIII. *An absente Rectore ad illius Vicarium spectet jus regendi Chorum, & præsidendi in Ecclesia, seu potius ad Beneficiatum seniorem?*

XIV. *An jus convocandi Beneficiatos, seu Presbyteros pro pertractandis Ecclesiæ negociis spectet ad Rectorem?* Et quatenus affirmativè.

XV. *An convocatio dictorum Beneficiatorum, sed Presbyterorum fieri debeat ad sonitum campanæ, vel per nuncium de Ordine Rectoris?*

XVI. *An licentia pulsandi campanas, quando opus fuerit, concedenda sit a Rectore independenter a Residentibus?*

XVII. *An, & ad quem, vel quos, spectet determinatio numeri missarum quolibet die canendarum?*

XVIII. *An designatio Sacerdotum, & Ministrorum pro missis canendis spectet ad Rectorem, seu potius sit procedendum per Turnum?*

XIX. *An designatio Presbyterorum, aliorumque Sacrorum Ministrorum pro celebratione Missarum solemnium, & aliorum divinorum Officiorum in hebdomada sancta, & die Nativitatis Domini spectet ad Rectorem, seu potius inservire debeant duo ultimi Beneficiati, alter ad officium Diaconi, & alter Subdiaconi?*

XX. *An qui, & quomodo teneatur more, & loco consuetis exorcizare tempestates?*

XXI. *An oblationes dividi debeant super petram positam ante januam majorem Ecclesiæ, seu potius in domo Rectoris.*

XXII. *An Exactor redditum sacristiæ Sacrista nuncupatus, qui eligitur a Communitate sæculari loci sit subordinatus Rectori, seu potius Decurionibus ejusdem Communitatis, eisque debeat rationem reddere?*

XXIII. *An Rector teneatur qualibet die Missam pro Populo offerre?*

XXIV. *An, & qui teneatur exercere Officium vulgo* Armaro?

XXV. *An Parochiani Ecclesiæ Filialis S.Christophori teneantur præceptum Paschatis adimplere in Ecclesia Matrice Loci de Lliniana, seu potius sit adigendus Rector in eadem solemnitate iisdem Parochianis ministrare Eucharistiæ Sacramentum in eadem Ecclesia Filiali S.* Christophori?

XXVI. *An, & qui teneatur statis diebus, & horis erogare eleemosynas erga pauperes?*

XXVII. *An ex legatis olivarum relictis a piis Testatoribus teneatur Rector continuo manutenere lampadem vulgo dictam* di nostra Signora *accensam in altari majori, seu potius possit oleum sibi appropriare?* Et quatenus affirmativè ad primam partem.

XXVIII. *An teneatur idem Rector rationem reddere de oleo ex olivetis percepto ab initio sui Rectoratus usque ad præsentem diem?*

XXIX. *An, & ad quem spectet deputatio administratorum Eremi, & Eremitæ SS. Protasii, & Gervasii?*

XXX. *An, & cui sit subordinatus dictus Eremita, & cui teneatur reddere rationem de oblationibus, & eleemosynis?*

XXXI. *An, & qui debeant retinere claves Capsulæ, seu Cappellæ, in qua asservantur Reliquiæ supradictorum Sanctorum in casu &c.*

Dilata ad primam post Reges.

Sess.24.c.1. de Ref.Matr. PRIMISLIEN. MATRIMONII. Speciem omnem hujus Causæ dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 25. *Januarii* superioris *anni* 1755., quod publici juris factum fuit *Vol.XXIV. Thesaur. Resol. Sac. Congreg. pag.* 9., sed dilata fuit ejus propositio *ad primam post Cineres*. Dedimus itaque eam iterum in *Folio Congregationis diei* 1. *Martii*, Dubioque ejus, quod erat -- *An constet de validitate, seu potius nullitate Matrimonii in casu &c.* Respondit Sacrum Tribunal -- *Constare de validitate Matrimonii*, ut in eodem *Vol.XXIV. Thes. pag.* 12. Rediit Palatina Volhyniæ ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium, ideoque Causam iterum dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 22. *Novembris*, sed Eminentissimi Patres rescripserunt *Dilata*, ut in eodem *Vol.XXIV. Thes. pag.*91. Instantibus nunc Conjugibus, reproponitur, & respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

PIEN-

PIENTINA PROCURATIONIS. Collegiata Ecclesia Oppidi Scrophiani quatuor numerat Canonicos, & Præpositum animarum curatorem. Constitutionibus Capitularibus ejusdem Ecclesiæ auctoritate Episcopali conditis, & confirmatis cautum est, ut *expensæ faciendæ in Visitationibus, & aliis necessitatibus Ecclesiæ fiant a Præposito, & Canonicis pro rata*. Huic constituti anno 1668. Episcopus Burghesius addidit -- *Standum est consuetudini, quæ est legitima legum interpres*. Consuetudo hujus Ecclesiæ, cujus tamen initium incertum est, & causa ignota, ea hactenus fuit, ut soli Præpositi procurationes Episcopo visitanti præstarent. Ægrè id tulit, qui nuper eam Præposituram obtinuit Matthias Simoncellius, qui anno 1753. Episcopo visitanti renuit solus præstare procurationem, sed cum Canonici in quasi possessionem essent non solvendi, siluit emissa protestatione. Mox rem detulit ad hoc Sacrum Tribunal. Auditus Episcopus censuit, *Scrophianensis Collegiatæ Canonicos esse in Parochi subsidium adigendos ad persolvendam procurationem pro rata tamen convenienti, & non pro quatuor ex quinque partibus; plus enim æquo gravarentur, & fere idem solverent Canonici, ac Parochus, qui magis, quàm Canonici, incommoda visitationis debet sentire*: rationes sententiæ suæ repetit Episcopus ex Juris dispositione, ex Constitutionibus Capitularibus, quorum, verba dedimus, ex Synodo denique Dioecesana, quæ *cap.6.* hæc habet -- *Beneficiati simplices solvant procurationem in actu visitationis juxta redditum sui Beneficii ad rationem trium pro centenario, & ex dicta solutione subleventur Curati pauperiores juxta prudentem distributionem arbitrio Ordinarii* -- Non obesse additionem Episcopi Burghesii, quod accipienda sit de consuetudine, quæ respicit *Procurationes*; Addit actus liberalitatis gestos a prædecessoribus Præpositis, qui soli procurationes præstiterunt, non potuisse uti facultativos, coactivam consuetudinem inducere, quæ neque probatur immemorabilis, neque probata valeret juxta *Fagnan. in cap. Venerabilis n.*28. *De Censib.* Hæc Episcopus, ad quem se refert Præpositus in suo Libello. A Canonicis nihil habuimus. Dubium est. *Sess.24. c.3. de Ref.*

An, & pro qua summa Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Scrophiani teneantur contribuere cum Parocho ad expensas procurationis in casu &c.

Affirmative favore Præpositi ad formam Constitutionis Synodalis.

Sess. 23. c. 8. de Reform.

SPOLETANA ORDINATIONIS: Quæstio hujus Causæ est inter Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Spoletanæ, & Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Amerinæ de ordinatione Clerici Petri Dati. Contendit Promotor Spoletanus Clericum hunc ad Sacros Ordines promovendum esse ab Episcopo Spoletano, non ab Amerino, quia natus sit in Terra Vissi Diœceseos Spoletanæ, ejusque Pater, & ipse Clericus domicilium semper, laresque suos habuerint in eadem Terra, minoribus ordinibus insignitus fuerit ab Episcopo Spoletano, de Beneficio ecclesiastico, seu Cappellania in Ecclesia Collegiata Terræ Vissi ab eodem Spoletano Episcopo provisus fuerit, examini denique se subjecerit, ut ad Sacros Ordines promoveretur, coram Examinatoribus a Spoletano Episcopo designatis, ita ut ad asserendam jurisdictionem, potestatemque in eumdem Clericum conveniant pro Episcopo Spoletano quinque tituli originis, domicilii, ordinationis, Beneficii, atque examinis. Nec mutare, quod dicitur dimisisse eum Cappellaniam illam, seu Beneficium Ecclesiasticum, & ab Episcopo Amerino ejus avunculo tria simplicia Beneficia obtinuisse, itaut ratione Beneficiorum promovendus sit ab Episcopo Amerino juxta dispositionem cognitissimæ Constitutionis Innocentianæ 44., cujus initium est *Speculatores*, quia ex facto non constet a Clerico Dati dimissum fuisse Beneficium illud ecclesiasticum, sive Cappellaniam in Ecclesia Collegiata Vissi; In jure verò, quia tria Beneficia eidem Clerico collata ab Episcopo Amerino non sint residentialia, sed simplicia, nullumque ex iis sufficiat ad congruam Clerici substentationem, neque possint simul uniri ad eamdem congruam constituendam, qua de re latè disseerit Episcopus Spoletanus in luculenta sua epistola. A Clerico Dati, & Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis Amerinæ nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An Clericus Petrus Dati possit promoveri ad Sacros Ordines ab Episcopus Amerino, seu potius promovendus sit ab Episcopo Spoletano?* Et quatenus ab Episcopo Amerino.

II. *An Episcopus Spoletanus teneatur ei tradere Literas Testimoniales, seu potius ordinari possit absque dictis Literis in casu &c.*

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Dic

Die Sabbathi 11. Dec. 1756. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

CAPUTAQUEN. Propoſita hac Cauſa in *ultima Congregatione* habita *die* 20. tranſacti menſis *Novembris* Eminentiſſimi Patres *Dilationem* quidem Abbati Monaſterii S. Honuphrii *di Maſſa Diruta* eam iterum poſtulanti indulſerunt, ſed adjecta conditione, ut *Proponeretur omnino in prima etiam unica*. Obſequimur itaque imperio Eminentiſſimorum Patrum, eamque hic damus, ut quinque ejus Capita expediantur. *Seſs.23.c.15. Seſs.22.c.11. & Seſs. 24. cap.13. de ref.*

I. *An Monaſterium S. Honuphrii nuncupat*: di maſſa diruta *ſit nullius Diœceſis*? Et quatenus negative.

II. *An Priori ſeu Abbati dicti Monaſterii liceat facultatem concedere Sacerdotibus Sæcularibus, vel Regularibus ab Ordinario minimè approbatis audiendi Confeſſiones Perſonarum Sæcularium in dicta Eccleſia S. Honuphrii*. Et quatenus negative.

III. *An Sacerdotes Sæculares, vel Regulares alterius Diœceſis etiam a proprio Ordinario approbati audire poſſint confeſſiones Perſonarum Sæcularium de licentia P. Prioris, ſeu Abbatis pro tempore ejuſdem Monaſterii*? Et quatenus negative.

IV. *An, & in quas pœnas incidant tam Prior, ſive Abbas, quàm Confeſſarii*?

V. *An Fons Baptiſmalis in eadem Eccleſia poſitus ſit removendus*?

Ad I. Affirmative. Ad II. Ad mentem in caſu, de quo agitur, & mens eſt, non expedire uti confeſſariis ab Ordinariis non approbatis. Ad III. Affirmative. Ad IV. Proviſum in antecedentibus. Ad V. Negative, & ad mentem, & mens eſt, quod non utatur, niſi Conſultæ S. Congregat.

ARIMINEN. Species hujus Cauſæ habetur in *Folio Congregationis* habitæ *die* 22. *Novembris* ſuperiore *anno* 1755., quod publici juris factum fuit in *Vol. XXIV. Theſaur. Reſolut. S. Congregat. pag.*93. Sex erant ejus Dubia, ſed primum tantum definitum fuit, aliorum *dilata* fuit definitio. Primo, quod erat -- *An ſolum, in quo ædificata reperiuntur duo Oratoria S. Mariæ de Paradiſo, & S. Joſephi ſpectet quoad utile dominium ad Societatem S. Joſephi, ſeu potius ad Patres Minores Conventuales*? re- *Seſs.22.cap.8. de ref.*

ſpon-

sponderunt Eminentissimi Patres -- *Spectare ad Societatem quoad usum tantum*. Cætera vero Dubia in *Congregatione* habita *die* 7. superioris mensis *Augusti* proposita, uno Eminentissimorum Patrum consensu expedita fuerunt, ut *Amplius* proponi non possint. Redit igitur sive Societas, sive Episcopus ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium in *Primo* dumtaxat *Dubio*, & repetita lectione *Folii Congregationis* habitæ *die* 22. *Novembris anno* 1755. respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam post Reges, & quoad provisionem ad Dominum Secretarium juxta mentem.

Sess.24. c.1. & 9. de refor. Matrim.

REATINA NULLITATIS MATRIMONII. Utero gravis Barbara Felli stupri reum postulavit in Curia Collis Alti Franciscum Fratinium: Captus igitur Franciscus e Terra Paganici, quæ etiam Barbaræ Patria erat, in carceres Arcis Collis Alti traductus fuit, in quibus per annum, & ultra detentus fuit, silente semper stupri causa. Crimen negabat Franciscus, & protestabatur subiturum se quamcumque pœnam potius, quàm matrimonium cumBarbara contracturum:sed diuturno tandem carcere fracta ejus constantia ducturumBarbaram in uxorem spopondit Arcis Præfecto. Hic certiorem de hac promissione reddidit Loci Baronem, qui ei mandavit, ut curaret contrahi matrimonium. Ratus Arcis Præfectus Franciscum longa mora in carceribus Jurisdictioni Parochi Arcis subjectum esse, huic rem omnem aperuit, addens, quod tamen Parochus negat,hanc etiam esse Episcopi Reatini voluntatem. Advocata igitur Barbara e Terra Paganici in ipsa carcerum cappella, in quam Franciscus a lictoribus ductus fuerat, contractum fuit matrimonium coram Parocho Arcis. Dimissus inde Franciscus, ubi sese in locum tutum recepit, Barbaram in Uxorem agnoscere recusavit, neque ullam umquam thori, & habitationis societatem cum ea habere voluit.

Delata ad Episcopum tunc temporis Reatinum scientia hujus matrimonii, & ratus nullum fuisse, utpote contractum sine sua, vel Parochi contrahentium venia, literas dedit ad Archipresbyterum Paganici, quibus ei mandavit, ut conjugibus thori separationem indiceret, donec coram proprio Parocho matrimonium renovarent. Renovari tamen non potuit absente, & in fugam acto Francisco. Barbara interim a Leone Casolli compressa, uteroque iterum gerens, sponsalia cum eo contrahere non dubitavit. Franciscus igitur, adito novo Episcopo Reatino, postulavit nullum declarari matrimonium, quod in Arce Collis Alti cum Barbara contraxit: adhæsit postulationi Barbara, quæ matri-

matrimonium contrahere vult cum Leone Cafolli. Caufa tandem in Curia Epifcopali definita fuit fententia, qua declarata fuit nullitas matrimonii. *Defenfore* vero appellante, delata eft ad hoc Sacrum Tribunal, & difputat Francifcus nullum fuiffe matrimonium duplici ex capite: Primo defectus proprii Parochi: Altero defectus liberi confenfus: negat Parochum Arcis Collis Alti proprium fuiffe Parochum, cum in ea Arce cuftodiæ caufa detineretur, ne ftupri Judicium inane effet fuga accufati, ideoque proprius effe non poffet Arcis Parochus; Diverfum, fi non cuftodiæ caufa, fed pœnæ five perpetuæ, five temporalis detentus fuiffet, ut diftinguunt *Nicol. in prax. tom.3. lit.5.* §.3. *n.91. Pignatell. confult.86. per tot. tom.7. Monacell. in fupplem. ad tom.1. tit.8. formul.10. n.171.*, & pluries refpondit Sacrum hoc Tribunal. Secundo capite ex antecedentibus, concomitantibus, & fubfequentibus idem matrimonium probari contendit defuiffe in eo liberum confenfum. Hæc Francifcus. A *Defenfore matrimonii* nihil habuimus. Dubium eft.

An conftet de nullitate matrimonii in cafu &c.

Scribat defenfor Matrimonii.

IMOLEN. IRREGULARITATIS. Delatus fuit ad Epifcopalem audientiam Imolenfem de iterato Baptifmate Lucas Antonius Fabri Canonicus, & Vicarius Curatus Collegiatæ Ecclefiæ SS. Petronii, & Profperi Terræ Lugi. Delatorem credit Vicarius Jofephum Brozzoli fibi infenfum, quod a munere Cancellarii foranei remotus fuerit: Atque hunc vindictæ cupidum detuliffe Epifcopo Vicarium infantem natam e Dominico Baldini vilis conditionis homine ante hoc triennium, cui illico poft editum partum obftetrix Baptifma contulerat, iterum baptizaffe. Quidquid autem de delatore fit, Vicarium in irregularitem incidiffe contendebat Promotor Fifcalis, ideoque decretum fuit ab Epifcopali audientia, ut proceffus Criminalis in eadem Terra Lugi conficeretur, ficuti factum eft pluribus a Fifco examinatis, & repetitis Teftibus, ac præfertim patre, matre, matrina, obftetrice, aliifque mulierculis. Re a Vicario comperta, confugit ad hoc Sacrum Tribunal, cujus reverentia abftinuit Epifcopus a pronunciando de irregularitate. Caufa nunc Eminentiffimis Patribus definienda proponitur, difputatque Vicarius teneri Promotorem Fifcalem duo concludenter probare, & collatum prius fuiffe ab obftetrice Baptifma infanti recens natæ, & fcientiam Vicarii, qui fciens prudens Baptifma domi collatum fuiffe ritè validèque, voluerit tamen iterum infantem in Ecclefia Baptizare: neutrum a Promotore Fifcali fuis Teftibus probari. Facti

Seff. 14. c.2. de Sacram.

Facti igitur hæc Causa est, non juris, & tota pendet a dictis Testium, eorumque qualitate, ut dignoscatur, quænam illis habenda fides sit, quidve probent. Longum esset eorum dicta referre, & quibus reprobentur exceptionibus. Legent hæc Eminentissimi Patres in libellis. A Promotore Fiscali nihil hactenus habuimus. Dubium vero definiendum hoc est.

An constet de Irregularitate in casu.

Esse absolvendum ad cauthelam.

Sess. 24. c. 4. de ref. Matr.

FULGINATEN. MATRIMONII: Sponsalia contraxerunt, & jurejurando firmarunt Petrus Jacomini, & Cæcilia Servoli vidua Sancti Sigismundi. Cum matrimonium contrahere voluerunt obstitit Episcopus Fulginas, qui canonicum impedimentum adesse dubitat ob suspicionem concubitus inter Cæciliam, & Petri fratrem germanum: sponsi igitur ad hoc Sacrum Tribunal confugerunt. Auditus Episcopus, totus est in probanda prava consuetudine inter Cæciliam, & fratrem Petri, ex qua præceptum ei *de non habitando*, *&* *de non conversando* in domo Sancti, & viduæ expedire debuerit. Addit testificationem ancillæ ejusdem Cæciliæ, quæ concumbentes vidisse refert: huic testificationi conjunctis adminiculis, fidem habendam contendit in re difficillimæ probationis, præsertim, cum non agatur ad poenam inferendam, neque res sit de matrimonio dirimendo, sed de impediendo, ne contrahatur. Hæc Episcopus.

Contra sponsi purum putumque commentum esse disputant, quod de hoc impedimento differitur: Inventum hoc fuisse Nicolai fratris Cæciliæ, qui nollet eam ad secundas nuptias venire: satis non esse ancillæ voluntariam testificationem ad vetandum matrimonium, ubi sponsalia jurejurando firmata fuerint, ut est in *cap. præterea 2. de sponsal.*, & tradit *Sanchez de matrim. lib. 1. tit. de sponsal. disput. 71. num. 6.* præsertim cum ancilla pluribus laboret exceptionibus: Vilis enim est, & inhonesta, atque infensa Cæciliæ, quod e domo ejecta fuerit ob turpe cum defuncto suo viro commercium, ideoque etiamsi non ageretur de sponsalibus juratis, adhuc matrimonium impediri non deberet *Monacell. formul. tom. 1. tit. 8. formul. 9. n. 2. Panimoll. dec. 19. annot. 3. num. 25.* Satis esse reddi dubiam impedimenti veritatem, ut Sacrorum Canonum dispositioni locus sit, quæ vult ad suspicionem purgandam deferendum esse mulieri Sacramentum *cap. continebatur de desponsf. impub.* Hæc atque alia sponsi. A Promotore Fiscali nihil habuimus. Videant itaque Eminentissimi Patres, qua ratione expediendum sit Dubium.

An constet de impedimento canonico, seu potius sit locus celebrationi matrimonii in casu &c.

Dilata ad primam post Reges.

MARTURANEN. PAROCHIALIS. Indicto Concursu ad vacantem Ecclesiam Abbatialem, & Parochialem Terræ Mottæ Marturanæ Diœceseos, venerunt stata die coram Episcopo, ex tribus Examinatoribus octo Sacerdotes, ex quibus prælati cæteris fuerunt Bonaventura Funatus, & Rocchus Santangeli. Episcopus omnibus, ut par erat, perpensis, Rocchum Diœcesanum, Juris peritum, Sacrorum Canonum Lectorem, pluribusque aliis qualitatibus præditum, uti digniorem elegit. Acceptis igitur a Roccho testimonialibus, & in Dataria exhibitis signata fuit a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO supplicatio, & non obstantibus oppositionibus duorum Sacerdotum Sacco, & Notarianna, qui longe minora *puncta* in concursu obtinuerant, expeditæ fuerunt literæ provisionis. Sed duo Sacerdotes ad hoc Sacrum Tribunal venerunt querelam proponentes nullitatis concursus, atque appellantes a judicio Episcopi. Transmissis igitur actis concursus, auditoque Episcopo Causa nunc proponitur, & totus est Rocchus Santangeli in suo libello, ut validitatem concursus, & justum fuisse judicium Episcopi demonstret. Cum autem, quid contra proponant duo Sacerdotes Sacco & Notarianna, ignoretur, idem Rocchus unam, quam audivit opponi, nullitatem refellit, quæ est Examinatores in Synodo non fuisse electos, & quia hæc neque in facto, neque in jure subsistit, aliam rejicit nullitatem Synodi, quam duo Sacerdotes contradictores prætendunt, quia una die Synodus expedita fuerit: Cum enim res sit de Synodo, quæ quotannis certa die agitur, & de parva Diœcesi, mirum non est Synodum una die expediri, neque ob id nulla dici potest *Pax Jordan. Lucubr. tom.*2. *lib.*8. *tit.*2. *de Synod. Diœces. num.*41. *Gavant. in Prax. Synod. Diœc. unic. sess. par.*2. *Monacell. in Append. ad* 3. *par. tom.*3. *sub num.*26. *pag.*198. A Sacerdotibus Sacco, & Notarianna nihil habuimus. Duo sunt Dubia expedienda. *Sess.* 18. *c.* 1 *de ref.*

I. *An constet de nullitate Concursus in casu &c.* & quatenus negativè.

II. *An constet de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.*

Dilata ad primam post Reges etiam unica.

NULLIUS, SEU S. SEVERINI PAROCHIALIS DEL SERRONE. Monasteria *S. Mariæ de Rambona*, *&* *SS. Laurentii in Doliolo*, *& Eustachii* Ordinis pridem S. Benedicti, inde in Abbatias Commendatitias conversa Summi Pontifices Cœlestinus III., atque Honorius pariter III. cum omnibus suis Terris, Ecclesiis, colonis, ac personis a quacumque Episcoporum jurisdictione exempta esse voluerunt, & immediatæ Sedis Apostolicæ *Sess.* 24. *c.* 18. *de Ref.*

licæ Protectioni subjecta; atque hanc exemptionem Summus Pontifex Paulus III. iterum confirmavit. Episcopus tamen Camerinensis a Summo Pontifice Pio IV. partem Jurisdictionis in iis impetravit, nempe *quoad Visitationem Ecclesiarum Parochialium*; Unde inter eum, & Abbates Commendatarios diù in Tribunali certatum est, donec controversias omnes sustulit Summus Pontifex Urbanus VIII., qui Motu suo proprio, edito die 10.Martii 1732. *Monasteria prædicta, illorumque, & cujuslibet illorum Bona, Laboratores, Familiares, Presbyteros, Beneficiatos, Clericos, eisdem Monasteriis inservientes, & alios ipsorum Monasteriorum servitiis pro tempore adscriptos, & denique Ecclesias censum eisdem Monasteriis solventes ab omni, & quacumque Ordinarii Loci pro tempore existentis jurisdictione, superioritate, visitatione, & correctione penitus, & omninò auctoritate, & tenore prædictis perpetuò, & de novo, quatenus opus sit, exemit & liberavit*. Sed cum Episcopus S. Severini contenderet nullam in Abbates Commendatarios collatam fuisse Ecclesiastica n Jurisdictionem in Monasteriis, bonis, & personis, idem Summus Pontifex alio suo Motu proprio concessit *eidem Cardinali Commendatario, ejusque successoribus Abbatibus, seu perpetuis Commendatariis Jurisdictionem Ecclesiasticam in Monasteriis præfatis, ac in bona, personas, ac Ecclesias per nos exemptas privativè quoad d. Episcopum S. Severini, & quemvis alium Loci Ordinarium, itaut Episcopus, & Ordinarius hujusmodi nequidem tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, etiam vigore Decretorum Concilii Tridentini nullam omninò Jurisdictionem, seu actum Jurisdictionis in Monasteria, bona, personas, & Ecclesias præfatas, & præfata quacumque de causa umquam exercere, seu prætendere possit*.

Verùm ne ita quidem lites, & controversiæ tolli potuerunt. Vacata siquidem anno 1660. Parochiali Ecclesia *S. Marci Castri Petini* quæ una est ex ecclesiis censum solventibus, Episcopus S.Severini contendens collationem faciendam esse per concursum, ideoque non spectare ad Abbatem, concursum indixit, atque ita Ecclesiam conferre tentavit. Sed Cardinalis Abbas prævio simplici examine, & sine concursu Ecclesiam contulit, atque hinc re ad Tribunal Rotæ delata, victus fuit Episcopus, & declaratum fuit verum, ac proprium Territorium separatum, ut videre est *in Recent.par.*13. *dec.*148. neque tamen siluerunt Episcopi S. Severini, namque *anno* 1682. *die* 11. *Aprilis* propositum fuit in hoc Sacro Tribunali Dubium -- *An, & quomodo in collatione Ecclesiarum Parochialium Abbatiæ servanda sit forma tradita a Sac.Conc.Trid. cap.* 18. *Sess.*24. *de refor.* cui Sacrum Tribunal respondit, *servandam esse Constitutionem Pianam* -- Die vero 30. *Maii anno* 1699. alia proposita fuerunt Dubia, contumace tamen Promotore Fiscale Abbatiæ, quibus responsum fuit -- *Quoad Presbyteros, & Clericos Abbatiales exemptos a Jurisdictione Episcopi, & synodalia Decreta eludentes procedi posse ad pœnas contentas in synodalibus Constitutionibus: Quoad Parochos, & Vicarios Abbatiales publicæ venerationi exponentes SS. Eucharistiæ Sacramentum, ad Indulgentias,*

tias, & Jubilea publicantes, Episcopo irrequisito, id eisdem Parochis minimè licere absque ipsius licentia. Reproposita vero Causa *die* 4. *Februarii anno* 1702. Dubio, quod erat -- *An sit standum, vel recedendum a Decisis sub die* 30. *Maii* 1699.? -- Responsum fuit, *Recedendum a Decisis, præterquam quoad concernentia Curam Animarum, Expositionem Sanctissimi, & publicationem Indulgentiarum* -- Sicuti hæc omnia plenius referuntur in *Folio Congregationis* habitæ *die* 21. *Januarii anno* 1719., *quod publici* Juris factum fuit, *vol.* 1. *Thesaur. Resol. Sac. Congregat. pag.* 191.

Recruduerunt lites, & controversiæ de jurisdictione anno 1719., quo Episcopus V. Dubia expedienda proposuit I. *An in collationibus Ecclesiarum Parochialium Abbatiæ Sancti Laurentii in Doliolo sit standum, vel recedendum a Decisis sub die* 11. *Aprilis* 1682. *in casu &c.* II. *An electio Œconomorum tam in casu vacationis Ecclesiarum Parochialium dictæ Abbatiæ, quàm inhabilitationis eorum Parochorum ad exercitium Curæ spectet privativè ad Episcopum in casu &c.* III. *An Confraternitates laicales erectæ in Altaribus Ecclesiarum Parochialium dictæ Abbatiæ subjaceant visitationi, directioni, & jurisdictioni Episcopi in casu &c.* IV. *An Beneficia erecta in Altaribus dictarum Parochialium subjaceant directioni, & jurisdictioni Episcopi in casu &c.* V. *An Decretum Sac. Congregationis emanatum die* 30. *Maii* 1639. *& confirmatum die* 4. *Februarii* 1702. *sit etiam servandum singulis tertiis Dominicis cujuslibet Mensis, & per totam octavam Festivitatis SS. Corporis Christi in Ecclesia Abbatiali S. Laurentii in casu &c.* His autem propositis in *Congregatione* habita *die* 4. *Februarii eodem anno* 1619. responsum fuit, *Ad I. Dilata, & videatur particulariter de unaquaque Ecclesia. Ad II. Affirmativè. Ad III. Negativè. Ad IV. Negativè. Ad V. Affirmativè* -- ut in eodem *Vol. I. Thesaur. Resol. Sac. Congreg. Concil. pag.* 154. Reproposito autem in *Congregatione* habita *die* 17. *Jun.* 1719. tum I. Dubio non definito, tum II., quo quærebatur. *An sit standum, vel recedendum à Decisis quoad II. III. IV. & V. Dubium* -- responsum fuit -- *Ad I. Recedendum a decisis. Ad II. Standum in decisis quoad II. III.* IV. *& quoad primam partem V. & esse recedendum quoad Secundam partem V., & ampliùs* -- ut in eodem *Vol. I. Thesaur. Resol. S. Congreg. pag.* 207. Atque ita ex responso dato primo dubio facta fuit Episcopis facultas indicendi concursum in vacationibus Ecclesiarum Parochialium Abbatiæ.

Anno tamen 1736. vacata Parochiali Ecclesia *S. Blasii Fontis cupæ*, quæ altera est ex iis censum solventibus, Episcopus non solum indixit concursum, sed etiam Parochiam contulit, ideoque Abbas Commendatarius cla; mem; Cardinalis Laurentius Alterius duo proposuit Sacro huic Tribunali Dubia deficienda I. *An collatio Ecclesiæ Parochialis, de qua agitur, spectet ad Eminentissimum Abbatem Commendatarium?* & quatenus affirmativè. II. *An literæ collationis expeditæ per R.P.D. Episcopum Sancti Severini favore Rev. Joannis Marræ, & possessio ab ipso capta vigore dictarum literarum sint circumscribendæ in casu &c.* sed iis propositis anno 1737.

no 1737., responsum fuit *Dilata*, *& coadjuventur probationes.* Decessit inde Abbas Commendatarius, & Abbatia collata fuit Eminentissimo Domino Cardinali de Ilcio: Romam venit Episcopus, multosque cum eodem Eminentissimo Domino habuit sermones de litibus actis anno 1719., & 1736., & sequent., ex quibus dicebat factum esse, ut duæ Parochiales Ecclesiæ sine Rectore essent, atque hinc scandala, mala, & animarum pernicies, quæ perpetua essent futura, nisi finis litibus imponeretur. Hæc igitur animo secum reputans Eminentissimus Abbas, ut mala omnia averteret, familiarem epistolam ad Episcopum dedit, qua certum eum reddidit se novas non illaturum molestias de controversiis in hoc Sacro Tribunali pendentibus, immo se rati habiturum editas ejusdem definitiones. Rediit igitur, rebus ita compositis, in Diœcesim Episcopus, & concursum ad duas Parochiales Ecclesias vacantes indixit, certioremque reddidit de edictorum affixione Eminentissimum Abbatem, qui pari officio respondit -- *non dubito punto, che le note Chiese Parochiali saranno proviste da V. S. Illustrissima di buon Pastore, sapendo qual sia il suo zelo per la salute dell' anime, e per questo tanto più volontieri mi sono indotto confidarle tutte alla sua vigilanza.*

Post hæc Episcopus, ne certiore quidem reddito Eminentissimo Abbate, Ecclesias illas contulit, & cum anno 1752. vacasset in Mense Sedi Apostolicæ reservato Parochialis Ecclesia *S. Mariæ del Serrone*, quæ una est ex iis, quæ censũ Abbatiæ solvunt, concursum indixit, digniorem prælegit, cumque suis testimonialibus munitum ad Datariam remisit, in qua biduo gratia provisionis expedita fuit, ignaro de omnibus Eminentissimo Abbate, qui frustra querelas fudit, sed iterum vacata in mense reservato eadem Parochiali Ecclesia *del Serrone*, Eminentissimus Abbas ratus non esse amplius cunctandum, impedimentum in Dataria apposuit, ne supplicatio prælecti ad Episcopo relaxaretur. Eminentissimus autem Cardinalis Pro-Datarius rem omnem Eminentissimis Patribus Sacri hujus Tribunalis definiendam dedit, & nunc Causa proponitur. Longum esset in facto ita longo rationes omnes exscribere, quibus Eminentissimus Abbas jus collationis sibi vindicat, nequicquam obstantibus suis epistolis, quas malè ab Episcopo interpretari contendit. Legent rationes illas Eminentissimi Patres in ejus libello, ut & illas Episcopi, si ab eo dabitur; nihil enim hactenus habuimus ab eo. Omnibus autem perspectis, Dubium expedire poterunt.

An sit relaxanda supplicatio in casu &c.

Non proposita.

INDEX CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM OMNIUM,

Quæ in singulis Folii Anni 1756. *fuerunt adnotatæ*.

C

D

Ere-

F

H

I

Ma-

sitis *in Alerien. Sepultura* 17. *Ian. pag.* 9. *cum seq.*

Eidemque etiam omnia debentur emolumenta, *Ibid ad V. Dub.*

Imo, & denegata exhumatione Cadaverum jam sepultorum, locus fuit restitutioni emolumentorum perceptorum servata forma quartæ funeralis, *Ibid. ad VI. Dub.*

Parochialis Ecclesiæ Condictus non tenetur residere, quoties in Coadjutoriæ bulla non adest decretum residendi, ideoque non indiget gratia dispensationis a residentia locali *in Brugnaten. Coadjutoriæ* 17. *Iul. pag.* 1. *ad I. Dub.*

An, & quando Coadjutus prædictus possit facultative administrare Ecclesiam suam in spiritualibus, itaut Coadjutor nihil agere valeat nisi eo requisito *Ibid. ad III. Dub.*

Parochiæ permutatio absque consensu parochi denegata fuerat in *Constantien. Permutationis Parochiæ* 20. *Dec. superioris anni pag.* 109. *cum sequent.* Parochumque ad d. Parochiam reintegrandum fructusque restituendos a die sequestrationis fuit rescriptum, quod confirmatur *sub die* 20. *Nov. hujus anni p.* 81. ubi Sacra Congreg. rescripsit: *in decisis, & amplius*, dixitque decimas novalium prædicto parocho non deberi.

Parochialium unio a Summo Pontifice facta dicitur, vel confirmata *subjective* non *æque principaliter*, si usus sit verbis *unimus, annectimus, incorporamus*, quæ subjectivam unionem præseferunt, *p.* 9. §. *Disputat.*

Si data fuerint Capitulo, vel Ecclesiæ *omnia jura*, scilicet redditus, fructus, emolumenta, quæ ad Ecclesias illas Parochiales spectabant, *ibid.*

Si data fuerit Capitulo, sive Ecclesiæ eidem facultas deputandi Sacerdotes ad nutum amovibiles in eisdem Ecclesiis Parochialibus unitis, *ibid.*

Quo casu extincto Parochiæ titulo in congruum est etiam, ut sacra *pro populo* agi debeant, *ibid.*

Quod placuit S. Congreg. confirmare in *Nuscana* 17. *Ian p.* 8 *cum seq.* ubi jussit Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Piano Oppidi Montellæ teneri unam tantum Missam pro populo diebus festis celebrare, licet plures haberent Parochiales eorum Collegiatæ unitas.

Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ Capitulum habet curam habitualem animarum, actualem vero penes Archipresbyterum est, in *Baren.* 28. *Aug. p.* 64. *cum seq. ad I. Dub.*

Denunciationes autem, & publicationes, quæ fiunt inter Missarum solemnia pro contrahendis Matrimoniis promovendis ad sacros ordines, excommunicationibus, & indulgentiis pertinent privative ad Archipresbyterum, *ibid. ad II. Dub.*

Delatio etiam stolæ in funeribus, & absolutio super cadavera explendæ sunt per Archipresbyterum prædictum, *ibidem ad III. Dub.*

Et ad Archipresbyterum privative pertinet jus deferendi sacrum Viaticum, & Oleum Sanctum Infirmis, *ibid. ad IV. Dub.*

Benedictio similiter Domorum in die Sabbathi Sancti ad eumdem spectare, *ibid. ad V. Dub.*

Neque licere confessariis Canonicis requisitis privative quoad Archipresbyterum ministrare independenter Sacramentum Baptismatis, *ibid. ad VII. Dub.*

Qui tamen actus, & functiones privative ad Archipresbyterum spectantes eo absente, vel impedito expleri possunt ab ejus substituto etiam non Canonico; contrarium vero, quod alias functiones, quæ fiunt in Sabbatho Sancto, in Dominica Palmarum, in Feria Quarta Cinerum, & Quinta Cœnæ Domini, ac in Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, *ibid. ad IX. Dub.*

Claves etiam Baptisterii, & Olei Sancti retinendæ sunt per Archipresbyterum, claves vero Sacri Tabernaculi per Archipresbyterum, & Sacristam Ecclesiæ, *ibid. ad XI. Dub.*

Subsacristæ in eadem Ecclesia quotannis eligi valent, absque intelligentia, & Archipresbyteri prædicti approbatione, *ibid. ad XII. Dub.*

Ad Procurationis expensas contribuere cum Curato tenentur Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Scrophani ad formam Constitutionis Synodalis non obstante contraria consuetudine in *Pientina Procurationis* 20. *Nov. pag.* 81.

R

Reddituum defectus facit, ut Canonicus, & Dignitates cogi nequeant ad servitium quotidiane Choro præstandum, *p.* 58. §. *Coadjutor.*

Ideoque S. Congregatio statuit, quod Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Recineti teneretur interesse diebus tantum festivis de præcepto, & tempore Adventus, & Quadragesimæ, in *Recineten. Servitii Chorii* 7. *August. pag.* 60. *ad I. Dub.*

Imo neque ad fallentias pro tempore præterito damnavit, *ibid. ad II. Dub.*

Reductioni Missarum non esse locum decretum fuit, in *Firmana Legati* 28. *Aug. pag.* 64.

Reductio, & diminutio oneris sacrorum ob diminutionem redituum, quæ evenit sine ullo facto, vel culpa conceditur, *p.* 4. §. *Binas.*

Eoque amplius si sacrorum obligatio cognatam habeat conditionem, si redditus, quibus obligatio prædicta respondet, in eodem statu sint, *ibid.*

Quod decreto suo confirmavit S. hæc Cong. in *Romana Reductionis* 7. *Febr. p.* 13.

Re-

F I N I S.

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SACRÆ CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, aliasque Canonici Juris Sanctiones,

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SACRÆ CONGREGATIONIS

OBEUNTE

R.MO P. D. FURIETTO

PRODIERUNT

In Causis sub Annum 1757. propositis,

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, & necessarius.

TOMUS XXVI.

TRIPLICI INDICE

LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLVII.

Typis, & Sumptibus De Mainardis in Platea Agonali.

SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX
TITULORUM CAUSARUM OMNIUM,
Quæ Anno 1757. fuerunt in Sac. Concilii Congregatione propositæ.

Ne-

Die Sabbathi 22. Januarii 1757. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.



Uatuor primæ, quas ſubiicimus, Cauſæ *dilationem* ab Eminentiſſimis Patribus obtinuerunt *ad hanc Congregationem*: Prima quidem in *Congregatione* habita *die* 20. *Novembris*: Tres reliquæ in *Congregatione* habita die 11. *Decembris* anno nuper tranſacto. Rogamus igitur Ampliſſimos Patres, ut ad eas expediendas *Folia earumdem Congregationum* iterum conſulant.

URGELLEN., cujus XXXI. Capita numerantur. *Seſs. 24. c. 18. de Reform.*

I. *An, & cujus qualitatis ſit Eccleſia S. Mariæ in Cœlum Aſſumptæ Villæ de Llimiana, nempe Collegiata, Communitativa, aut ſimplex Parochialis.*

II. *An Gubernium, & Regimen ejuſdem Eccleſiæ tam quoad ſpiritualia, quàm quoad temporalia ſpectet ad Rectorem independenter a Sacerdotibus Beneficiatis?*

III. *An, & ad quem, vel quos ſpectet jus retinendi claves Eccleſiæ Sacriſtiæ, & Archivii?*

IV. *An, & ad quem, vel quos ſpectet jus retinendi librum, in quo adnotantur Miſſæ, Anniverſaria, aliaque opera pia in eadem Eccleſia fundata?*

V. *An a Rectore, vel a Beneficiatis ſit conficienda Cartella, in qua adnotantur Miſſæ ſingulis diebus, aut hebdomadis celebran.?*

VI. *An horæ pro celebratione Miſſarum ſolemnium, aliarumque Eccleſiaſticarum Functionum in ſupradicta Eccleſia ſint determinandæ a Rectore, vel a Beneficiatis?*

VII. *An, & ad quem, vel quos ſpectet determinatio dierum pro celebratione Miſſarum, vel Anniverſariorum, quæ ex aliquo impedimento ſtatutis diebus celebrari non potuerint?*

VIII. *An Jus exigendi redditus, & proventus ejuſdem Eccleſiæ ſpectet ad Rectorem privativè, ſeu potius ad ipſum unà cum Beneficiatis, ita ut per Turnum ſit quolibet anno eligendus Exactor?*

IX. *An, & ad quem, vel quos ſpectet jus recipiendi, & retinendi pecuniam in caſu extinctionis alicujus cenſus?*

X. *An in investimentis pecuniarum, novisque creationibus census liceat Rectori proprio libitu disponere, seu potius sit exquirendum, & attendendum votum singulorum Beneficiatorum in Capitulo ad hoc præcisè convocando?*

XI. *An tam Rector, quàm Beneficiati, qui justè impediti, Missis cantatis, Anniversariis, aliisque Sacris Functionibus non interveniunt, lucrentur solita emolumenta?*

XII. *An Coadjutor Rectoris nuncupatus Vicarius faciat corpus cum Beneficiatis?*

XIII. *An absente Rectore ad illius Vicarium spectet jus regendi Chorum, & præsidendi in Ecclesia, seu potius ad Beneficiatum seniorem?*

XIV. *An jus convocandi Beneficiatos, seu Presbyteros pro pertractandis Ecclesiæ negociis spectet ad Rectorem?* Et quatenus affirmativè.

XV. *An convocatio dictorum Beneficiatorum, sed Presbyterorum fieri debeat ad sonitum campanæ, vel per nuncium de Ordine Rectoris?*

XVI. *An licentia pulsandi campanas, quando opus fuerit, concedenda sit a Rectore independenter a Residentibus?*

XVII. *An, & ad quem, vel quos, spectet determinatio numeri missarum quolibet die canendarum?*

XVIII. *An designatio Sacerdotum, & Ministrorum pro missis canendis spectet ad Rectorem, seu potius sit procedendum per Turnum?*

XIX. *An designatio Presbyterorum, aliorumque Sacrorum Ministrorum pro celebratione Missarum solemnium, & aliorum divinorum Officiorum in hebdomada sancta, & die Nativitatis Domini spectet ad Rectorem, seu potius inservire debeant duo ultimi Beneficiati, alter ad officium Diaconi, & alter Subdiaconi?*

XX. *An qui, & quomodo teneatur more, & loco consuetis exorcizare tempestates?*

XXI. *An oblationes dividi debeant super petram positam ante januam majorem Ecclesiæ, seu potius in domo Rectoris.*

XXII. *An Exactor redditu um sacristiæ Sacrista nuncupatus, qui eligitur a Communitate sæculari loci sit subordinatus Rectori, seu potius Decurionibus ejusdem Communitatis, eisque debeat rationem reddere?*

XXIII. *An Rector teneatur qualibet die Missam pro Populo offerre?*

XXIV. *An, & qui teneatur exercere Officium vulgo* Armaro?

XXV. *An Parochiani Ecclesiæ Filialis S. Christophori teneantur præceptum Paschatis adimplere in Ecclesia Matrice Loci de Lliana, seu potius sit adigendus Rector in eadem solemnitate iisdem Parochianis ministrare Eucharistiæ Sacramentum in eadem Ecclesia Filiali S. Christophori?*

XXVI. *An, & qui teneatur statis diebus, & horis erogare eleemosynas erga pauperes?*

XXVII. *An ex legatis olivarum relictis a piis Testatoribus teneatur Rector*

Rector continuo manutenere lampadem vulgo dictam di nostra Signora *accensam in altari majori*, *seu potius possit oleum sibi appropriare ?* Et quatenus affirmativè ad primam partem.

XXVIII. *An teneatur idem Rector rationem reddere de oleo ex olivetis percepto ab initio sui Rectoratus usque ad præsentem diem ?*

XXIX. *An*, *& ad quem spectet deputatio administratorum Eremi*, *& Eremitæ SS. Protasii*, *& Gervasii ?*

XXX. *An*, *& cui sit subordinatus dictus Eremita*, *& cui teneatur reddere rationem de oblationibus*, *& eleemosynis ?*

XXXI. *An*, *& qui debeant retinere claves Capsulæ*, *seu Cappellæ*, *in qua asservantur Reliquiæ supradictorum Sanctorum in casu &c.*

Dilata, & proponatur in prima post Cineres, etiam unica.

ARIMINEN. in qua quæritur.

An sit standum, *vel recedendum a decisis quoad primum Dubium in casu &c.* *Sess. 22. c. 8. de ref.*

In decisis, & amplius.

FULGINATEN. MATRIMONII, cujus Dubium est. *Sess. 24. c. 4. de ref. Matr.*

An constet de impedimento canonico, *seu potius sit locus celebrationi Matrimonii in casu &c.*

Ordinario qui permittat publicationem proclamatum, & ad mentem.

MARTURANEN. PAROCHIALIS, quæ duo habet Capita. *Sess. 24. c. 18. de Ref.*

I. *An constet de nullitate concursus in casu &c.* ? & quatenus negativè.

II. *An constet de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.*

Negative ad utrumque.

NULLIUS, SEU SANCTI SEVERINI DEL SERRONE: *Sess. 24. cap. 18. de ref.* Hæc quoque Causa data fuit in *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 11. *Decembris* transacto *anno* 1756., sed proposita non fuit: Proponetur nunc ut credimus, & respondendum erit Dubio.

An sit relaxanda supplicatio in casu &c.

Negative.

Sess.14. c.7. de Ref.

FERETANA IRREGULARITATIS. Ex causa homicidii Joanni Mariæ Tondi damnati fuerunt anno 1745. a Curia Episcopali Feretrana in Ergastulum Clericus Franciscus, & Subdiaconus Laurentius Fratres Maccioni: Clericus quidem uti occisor, Subdiaconus vero uti conscius, atque adjutor criminis. Cum tamen exacto biennio, & pacem impetrassent a consanguineis occisi, & plures edidissent probationes, ex quibus constabat homicidium non ex consilio, sed in rixa admissum fuisse, uterque a pœna absolutus fuit. Inde Subdiaconus Laurentius precibus oblatis Sacratissimo Principi, editisque juribus, quibus excludebatur scientia, & adjutorium crimini præstita Decreto Sacri hujus Tribunalis ab irregularitate dispensatus fuit: Iisdem juribus fretus Clericus frater in spem venit, & ipse impetrandi eamdem dispensationem, sed pluries, licet eam postulaverit, semper tamen rejectus fuit: repetitis denique precibus obtinuit, ut Causa *in Folio* proponeretur. Audito igitur jam Episcopo eamdem nunc ab Eminentissimis Patribus postulat dispensationem, quam indulgendam credit, quia ex dictis juribus constet homicidium non ex proposito, & per industriam, sed in rixa, primoque animi motu ob læsum ejus honorem ab occiso commissum fuisse, quo casu dispensari posse statutum est ab ipso Sacro Concilio *sess.*14. *cap.*7. *de ref.* præsertim, cum aliæ concurrunt circumstantiæ transactio nempe cum Fisco, pax data a consanguineis occisi, lapsus temporis a die commissi criminis, pœnitentia acta, alique, de quibus *Fagnan. in cap. Henricus* 2. *n.*34. *de cleric. pugn. in duell.*, & *Fargna de jurepatr. par.*1. *can.*5. *cas.*66. Videant igitur Eminentissimi Patres, qua juris ratione expediendum sit Dubium.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess.22. c.6. de ref.

REATINA LEGATI. Legavit Christophorus Perisetti Testamento, quod condidit anno 1741. Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Reatinæ scut.200., adjecto onere perpetuo 48 sacrorum *pro remedio animæ suæ, ejusque uxoris*. Si legatum repudiarent Canonici, substituit Collegium Divi Paulli ejusdem Civitatis, ejusque Collegii Patres *Doctrinarios* cum eodem sacrorum agendorum onere. Repudiarunt Legatum Canonici Cathedralis, illudque agnoverunt prævio Episcopi assensu Patres *Doctrinarii*, qui publicis tabulis summam illam a filiis, & hæredibus Christophori recepisse fassi sunt, & obligationem susceperunt onus sacrorum adjectum perpetuo adimplendi, & datam fidem liberarunt. Sed cnm placuisset Sacratissimo Principi nostro Congregatio-

gationem Clericorum sæcularium *Doctrinæ Christianæ* unire Provinciæ Romanæ Congregationis Avenionensis Clericorum Regularium pariter Doctrinæ Christianæ, & ab ea separare Ecclesiam, & Domum Collegii Divi Paulli Reatini, ejusque bona, tributis Ecclesia, & Domo piis Puellarum Magistris, bonis vero attributis Ecclesiæ Parochiali S. Rufi Patrum Ministrantium Infirmis ejusdem Civitatis Reatis, iidem Patres Ministrantes adjectum Sacrorum onus adimplere neglexerunt, & metuentes a Rev. Fabrica Divi Petri cum ea pro præteritis transegerunt. Id ubi resciverunt filii, & hæredes Christophori, ne deinceps eorum parentes fraudarentur sacris futuris, ad hoc Sacrum Tribunal confugerunt, ut compellerentur Patres Ministrantes, qui bona *Doctrinariorum* hypotheca pro hisce sacris agendis obnoxia acceperunt, onus adjectum implere. Renuebant Patres, quod summa scut. 200. a Christophoro legata, & ab ejus filiis soluta, a Patribus *Doctrinariis* dispersa fuisset, neque in prædium aliquod, & fundum implicata esset.

Auditus, ut moris est, Episcopus sese præstitit in hac lite Erciscundum, & in mediam ivit sententiam, censens ex æquitate aliquid Patribus Ministrantibus indulgeri posse *cum ex una parte bona, quæ ad ipsos ex Pontificia concessione transierunt, non magni valoris existimentur Ecclesiæ, & Domo piis Puellarum Magistris donatis, & ex alia parte solutio legati juridice factæ fuerit per Christophori hæredes Patribus Doctrinæ Christianæ*. Hæc Episcopus, qui tamen non explicat, quid sit illud *aliquid*, quod Patribus Ministrantibus Infirmis indulgendum esse censet. Dubium igitur datum fuit, quo quærebatur, an iidem Patres Ministrantes compelli deberent ad onus sacrorum implendum: Sed Patres aliud Dubium, quod inferiori loco subiicimus, disputari voluerunt: ignoramus tamen quam gratiam postulent, cum nondum nobis suorum jurium libellum dederint. Hæredes vero Christophori disputant nulli reductioni locum esse posse, cum eam Testator expresse vetuerit: Teneri Patres Ministrantes infirmis onus sacrorum implere, quia Sacratissimus Princeps bona ipsis tribuerit hac lege -- *Volumus autem, ut ipsi Clerici Regulares Ministrantes infirmis &c. omnia, & singula prædicta, & alia, si quæ sint, onera præfatis bonis annexa, quorum omnium implementum ad ipsam Parochialem Ecclesiam transferimus, plene, & integre, & omnimode juxta Benefactorum, & Testatorum ultimas voluntates, aliasque pias dispositiones, supportare, & adimplere omnino teneantur*. Ideoque, si ipsis placuit, bona *Doctrinariorum* hac lege recipere, onus implere teneantur etiam si summam illam scut. 200. legatam non acceperint a *Doctrinariis*, cum satis sit bona, quæ receperunt, hypothecæ hujus oneris adimplendi esse obnoxia. Dubium, quod proponitur, est.

An sit consulendum Sanctissimo pro gratia in casu &c.

Negative, & amplius.

NUL-

Sess.21.c.3.& Sess.24. c.12. de ref.

NULLIUS TERRÆ MELDULÆ OFFICIATURÆ, ET AGGREGATIONIS CONFRATERNITATIS. A Capitulo Vaticanæ Basilicæ deputatus fuit anno 1755. Visitator suæ Abbatiæ, in qua sita est Terra Meldulæ. Visitator duo tulit Decreta; Primum ut Archipresbyter ejusdem Terræ Sacrum hoc Tribunal consuleret, an ipse teneretur Choro, Divinisque Officiis interesse: Alterum, ut Pia quædam Congregatio nuncupata *de Coronari* uniretur Sodalitio nuncupato *del Sacro Cuore di Gesù*. Appellavit ab utroque Archipresbyter, & causa nunc IV. Dubiis instructa proponitur: neque aliud nos addere possumus, quando aliud non dixit Archipresbyter in suo, quem Nobis dedit, libello: contra vero Capitulum in suo Libello urget non solum dispositionem juris, ex qua Archipresbyter Choro Divinisquè Officiis interesse debeat, sed etiam dispositionem testamentariam Cæsaris Armanni, qui hæredem scripsit Congregationem Sacerdotum, quæ inde in Collegiatam erecta fuit, Bullam Erectionis, & specialem conventionem in ipsa Bulla insertam: Neque ab hoc onere liberari posse Archipresbyterum præsidio Curæ Animarum, quæ ei incumbit, cum cognitissimum sit Curam Animarum non dare *Arbitrium*, ut Archipresbyter contendit, serviendi, vel non serviendi Ecclesiæ, sed liberare a pœna, & facere, ut Parochus pro præsente habeatur, dum Curæ incumbit: Archipresbyterum habere redditus separatos distinctosque a massa capitulari, ideoque ex iis separandam esse tertiam partem pro distributionibus juxta decretum Tridentini *Sess.*22. *Cap.* 3. *de Ref.* dilationem denique postulat, ut de aliis Dubiis jura parare, & libellum scribere possit. Dubia vero sunt.

I. *An Archipresbyter Collegiatæ S. Nicolai Meldulæ teneatur interesse Divinis Officiis cum cæteris Canonicis in Choro?* Et quatenus affirmativè.

II. *An detrahenda sit aliqua portio ex redditibus Archipresbyteratus pro distributionibus in casu &c.*

III. *An sustineatur nova Aggregatio facta Confraternitati Cordis Jesu occasione postremæ visitationis.*

IV. *An servari debeant novissimæ Constitutiones ejusdem Confraternitatis Cordis Jesu in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Affirmative servata forma Capituli 3. Sess.22. Concil. Trid., & amplius. Ad III. & IV. Dilata ad sequentem.

Sess.24. c.18. de ref.

SUESSANA PAROCHIALIS: Concursum indixit mense Septembri anni 1755. ad vacantem Ecclesiam Parochialem S.Luciæ *Casalis Cellularum* Episcopus Suessanus. Tresdecim statuta die concurrerunt; Ex his novem Seminarii Alumnii, studii, & exercitationis, non obtinendæ Parochiæ Gratia: Inter quatuor reliquos erant Sacerdos Leo de Martino Parochus *Casalis S. Caroli*

roli, & Sacerdos Paſchalis Matano, inter quos hæc agitur cauſa. Expleto examine, uterque in Scrutinio approbatus fuit, ſed in ſcientia majora tulit puncta Matano: Epiſcopus tamen Leonem præelegit, eumque immiſit in poſſeſſionem Parochiæ. Appellavit Matano ad hoc Sacrum Tribunal, petiitque, ut non acta tantum concurſus, ſed etiam Proceſſum Criminalem anno 1745. contra Leonem tunc Parochum *Caſalis Fontis Radinæ* a Curia Epiſcopali factum, Epiſcopus tranſmitteret. Datis epiſtolis acta quidem concurſus tranſmiſit Epiſcopus, non Proceſſum Criminalem, quòd repertus non fuerit. Decretum tamen exhibet Sacerdos Matano, quo Epiſcopus *acceptabat renunciationem* Parochialis illius Eccleſiæ Fontis Radinæ, quam fecerat Leo de Martino, inflicta tamen pœna *pro tanta, temeraria, & non probata cauſa abdicationis dictæ Parochiæ vix per decem menſes poſſeſſæ, & tam negligenter adminiſtratæ, ut in poſterum ad Parochiales Eccleſias per Concurſus obtinendas omnino inhabilis remaneret, ac Sacramentales Confeſſiones non ſolum Parochianorum Diœceſis, ſed etiam dictæ Parochiæ Fontis Radinæ audire nequiret.*

Electionem ſuam defendit Epiſcopus cognitiſſima Conſtitutione SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI, quam his de rebus tulit: Leonem prætuliſſe ait, quod ſcientia eſſet ſufficienti, & Matano præſtaret *ætate, moribus, & exercitiis in gubernio Animarum tam in Parochia Fontis Radinæ, quam in Parochia Caſalis Sancti Caroli, nec non approbationibus in aliis Concurſibus*: cum e contra Matano ſimplex ſit Sacerdos, & Grammaticæ Ludimagiſter: nullam habendam eſſe rationem Proceſſus Criminalis, quod *ipſe de Martino* verba ſunt Epiſcopi, *ad evitandas vexationes exulum, vulgo banditorum, me contradicente, renunciavit Parochiam Fontis Radinæ, & ad ipſum mortificandum capere feci informationem ſuper quibuſdam levitatibus, ac decrevi non amplius admitti ad alios Concurſus. Attamen, tranſactis annis ſex circiter ab anno* 1745. *ad* 1751., *novo decreto fuit admiſſus, & approbatus in Concurſibus.*

Concludit denique Epiſcopus -- *Et quia cognoſco oves meas, in animam meam, quam in hac ſuprema ætate ſpero Domino reddere Teſtor nullum aptiorem habuiſſe præ oculis in dicta præelectione, quam dictum Parochum de Martino.* Cauſa nunc proponitur, & Sacerdos Matano non ſolum ſe doctiorem, ſed in aliis Leone præſtantiorem dicit propria numerans merita: eum vero deprimit tam Decreto Epiſcopali anni 1745., quod *ob quaſdam levitates* ferri non potuiſſe dicit, cum irrogata fuerit graviſſima pœna, quæque infamiam inureret, quam teſtificationibus quibuſdam, in quibus plura adverſus eum etiam in adminiſtratione Curæ Animarum obiiciuntur. Hæc Sacerdos Matano: a Parocho Leone nihil habuimus. Dubium eſt.

An conſtet de mala relatione Examinatorum, præelectione, ſeu irrationabili judicio Epiſcopi, itaut Parœcia ſit adjudicanda Paſchali in caſu &c.

Dilata ad ſequentem.

Die Sabbathi 12. Februar. 1757. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DUÆ Priores Causæ, quas subiicimus, in ultima *Congregatione* habita *die* 22. transacti mensis *Januarii* dilationem ab Eminentissimis Patribus obtinuerunt ad hanc *Congregationem*. Poterunt igitur earum *Folia*, repetita lectione, consuli, primæ quidem causæ duo priora Capita expedita fuerunt, duo reliqua expedienda sunt.

Sess. 21. c. 3. Sess. 24. c. 12. de ref.

NULLIUS TERRÆ MELDULÆ OFFICIATURÆ, ET AGGREGATIONIS CONFRATERNITATIS, in qua quæritur.

I. *An sustineatur nova Aggregatio facta Confraternitati Cordis Jesu occasione postremæ Visitationis?*

II. *An servari debeant novissimæ Constitutiones ejusdem Confraternitatis Cordis Jesu in casu &c.*

Affirmative ad utrumque, & amplius.

Sess. 24. c. 18. de ref.

SVESSANA PAROCHIALIS, cujus Dubium est.

An constet de mala relatione examinatorum, prælectione, seu irrationabili judicio Episcopi, itaut Parœcia sit adjudicanda Paschali in casu &c.

Affirmative ad primam partem, & fiat novus Concursus coram Metropolitano, & amplius.

Sess. 24. c. 18. de ref.

NULLIUS, SEU SANCTI SEVERINI PAROCHIALIS DEL SERRONE. Redit ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium hæc causa, quæ proposita in eadem *ultima Congregatione* habita *die* 22. transacti mensis *Januarii* Dubio ejus, quod erat: *An sit relaxanda supplicatio in casu &c.*, responsum accepit:

pit: *Negativè*: repetito igitur *Folio Congregationis* habitæ *die* 11. *Decembris* superiore anno 1756., in quo primum data fuit, respondendum erit Dubio.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

MARTURANEN. PAROCHIALIS. Hæc quoque Causa data fuerat in *Folio Congregationis* habitæ eadem *die* 11. *Decembris* 1756., sed dilationem obtinuit *ad primam post Reges*. Dedimus igitur eam in *Folio ultimæ Congregationis*: Duo erant ejus Capita. I. *An constet de nullitate concursus in casu &c.*, & quatenus negativè. II. *An constet de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.* His respondit Sacrum Tribunal: *Negativè ad utrumque*. Redit nunc ad novum examen, & expediendum est novum Dubium. *Sess.24. c.18. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam post Cineres.

REATINA NULLITATIS MATRIMONII. In eodem *Folio Congregationis* habitæ *die* 11. *Decembris* transacto *anno* 1756. Hæc legitur Causa, cui rescripserunt Eminentissimi Patres *scribat Defensor Matrimonii*. Scripsit hic, & pluribus disputat Parochum Carcerum fuisse proprium Parochum Francisci Fratini: neque probari metum directum, ut contraheretur matrimonium. Judicium igitur erit Eminentissimorum Patrum de Dubio, quod proponitur. *Sess.24. c.1. & 9. de ref. Matr.*

An constet de nullitate matrimonii in casu &c.

Dilata, & transportentur acta Criminalia Curiæ Laicalis.

NOLANA PAROCHIALIS: Data fuit hæc causa, quæ postulationem habet Præsidis Ursini erigendi in suo latifundio *del Flocco* aliam Parochiam distinctam a Parochia erigenda in latifundio *di Bosco Reale* a Principe Striani, in *Folio Congregationis* habitæ *die* 28. *Augusti* transacto *anno* 1756., sed proponi non potuit. Proposita itaque fuit *in sequenti Congregatione* habita *Sess.21. c.4. & sess.24. c.13. de ref.*

 die

die 18. *Septembris*, & Eminentiſſimi Patres reſcripſerunt: *Dilata*, *& ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem*. Datis igitur ad Epiſcopum literis, hic reſcripſit, ſed ejus epiſtolam Præſes Urſinus non reddidit. Moræ impatiens Princeps Striani eam reddidit, urgetque nunc Cauſæ propoſitionem, non quia ſeſe contradictorem præſtet Parochiæ, quam poſtulat Urſinus in latifundio *del Flocco*, ſed ne longior mora iniiciatur Parochiæ erigendæ in ſuo latifundio *di Boſco Reale*. Epiſcopus omnibus *inſtructionis* Capitibus reſpondit in ſua epiſtola, eaque perpenſa, onus erit Eminentiſſimorum Patrum definiendi.

An ſit permittenda erectio alterius Parochiæ in caſu &c.

Affirmative, & ad Mentem.

Seſs. 22. c. 4. Seſs 23. c. 1. & Seſſ. 24. c. 12. de Ref.

MINDONIEN. FRUCTUUM. Habetur ſpecies hujus Cauſæ *in Folio Congregationis* habitæ *die* 24. *Martii anno* 1753., quod juris publici factum fuit *in Volum. XXII. Theſaur. Reſol. S. Congregat. pag.* 20. Duo erant Dubia, quæ propoſita fuerunt. I. *An fructus Archidiaconatus de Montenegro huc uſque percepti ab Archidiacono Petro Grimaldi ſint reſtituendi Fabricæ Cathedralis in caſu &c.* II. *An eidem Fabricæ ſint applicandi fructus in poſterum percipiendi in caſu &c.* His reſponderunt Eminentiſſimi Patres: *Affirmativè ad utrumque*. Hanc definitionem exequi juſſit, lata ſententia, Tribunal A. C., & mandatum relaxavit. Verùm, quia definitio illa data fuerat contumace Archidiacono, poſtulavit hic, & obtinuit a Reverendiſſimis Patribus *novam Audientiam*. Die igitur 26. *Junii* ſuperiore *anno* 1756. propoſito Dubio: *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis*: Eminentiſſimi Patres reſponderunt: *Prævio receſſu a deciſis negativè ad primum Dubium* — nulla alteri Dubio data reſponſione, quòd inutilis eſſet, advento interim nuncio obitus Archidiaconi. Animum ex hoc reſponſo accepit Franciſca Herrera mater, & hæres defuncti Archidiaconi, & ut vicem rependeret, ſerramque reciprocaret, petiit reſtitutionem eorum fructuum, quos Fabrica Eccleſiæ Mindonienſis exegerat ex re judicata Sacri hujus Tribunalis, & ex mandato A. C. Nunc igitur definiendum erit Dubium.

An Fabricæ Eccleſiæ Mindonien. ſint applicandi fructus decurſi uſque ad obitum Archidiaconi Grimaldi in caſu &c.

Dilata, & ad D. Secretarium pro reformatione Dubii.

FASA-

FASANEN. Cum Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ Oppidi Fasani receptiva esset, & innumerata, & confusio frequenter contingeret in Choro, quem nullus regebat, Episcopus Sanctæ Agathæ Gothorum in Visitatione habita anno 1660. primus decrevit, *ut pro majori decore, & servitio Ecclesiæ, & ut Chorus dirigatur in Psalmis, Antiphonis &c. constituantur duo Cantores, sive Primicerii a Domino Bajulivo juxta antiquum solitum, & amplissima Privilegia Religionis, absque onere assignandi, & eis constituendi Præbendam aliquam, qui Primicerii, seu Cantores fruantur illis honoribus, præeminentiis, & emolumentis, quibus fruuntur Primicerii majoris, & Collegialis Ecclesiæ Putignani, & præcedant post Priorem omnibus Sacerdotibus Gremialibus &c., & eorum munus sit psalmos, hymnos, antiphonas intonare, ideo sint periti in cantu Gregoriano*. Hac igitur ratione restitutus fuit Choro suus Ordo; sed prospiciendum erat numero Sacerdotum participantium, qui cum in dies augeretur, tenues erant redditus singulorum. Anno igitur 1668. statutum fuit a Capitularibus, ut Ecclesia deinceps pro numerata haberetur, & triginta dumtaxat Sacerdotes ad participationem admitterentur, hac lege data, ut in locum deficientis senior cooptaretur, dummodo *abbia fatto il servizio, e servito per hebdomadas, e sarà preferito quello, che sarà prima ordinato, ed occorendo, che due saranno ordinati nell' istesso tempo, abbia da essere preferito quello, che hà maggiore età*. Diu tamen servata non fuit hæc sanctio Capitularis, nam anno 1678. querentibus Sacerdotibus angustum esse tricenarium numerum Sacerdotum participantium, auctus fuit ad quadragenarium, confirmato in cæteris statuto anni 1668., quod etiam confirmavit Episcopus in Visitatione habita anno 1681., lato Decreto, quo jussit *numerum quadragenarium non posse diminui, neque augeri sub pœna suspensionis a Divinis, & casu vacationis alicujus ex quadraginta, admittatur ille extragremialis, qui habuerit antianitatem Ordinis, & tolerabiliter fuerit versatus in cantu Gregoriano, servata forma Capitularis statuti*.

Sess.24. c.18. de Ref.

Ex hac methodo factum est, ut, deficientibus Primiceriis, novus eligeretur e numero participantium, & in portionem vacantem senior admitteretur Sacerdos in ordine e numero extragremialium, & si aliquando a Bajulivis Sacri Ordinis Hierosolymitani electi fuerunt Primicerii ex supranumerariis, qui in ordine seniores non essent, hi servitium sine portione Capitulari præstiterunt, donec, nova vacua portione, admitti possent ad numerum participantium, si eas haberent qualitates, quas statuta anni 1668., & anni 1678. constituerunt. Res tamen turbatæ sunt anno 1755., nam morte obita a Primicerio, in numerum participantium allectus fuit Sacerdos *Franciscus Vitale* senior in ordine: & cum Primicerius a Bajulivo eligendus esset, Provicarius Fasanensis sese Primicerium interinum constituit, donec a Bajulivo fieret electio, & lato Decreto jussit, ut jus quidem esset cuilibet Sacerdoti optandi portionem capitularem juxta ordinem

nem fenioritatis, ut femper factum fuerat, non tamen portionem defuncti Primicerii. Cum igitur hoc decretum everteret ordinem, qui hactenus fervatus fuerat, & leges capitulares ab Epifcopis confirmatas, & Capitulum, & Francifcus Vitale, cui ex adlectione jus quæfitum erat, provocarunt ad hoc Sacrum Tribunal contendentes Primicerios eligendos effe e numero participantium, & fi ex eo numero non eligantur, non poffe electos confequi Capitularem portionem, & participationem maffæ communis. Auditi fuerunt non folum Epifcopus Sanctæ Agathæ, fed etiam Epifcopus Monopolitanus, & Caufa duobus Dubiis collecta nunc proponitur, neque alia addimus, quia alia non habuimus a Capitulo Fafanenfi, a quo dumtaxat libellus continens factum, quod narravimus, nobis datus fuit. Dubia hæc funt.

I. *An Primiceriatus Ecclefiæ Fafanen. fint conferendi Sacerdotibus participantibus?* & quatenus negativè.

II. *An provifi de dictis Primiceriatibus non participantes, nec habentes requifita ftatutorum capitularium, & decretorum facrarum Vifitationum confequi debeant affertam portionem, & refpectivè participationem maffæ communis in cafu &c.*

Non propofita.

Seff.22. Dec. de obfervat. & evit. in celebr. Mifs.

ARIMINEN. CELEBRATIONIS MISSARUM. Teftamento, quo deceffit Joannes Antonius Tagliaferri Civis Caftri Montiani juffit, ut poft obitum uxoris fuæ, quam hæredem ufufructuariam inftituit, fuccederet *in tutta l' Eredità la Ven. Compagnia delle Stigmate facre eretta nella Chiefa del Santiffimo Crocififfo di Montiano, con l' obligo alla medefima Compagnia di far celebrare in fuffragio dell' anima mia, e di tutti li miei antenati, e congiunti ogn' anno quella quantità di Meffe, che porterà l' entrata di mia eredità in perpetuo &c.* Defuncta uxore ufufructuaria anno 1743., Sodales onus implentes, facra, quæ juxta annuos redditus hæreditarios agi poterant, diftribuerunt tam inter Sodales Sacerdotes, quàm inter alios Sacerdotes Caftri Montiani, & inter ipfos Patres Minores Obfervantes, in quorum Ecclefia erectum eft Sodalitium, immo etiam inter Sacerdotes vicinorum locorum. Sed Patres contendere cæperunt omnia Sacra in eorum Ecclefia, & ab ipfis Patribus agenda effe, quia Summorum Pontificum Conftitutionibus, & Sacrarum Congregationum Decretis cautum fit, ut Legata Sacrorum cuilibet Sodalitio relicta, non in quacumque Ecclefia, & a quibufcumque Sacerdotibus, fed in ea, in qua Sodalitium erectum eft, & a Sacerdotibus illius Ecclefiæ adimplenda fint, oblatifque precibus Sa-

Sacro huic Tribunali ita obtinuerunt, insciis tamen, atque inauditis Sodalibus.

Id ubi ab iisdem rescitum est, venerunt, & ipsi ad Eminentissimos Patres, disputantque locum a defuncto designatum non fuisse, ideoque in hæredis, cui onus datum est, arbitrio esse, quam velit Ecclesiam, & quos velit Sacerdotes eligere, ut centies in Tribunalibus judicatum est. Quod si etiam Ecclesia Patrum designata dici posset sive expresè, sive tacitè, non ob id tamen adempta esset hæredi facultas deputandi, quos vellet, Sacerdotes, qui in eadem Ecclesia agerent sacra. Causa nunc duobus Dubiis instructa proponitur, audito jam Episcopo. A Patribus nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An Missæ præscriptæ a q. Jo. Antonio Tagliaferri celebrari possint in quacumque Ecclesia Societati Sac. Stygmatum Terræ Montiani hæredi institutæ benevisa, seu potius sint celearandæ in Ecclesia PP. Min. Observ. dictæ Terræ?* Et quatenus affirmativè ad secundam partem.

II. *An dictæ Missæ celebrari possint a Præsbyteris sæcularibus per dictam Societatem eligendis, seu potius celebrari debeant a dictis PP. Minor. Obser. in casu &c.*

Dilata ad primam post Cineres.

Die Sabbathi 12. Martii 1757. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUæ primo loco recensentur duæ Causæ in ultima Amplissimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 12. transacti mensis *Februarii* definitæ non fuerunt, indulta eis ab Eminentissimis Patribus *dilatione*, ad hanc *Congregationem*: nunc itaque consulto iterum ejusdem *Congregationis* Folio poterunt expediri.

Sess.24.c.18. de ref.

MARTURANEN. PAROCHIALIS, in qua quæritur. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

In decisis, & amplius.

Sess.22. de obser.& evit. in celeb.Miss.

ARIMINEN. CELEBRATIONIS MISSARUM, cujus duo sunt Dubia.

I. *An Missæ præscriptæ a q. Jo: Antonio Tagliaferri celebrari possint in quacumque Ecclesia Societati Sac. Stygmatum Terræ Montiani hæredi institutæ benevisa, seu potius sint celebrandæ in Ecclesia PP. Min. Observ. dictæ Terræ?* & quatenus affirmativè ad secundam partem.

II. *An dictæ Missæ celebrari possint a Presbyteris sæcularibus per dictam Societatem eligendis, seu potius celebrari debeant a dictis PP. Minor. Observ. in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, & affirmative ad secundam, & amplius. Ad II. Scribatur Episcopo juxta mentem.

Sess.24.c.12. de ref.

RECINETEN. SERVITII CHORI: Speciem omnem hujus Causæ repetere poterunt Eminentissimi Patres ex *Folio Congregationis* habitæ *die* 17. *Julii* superiore *anno* 1756., ex quo constat Archipresbyterum Clementem Antonium Politi postulasse, ut hoc Sacrum Tribunal definiret, eum non teneri ad quotidianum Chori servitium defectu integri redditus. Dilata fuit ea die Causæ propositio *ad sequentem Congregationem*. Dedimus itaque eamdem Causam iterum in *Folio Congregationis*, quæ habita fuit *die* 7. *Augusti*, & duobus ejus Dubiis, quorum primum erat: *An Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Recineti teneatur Choro interesse diebus tantùm festivis de Præcepto, & tempore*

pore

pore Adventus, & Quadragesimæ? Alterum verò: *An teneatur solvere fallentias pro tempore præterito in casu &c.* Responderunt Amplissimi Patres: *Ad I. Affirmativè. Ad II. Negativè*. Commovit hæc definitio Præfectum Choro, qui in *Congregatione* habita *die* 11. *Decembris eodem anno* postulavit, & obtinuit *Audiri*, eoque instante Causa nunc reproponitur, & respondendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Ad I. Prævio recessu a decisis teneri quotidie. Ad II. Prævio recessu a decisis affirmative.

URGELLEN. Causa hæc post duas dilationes, quas Sacerdotes ab Eminentissimis Patribus obtinuerunt, tandem proponitur eorumdem Eminentissimorum Patrum imperio, qui in *Congregatione* habita *die* 22. superioris mensis *Januarii* rescripserunt: *Proponatur in prima post Cineres etiam unica*. Expedienda igitur sunt XXI. priora Dubia, quibus nunc Causa universa comprehenditur. Reliqua enim X., quibus in præteritum instruebatur, deleta fuerunt, cum inter Rectorem Ecclesiæ, & Universitatem Villæ transactio interim inita fuerit: qua de re monitos volumus Eminentissimos Patres. *Sess. 24. c. 18. de ref.*

I. *An, & cujus qualitatis sit Ecclesia S. Mariæ in Cœlum Assumptæ Villæ de Llimiana, nempe Collegiata, Communitativa, aut simplex Parochialis.*

II. *An Gubernium, & Regimen ejusdem Ecclesiæ tam quoad spiritualia, quàm quoad temporalia spectet ad Rectorem independenter a Sacerdotibus Beneficiatis?*

III. *An, & ad quem, vel quos spectet jus retinendi claves Ecclesiæ Sacristiæ, & Archivii?*

IV. *An, & ad quem, vel quos spectet jus retinendi librum, in quo adnotantur Missæ, Anniversaria, aliaque opera pia in eadem Ecclesia fundata?*

V. *An a Rectore, vel a Beneficiatis sit conficienda Cartella, in qua adnotantur Missæ singulis diebus, aut hebdomadis celebran.?*

VI. *An horæ pro celebratione Missarum solemnium, aliarumque Ecclesiasticarum Functionum in supradicta Ecclesia sint determinandæ a Rectore, vel a Beneficiatis?*

VII. *An, & ad quem, vel quos spectet determinatio dierum pro celebratione Missarum, vel Anniversariorum, quæ ex aliquo impedimento statutis diebus celebrari non potuerint?*

VIII. *An Jus exigendi redditus, & proventus ejusdem Ecclesiæ spectet ad Rectorem privativè, seu potius ad ipsum unà cum Beneficiatis, ita ut per Turnum sit quolibet anno eligendus Exactor?*

IX. *An, & ad quem, vel quos spectet jus recipiendi, & retinendi pecuniam in casu extinctionis alicujus census?*

X. *An in nvestimentis pecuniarum, novisque creationibus census liceat Rectori proprio libitu disponere, seu potius sit ex-*

qui-

quirendum, & attendendum votum singulorum Beneficiatorum in Capitulo ad hoc præcisè convocando?

XI. *An tam Rector, quàm Beneficiati, qui justè impediti, Missis cantatis, Anniversariis, aliisque Sacris Functionibus non interveniunt, lucrentur solita emolumenta?*

XII. *An Coadjutor Rectoris nuncupatus Vicarius faciat corpus cum Beneficiatis?*

XIII. *An absente Rectore ad illius Vicarium spectet jus regendi Chorum, & præsidendi in Ecclesia, seu potius ad Beneficiatum seniorem?*

XIV. *An jus convocandi Beneficiatos, seu Presbyteros pro pertractandis Ecclesiæ negociis spectet ad Rectorem?* Et quatenus affirmativè.

XV. *An convocatio dictorum Beneficiatorum, sed Presbyterorum fieri debeat ad sonitum campanæ, vel per nuncium de Ordine Rectoris?*

XVI. *An licentia pulsandi campanas, quando opus fuerit, concedenda sit a Rectore independenter a Residentibus?*

XVII. *An, & ad quem, vel quos, spectet determinatio numeri missarum quolibet die canendarum?*

XVIII. *An designatio Sacerdotum, & Ministrorum pro missis canendis spectet ad Rectorem, seu potius sit procedendum per Turnum?*

XIX. *An designatio Presbyterorum, aliorumque Sacrorum Ministrorum pro celebratione Missarum solemnium, & aliorum divinorum Officiorum in hebdomada sancta, & die Nativitatis Domini spectet ad Rectorem, seu potius inservire debeant duo ultimi Beneficiati, alter ad officium Diaconi, & alter Subdiaconi?*

XX. *An qui, & quomodo teneatur more, & loco consuetis exorcizare tempestates?*

XXI. *An oblationes dividi debeant super petram positam ante januam majorem Ecclesiæ, seu potius in domo Rectoris.*

Ad I. Esse simplicem Parochialem, & amplius. Ad II. Affirmative quoad spiritualia, quo vero ad temporalia juxta modum præscribendum. Ad III., & IV. Spectare ad Rectorem. Ad V. Esse conficiendam a Rectorem. Ad VI. Juxta Votum Episcopi. Ad VII. Spectare ad Rectorem. Ad VIII. Exactorem esse eligendum ab omnibus. Ad IX. Spectare ad Rectorem. Ad X. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad XI. Affirmative. Ad XII. Negative. Ad XIII. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad XIV. Affirmative. Ad XV. Arbitrio Rectoris. Ad XVI. Affirmative. Ad XVII. Spectare ad Rectorem. Ad XVIII., & XIX. Juxta Votum Episcopi. Ad XX. Teneri Rectorem. Ad XXI. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

COLIM-

COLIMBRIEN. EXEMPTIONIS SEMINARII: Cum in Civitate, & Diœcesi Colimbriensi nondum fundari, erigique potuisset juxta Tridentini dispositionem Adolescentium Collegium, statuit, qui nunc Ecclesiæ illi præest, Episcopus ære suo grande opus ad exitum perducere. Quia verò fabrica, quam meditabatur, Collegii, & Ecclesiæ publicæ eidem adjunctæ, non solum immanes impensas, sed etiam longum tempus requirebat, ideo ut interim adolescentes aliquid proficerent, ædes conduxit intra Civitatem, in quibus alumni retinebantur, & a sæcularibus magistris erudiebantur. Ædes hæ conductitiæ fuerunt primum in Parochia *S. Joannis*, inde in Parochia *Sancti Martini*: Statuit demum Episcopus locum certum fundandi Seminarium extra menia Civitatis intra limites Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ *S. Petri*, ad quam etiam pertinebat fundus, quem conduxit contractu emphyteusis perpetuæ. Statuta quoque novi Seminarii condere cœpit, quæ *Sacratissimus Princeps Noster* literis suis Apostolicis in forma Brevis confirmavit, data Episcopo potestate addendi, mutandi, corrigendi, prout ipsi optimum visum fuisset. Cum autem sæculares magistri, quibus in conductitiis ædibus ad erudiendos pueros utebatur Episcopus, vel non facilè invenirentur, vel facilè discederent, censuit satius esse advocare *Pios Operarios* Congregationis Aragonensis, quorum institutum idem est cum eo Patrum *Missionariorum*, eorumque Congregationi novum Seminarium perpetuo unire. Utens igitur facultate data a *Sanctissimo Domino Nostro* nova statuta condidit, in quibus Seminarium eidem Congregationi *Piorum Operariorum* perpetuò univit, & illud exemit a jurisdictione Parochi, subjecitque Rectori tum in adimplemento Paschalis præcepti, quod in Ecclesia publica Seminarii impleri voluit, tum in administratione Sacramentorum infirmitatis tempore, tum in sepultura decedentium, quæ nisi alibi electa fuisset, tradi voluit in Ecclesia publica ejusdem Seminarii. Hæc nova statuta, atque unionem Seminarii Congregationi *Piorum Operariorum* novis Literis Apostolicis confirmavit, probavitque *Sanctissimus Dominus Noster*, perfectoque demum opere Seminarii, & Ecclesiæ, apertum fuit novum Collegium, quod a *Piis Operariis* moderatur.

Sess. 6. cap. 5. Sess. 7. cap. 8. Sess. 21. cap. 8. Sess. 23. c. 15. & Sess. 24. c. 18. de ref.

Exemptiones illas ægrè ferens Prior Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ S. Petri adiit Judicem Civitatis, petiitque manutentionem in possessione Jurium Parochialium in Seminario, sed Rector judicium declinans libellum obtulit Sacro huic Tribunali, a quo auditus, ut fieri solet, Episcopus, hic & allegationes Parochi, & responsa Rectoris adjungens sententiam suam aperit pro confirmatione exemptionis. Causa itaque proponitur, & disputat Parochus ex juris dispositione liberum sibi esse exercitium actuum omnium, & functionum Parochialium in quibuscumque locis intra Parochiam suam sitis, & in personis eam incolentibus, ideoque non potuisse Episcopum exemptionem Semina-

minario dare, eoque amplius, quod & ipſe, & duo antecedentes Parochi, in quorum Parochia ſitæ erant conductitiæ ædes, in hac poſſeſſione eſſent exercendi jura Parochialia in Seminario: neque ullam a Rectore vim fieri poſſe in privilegiis; cum Literæ Apoſtolicæ ne unum quidem verbum habeant de exemptione, & confirmatio ſtatutorum, cum ſit in forma *communi*, non verò *ſpecifica* trahi non poſſit ad exemptionem a juribus Parochialibus, quam Summus Pontifex ignoravit. Unionem vero Seminarii Congregationi *Piorum Operariorum* cum non ſit *ſubjectiva*, ſed *æquè principalis* nihil mutare de juribus, & ſtatu utriuſque loci, & perſonarum *æquè principaliter* unitorum; ſalva igitur, atque integra debere eſſe Priori Jura Parochialia in Seminario, cum præſertim nulla ſit cauſa, ob quam has exemptiones concedere debuerit Epiſcopus, quas enim ipſe proponit in epiſtola ſua ad hoc Sacrum Tribunal inſubſiſtentes eſſe, & ineptas: Hæc Prior Parochialis S. Petri in ſuo libello. Rector contra ſilere juris diſpoſitionem, quæ Parochis favet, ubi conſtat de exemptione: de hac conſtare ex ſtatutis conditis in limine fundationis: neque poſſe Epiſcopo denegari hanc poteſtatem eximendi ſive tamquam Epiſcopo, ſive tamquam fundatori: Et quidem uti Epiſcopo, cum res non eſſet de jure quæſito, ſed de jure quærendo ab Eccleſia Parochiali: Uti fundatori, quia cognitiſſimum eſt licere fundatoribus leges, & conditiones apponere etiam juri contrarias; eoque amplius, quod nihil novi factum fuerit ab Epiſcopo, cum in Hiſpaniis, & præſertim in Diœceſi Toletana, atque Oriolenſi, ubi Seminaria unita ſunt Regularium Ordinibus, aut Congregationibus Presbyterorum, quæ privilegia Regularium habent, ita ſervetur; omnemque dubitationem adimi ex confirmatione Apoſtolica, quæ neceſſe non fuerit, ut eſſet in *forma ſpecifica*, cum ſatis ſit ſummum Pontificem unionem expreſſè confirmaſſe, ex qua ſequuntur exemptiones Seminario datæ. Unio enim *ſubjectiva* fuit, cum Seminarium *incorporatum* fuerit Congregationi *Piorum Operariorum*: Parochum Sancti Petri nullos Juriſdictionis actus exercuiſſe in Seminario: factum id ab eo, & a duobus præcedentibus Parochis in ædibus conductitiis, quo tempore non erat Seminarium, ſed ſcholæ potius, & ſcholares, qui Parochis ſubduntur: Rem denique judicatam haberi ab hoc Sacro Tribunali in ipſiſſimis terminis in *Toletana die* 9. *Julii anno* 1735. Hæc Rector in ſuo libello. Videant igitur Eminentiſſimi Patres, qua ratione expediendum ſit Dubium.

An ſit locus exercitio Jurium, & Functionum Parochialium in Seminario Colimbrienſi, ſeu potius conſtet de libertate ejuſdem Seminarii in caſu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam.

CA-

CAPUTAQUEN. Sunt in Dioecesi Caputaquensi duo inter se dissita loca, *Rhodium* nuncupantur, & *Sanctus Maurus*, quæ spectant ad Bajulivatum Sanctæ Euphemiæ Sacri Ordinis Hierosolymitani. In his locis Caputaquenses Episcopi ordinariam semper exercuerunt jurisdictionem spiritualem: At cum nuper multa nova contra Episcoporum possessionem egerit Vicarius Ordinis, adiit Episcopus *Sacratissimum Principem Nostrum*, a quo Causæ notio Sacro huic Tribunali data fuit. Omnibus igitur, quæ implenda erant, impletis, controversia quinque Capitibus collecta fuit, quorum lectione facilè intelligitur, quid sit id, de quo disputatur. Capita hæc sunt. Sess.22.c.8. de Ref.

I. *An Episcopus Caputaquen. exercere valeat omnimodam jurisdictionem ordinariam in locis Rhodii, & Sancti Mauri, seu potius talis jurisdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ?*

II. *An Vicarii Curati pro Ecclesiis Parochialibus Rhodii, & Sancti Mauri a Bajulivo præsentati examinari, & approbari debeant ab Episcopo?*

III. *An deputatio Œconomi provisionalis ad dictas Parochiales spectet ad Ordinarium?*

IV. *An ass. Vicarius Bajulivatus dare possit licentias Confessiones audiendi in dictis Ecclesiis quibuscumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario?*

V. *An Administratio Sacramenti Confirmationis in locis Rhodii, & Sancti Mauri privativè spectet ad Episcopum Caputaquensem in casu &c.*

Dilata.

CAMERINEN. EXPENSARUM: Archipresbyteralem Ecclesiam S.Urbani Terræ Apiri in Collegiatam insignem erigi curavit sua pecunia Joannes Jacobus Baldinius, datis in dotem duodecim Canonicatuum fructibus 60. locorum Montium, & in quotidianas Distributiones fructibus aliorum 12. locorum. Testamento vero, quo decessit hæredem scripsit Capitulum, auctis singulorum Canonicatuum redditibus ad annua sc.100., ea lege, ut hanc summam numquam excederent, utque hereditarii, qui superessent, redditus erogarentur quotannis in dotes Puellarum, prælatis consanguineis. Dotes præfinivit in summa sc.50. quæ verò dotes non traderentur, cederent compendio trium Locorum Sess.25.c.19. de regul.

rum Piorum. Potior hæreditatis pars eſt in locis Montium, unde percipiuntur annua ſc.3500. numeratis etiam iis, quæ ſunt in dote Canonicatuum, & fundo diſtributionum. Ut igitur hi fructus exigi poſſint, & ſi qua loca Montium extrahantur, in alia iterum implicari poſſint neceſſe eſt, ut Capitulum Romæ habeat negociorum geſtorem, quem vocant *Agentem*. Huic anno 1725. conſtitutum fuit ſalarium ab hoc Sacro Tribunali ad rationem ſc.2. pro quolibet centenario fructuum exigendorum, quod hac ratione non excedit ſummam annuam ſc.75. Auctum quidem fuit aliquando ad annuam ſummam ſc.150, ſed factum id fuit ob auctum laborem præſtandi curam in litibus. Hoc munus negociorum geſtoris datum fuit anno 1726. a Canonicis Iſidoro Ferranti ea lege, ne removeri poſſet ſine legitima cauſa, ſed anno 1731. cum Romam venire deberet, ut ſtudiis vacaret Antonius Angelus Fedeli, remotus fuit a Capitulo Iſidorus, & ſuffectus fuit Antonius Angelus, fruſtra contradicente Iſidoro ob defectum legitimæ cauſæ, nam Judex pronunciavit licuiſſe Capitulo arbitrio ſuo Iſidorum removere ſine cauſa, & alium ſufficere, & ſubſtituere.

Poſt decennium queſtus eſt Antonius Angelus Fedeli de ſtipendii tenuitate, & Capitulum probante hoc Sacro Tribunali, a quo auditus etiam fuit Epiſcopus Camerinenſis, illud auxit ad annua ſc.120. certis tamen additis oneribus, atque ita officium geſſit Antonius Angelus ad annum uſque 1755. impleto ſemper munere ſuo diligenter, & laudatus quotannis in ſententiis ſyndicatoriis. Sed diminutis eo anno redditibus hæretitatis Baldiniæ, ſeu verius dotibus ex ejuſdem fructibus a Teſtatore conſtitutis Puellis in ſumma ſc.50., quia a *Sanctiſſimo Domino Noſtro* applicata perpetuo fuerunt annua ſc.100. ex iiſdem fructibus Hoſpitali Pietatis Camerini, cenſuit Capitulum minuendum quoque eſſe ſalarium Antonio Angelo, illudque revocandum eſſe ad antiquam ſummam ſc.75., ut, quæ e ſalario detrahebatur ſumma augeret dotes Puellis præſertim conſanguineis, quarum non exiguus erat numerus, a Teſtatore relictus. Datæ fuerunt hac de re literæ a Capitulo ad Antonium Angelum, qui ſive quia ei redditæ non fuerint literæ, ſive qua alia ratione ignoratur, non reſcripſit, unde commotum Capitulum eum ab officio removit, nec defuit, qui idem munus ſubire paratus eſſet annuo ſtipendio ſc.75.; Sed Antonius Angelus egit coram A. C. poſtulans cuſtodiri ſuam poſſeſſionem, edito Brevi *Sanctiſſimi Domini Noſtri*, in quo jubebatur, *ut ab officio Agentis, niſi legitima, & juſta cauſa intercederet, inconſulta Sede Apoſtolica amoveri non poſſet*. Breve hoc ignorabat Capitulum, quia licèt datum fuiſſet anno 1750., numquam tamen Fidelis de eo verbum fecerat Capitulo. Ratio vero, ex qua ſacratiſſimus Princeps hoc Breve dederat, fuit in Decreto Capitulari lato *die* 7. *Aprilis anno* 1741., & ſucceſſivo inſtrumento ſtipulato *die* 11. *ejuſdem Menſis*, in quibus Antonius Angelus confirmabatur negociorum geſtor cum obligatione eum non removendi ſine juſta, & legitima cauſa.

Coa-

Coacto igitur ob hanc litem Capitulo tres Canonici, qui Antonii Angeli consanguinei dicuntur, eam dissuaserunt, & protestationem quoque emiserunt de impensis, neque a Capitulo neque ab hæreditate Baldinia subeundis: Contra novem Canonici litem agi voluerunt deputatis duobus Canonicis, qui Romam venirent ad eam curandam. Hi novem Canonici pridie Capitulum apocham scripserant, qua uti singuli ad expensas hujus litis teneri voluerunt, adjecta tamen conditione -- *in caso che l' Eredità Baldina non fosse tenuta*. Res interim in Tribunali A. C. disputabatur, eumque habuit exitum, quem habere debebat, nam, & Antonius Angelus custoditus fuit in sua possessione, & jussum fuit, ut e libris Capitularibus deleretur decretum remotionis, & describeretur in iis Breve Apostolicum. Romam in hoc rerum statu venerunt Deputati, & licèt per alia Tribunalia audiri postulaverint, eamdem tamen sortem experti sunt, itaut litem deserere,& patrios lares repetere coacti fuerint. Hinc alia lis de *impensis* factis in lite,tam in Tribunali A. C. quàm Signaturæ, de viaticis Deputatorum, aliisque: contendebant enim tres Canonici, qui protestationem emiserant, non posse hos sumptus cedere neque in damnum Capituli, neque hæreditatis Baldiniæ. Contra novem Canonici cedere debere in damnum hæreditatis substinebant. Re ad hoc sacrum Tribunal delata, editaque a Canonicis, quam diximus, apocha, Causâ nunc proponitur, disputantibus tribus Canonicis sumptus cedere debere in detrimentum novem Canonicorum, a quibus reintegranda sit hæreditas Baldinia, quià obstat ipsis propria obligatio emissa in Apocha,& quia inutilem, & calumniosam egerint litem contra decretum Capitulare, contra publicum instrumentum, contra Breve Apostolicum, in quibus vetabatur remotio Antonii Angeli sine justa Causa, quæ hic nulla erat, cum per tot annos probata fuisset ejus fides, & diligentia, & laudata fuisset sententiis syndicatoriis.

Contra novem Canonici non obesse obligationem in apocha susceptam,quia expressam conditionem habeat -- *in caso che l' Eredità Baldina non fosse tenuta* - neque ambigi posse teneri hæreditatem ad has impensas, sive Capitulum uti hæres Beneficiatus accipiatur, sive tamquam Tutor, & Administrator, quoties remotione Antonii Angeli curavit, ut dotes puellis præsertim consanguineis præstari possent ex diminuto stipendio; satis esse si lis calumniosa non fuerit, etiamsi infelicem exitum habuerit: Frustra ad calumniam probandã proponi Decretum Capitulare, instrumentum publicum, Breve Pontificium, cum hæc omnia ignota essent Capitulo, nam Decretum Capitulare confictum est, constat per negativam coarctatam de ejus inexistentia, concinuntque tres seniores, qui vivunt adhuc Canonici, testificantes numquam Capitulo venisse in mentem sese obligandi, ne Fidelius removeretur sine justa, & legitima causa, numquam a Capitulo deputatos fuisse, qui publicum illud instrumentum stipularen-

larentur ; ut inter falsa illud sit numerandum ; Breve Pontificium subreptitium, & obreptitium ex his probari manifesto ; Optimus enim Princeps numquam illud dedisset, si scivisset falsum esse Decretum, falsum instrumentum ; eoque amplius, quòd hoc Breve ignotum semper fuerat Capitulo, cum Fidelius illud ediderit in judicio, neque ausus fuerit certiorem de eo facere Capitulum. Hæc, & alia novem Canonici. Omittendum tamen non est Exceptionem hanc falsitatis, quæ proponebatur ad impetrandam *Aperitionem oris* rejectam fuisse in Decreto Emi Pro-Auditoris Sanctissimi : sunt, & alia, quæ prætermittimus : Non enim omnia, quæ in Libellis hinc inde datis, scripta sunt, excerpere possumus, ne *Folium* in volumen excrescat. Onus erit Eminentissimorum Patrum duo hujus Causæ Dubia expediendi.

I. *An hæreditas Baldini teneatur ad expensas factas occasione litis, de qua agitur* ? Et quatenus Affirmativè.

II. *Ad quas expensas teneatur in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Taxationem faciendam esse coram D. Secretario.

Sess. 25. c. 18. de ref.

LYCIEN. NULLITATIS PROFESSIONIS : Nullam dicit Professionem, quam anno 1750. inter Carmelitas emisit, Pat. Theresius Pelusius ex vi metuque ab Antonio Patre suo illatis. Narrat enim Patrem natura severum septem, quos suscepit, filios ita educasse, ut, vellent nollent, eorum voluntatem voluntati suæ deberent summittere. Primos, qui Patris severitatem experti fuerint, filios, Emanuelem, & Gregorium fuisse: Ille, quod in domum post primam noctis horam redire soleret, jussu patris in publicos carceres conjectus fuit, inde in claustra Patrum Observantium carcerum loco. Hic, quod uxorem licet non imparem duxerit, eo inscio, paterna Domo expulsus perpetuo: eamdem sortem obtigisse Pat. Theresio, qui filiorum natu minor erat, & omnium timidissimus. Hunc Pater, qui Carmelitarum Advocatus erat, Carmelitam designavit, invitum licèt, utque animum Adolescentis flecteret, in ipso Carmelitarum Cænobio studiis vacare voluit, fidens clientum suorum suasionibus, & blanditiis, cum verò Theresius repugnaret non a Patre solùm, sed etiam a Fratre minis, & verberibus coactus fuit, frustra tamen, nam licèt Patri, & carceres, & ejectionem a Domo, & alia hujusmodi minitanti obsistere non auderet, aliis tamen aversum animum a Regulari vita aperiebat, quod cum Patri referretur nihil filius proficiebat; ille siquidem propositi tenax ad minas redibat, revocans perpetuo ad memoriam filii, quæ primis duobus ejus fratribus evenerant.

Para-

Paratis itaque omnibus, voluit Pater, ut Therefius ipſo præſente tonderetur, & Ordinis Veſtes ſuſciperet in Lycienſi Monaſterio, licèt in eo domus probationis non eſſet, ſed antequam in eam pergeret Thereſius cum Fratribus, & amicis de vi metuque, quæ Pater intulerat, & inferebat, quæſtus eſt, ipſoque probationis tempore morbum ſimulans epiſtolam dedit ad Patrem, qua ſignificabat in Ordine permanere non poſſe, ſed duriſſimum a Patre reſponſum, & minarum plenum accepit; Novas tamen Thereſius ad eum literas dedit exorans, ne cum invitus ſacras veſtes ſuſcepiſſet, occaſionem ei præberet eas prophanandi: omnia tamen in irritum ceſſerunt. Profeſſionem igitur emittere debuit, animo, ut ipſe ait, reclamandi ubi metus cauſa ceſſaſſet. Poſt emiſſam Profeſſionem incidit Pater in epiſtolas ſuas, quas filius ſervabat, ut metum illatum probaret, eaſque abſtulit, & laceravit, aut combuſſit; neque tamen defecerunt Thereſio probationes illati metus ex teſtificationibus amicorum, & Fratris, quibus animum ſuum apèruerat: neque poſt Profeſſionem ſibi defuit Thereſius querelas de vi, & metu perpetuo fundens, donec Pater ſera licèt pœnitentia ductus, veniam ei dedit, ut Profeſſionem nullam diceret, & obligationem publicis tabulis emiſit patrimonium ſacrum ei conſtituendi, ſi nulla declarata eſſet Profeſſio. Egit itaque Pat. Thereſius: Epiſcopus, confecto proceſſu, eum emiſit ad Eminentiſſimos Patres abſtinent a ſententia ferenda. Cauſa nunc proponitur, & ex facto, quod narravimus, nullam eſſe Profeſſionem ſuam diſputat Pat. Thereſius, & quæ contra proponi poſſunt argumenta diſſoluit, rejicitque precipuè quatuor teſtes ab Ordine inductos. Neque ab Ordine, neque a *Defenſore Profeſſionis* aliquid habuimus. Dubium eſt.

An conſtet de nullitate Profeſſionis in caſu &c.

Dilata ad ſequentem.

AVENIONEN., SEU AURIACEN. MATRIMONII: Dum in Sacrario Parochialis, & Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi *Baxmes* ſacris veſtibus induebatur Parochus Joannes Baptiſta Bonnard, ſacrarium ipſum primo ingreſſus Joſeph Vernay, inde Blanca Dumas ad ejus pedes genua flexerunt; Ubi eos ita inſpexit Parochus ſuſpicatus matrimonium contrahere velle, clamare cepit nihil audiviſſe, occulſiſque auribus e ſacrario in proximum Chorum dilapſus eſt, fruſtra illum retinente Joſepho, qui Albam apprehenderat, & egreſſus in Chorum vim ſibi fieri clamans Præpoſitum, & Canonicos excitavit, qui, & ipſi, clamore *Seſs. 24. c. 1. de ref. Matr.*

re facto, Josephum, & Blancam terruerunt, ut fugerint, & ab Ecclesia, & ab Oppido Avenionem versus; sed retracti in Oppidum ab armato homine, atque aliis puellæ consanguineis obviam venientibus, Joseph dilapsus est, puella vero Paternos lares revisit. Paulus Dumas Blanchæ Pater querelam de raptu filiæ contra Josephum proposuit: Josepho vero, adita Episcopali Audientia, matrimonium cum Blanca contraxisse narravit, sed metuens pœnas indictas iis, qui hujus generis matrimonia contrahunt, venit tandem ad hoc sacrum Tribunal postulans, ut Blanca in Monasterio tuto collocaretur, quod factum est. Processu confecto ab Episcopo, compertum est Parochum nihil audisse, & conjecisse tantum eos matrimonium contrahere velle: Petrum Gouttard Clericum, qui cum Parocho erat in sacrario, nihil audisse præter verbum *Signore* a Josepho prolatum: Franciscum Tertivel testem a Josepho rogatum, ut matrimonio contrahendo præsens esset nihil audisse præter voces confusas; Præpositum quoque, & Canonicos proximo Choro nihil audisse, quod mutuum consensum exprimeret, & cum Blancam increpassent, & objurgassent, respondisse eam *mei Juris sum; quid ad Te*. Joseph articulos edidit, quibus posuit præcedentes amores, tractatum contrahendi matrimonium, præordinationes,& dispositiones, mutuum consensum ab ipsis Parocho expressum, confessiones matrimonii contracti a Blanca emissas, cum in Oppidum, domumqae paternam reducta fuit: Blanca omnia negavit. Causa proponitur, & disputat Blanca, ejusque Pater nullum contractum fuisse matrimonium, quia nullis prolatis verbis neque Parocho, neque testibus constiterit de mutuo actuali consensu in matrimonium. Neque a Josepho, neque a *Defensore Matrimonii* aliquid habuimus. Dubium est.

An constet de Matrimonio in casu &c.

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 2. Aprilis 1757. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DUæ, quæ sequuntur, Causæ datæ quidem fuerunt in *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 12. transacti mensis *Martii*, sed definitæ non fuerunt. Altera *dilationem* obtinuit *ad hanc Congregationem*: Altera *proposita non fuit*. Rogamus igitur Eminentissimos Patres, ut ejusdem *Congregationis Folium* iterum consulant.

LUCIEN. NULLITATIS PROFESSIONIS, in qua quæritur: *An constet de nullitate Professionis in casu &c.* *Sess.25. c.19. de regul.*

Affirmativè.

AVENIONEN., SEU AURIACEN. MATRIMONII, cujus Dubium est. *Sess.24. c.1. de ref. Matr.*
An constet de matrimonio in casu &c.

Dilata, & examinentur Parochus, & bini Testes formiter, & nihil de egressu Monasterii.

RECINETEN. SERVITII CHORI. Definita fuerat hæc Causa in *Congregatione* habita *die* 7. *Augusti* superiore *anno* 1756. & duobus ejus Dubiis, quorum primum erat: *An Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Recineti teneatur Choro interesse diebus tantum festivis de præcepto, & tempore Adventus, & Quadragesimæ?* Alterum verò: *An teneatur solvere fallentias pro tempore præterito in casu &c.* Respondit S. Tribunal *Ad I. affirmativè*: *Ad II. negativè*. Sed cum petierit *Audiri* Præfectus Choro, repropofita Causa fuit in *ultima Congregatione* habita *die* 12. transacti *mensis*, & Dubio: *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.* responderunt Eminentissimi Patres: *Ad I. prævio re-* *Sess.24. c.12. de ref.*

cessu a Decesis teneri quotidie. Ad II. prævio recessu a decisis affirmativè. Redit igitur Causa ad tertium Judicium, & respondendum est.

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.

Dilata ad primam post Agnos etiam unica.

Sess.22.c.8. de ref.

CAMERINEN. EXPENSARUM. Hæc quoque Causa ad novum venit Eminentissimorum Patrum Judicium: Data siquidem fuit in eodem *Folio ultimæ Congregationis* duobus Dubiis instructa, quorum primum erat: *An hæreditas Baldini teneatur ad expensas factas occasione litis, de qua agitur?* & quatenus affirmativè: Alterum verò *Ad quas expensas teneatur in casu &c.* His responderunt Eminentissimi Patres: *Ad I. affirmativè. Ad II. taxationem faciendam esse coram Domino Secretario*; Nunc verò respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam post Agnos etiam unica.

Sess.22.c.8. de ref.

FAVENTINA, SEU IMOLEN. ELECTIONIS: Species hujus Causæ, quæ agitur inter Antoniam Medri, & Mariam Biancoli electam a Sodalitio Sanctissimi Sacramenti ad locum vacantem in Monasterio Cottiniolæ ex testamentaria dispositione Gasparis Bolis, habetur in *Folio Congregationis* habitæ *die* 29. *Maii superiore anno* 1756. Visum est ea die Eminentissimis Patribus rescribendum esse: *Dilata, & audiatur Episcopus*. Auditus igitur Episcopus censuit Sodalitium vestigia voluntatis Testatoris sequendo *ad diversos conditionis gradus Puellarum eligendarum respexisse*, ideoque prætulisse Mariam Biancoli *honestioris conditionis*, putantibus Sodalibus *Antoniæ Medri humiliori genere natæ locum non Choralem dumtaxat congruere*: Accessisse eum ad Monasterium illud, omnesque eum convenisse Moniales *unanimi voto petentes, ut ne Antoniæ Medri locus Bolis concederetur, quàm maximè curaret, propterea quòd nulla modo Choralis humilem adeo conditionem præsefert: Itaut timendum forte videatur, ne admissa Antonia Medri, vel Monasterii totius, vel ipsius certè Medri pax, & animi quies non modicè, diuque interturbetur*. De patrimonio Biancoli hæc habet, curasse eum, ut a Peritis æstimaretur, *eorumque Judicio ad scut.*7210. *dumtaxat pertingere, obnoxium vero esse scut.*4770. *æris alieni*, ut eidem Episcopo *ex probatis documentis innotuit: Ex asse tam modico nullatenus*

latenus quidem ali posse familia Biancoli, quæ modo ex novem Fratribus, & communi matre constat, nisi fratrum masculiorum industria, atque aliunde quæsiti redditus supplemento essent. Hæc atque alia Episcopus. Causa nunc reproponitur, & respondendum est.

An, & de cujus vocatione constet, & quæ sit præferenda in casu &c.

Dilata, & reformetur Dubium.

MINDONIEN. FRUCTUUM. Repetenda est hæc Causa ex *Folio Congregationis* habitæ *die* 12. superioris mensis *Februarii*, in qua postulante Administratore Fabricæ Ecclesiæ *dilationem*, & *reformationem* Dubii, quod tunc proponebatur, Eminentissimi Patres rescripserunt: *Dilata*, & *ad Dominum Secretarium pro reformationem Dubii*. Causa nunc igitur *reformato eo Dubio*, novoque addito proponitur, ut Eminentissimi Patres repetita lectione *ejusdem Folii* decernere possint. *Sess. 22. c. 4. Sess. 23. c. 1. & Sess. 24. c. 12. de ref.*

I. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.*

II. *An sit standum, vel recedendum a Decisis in Casu &c.*

Dilata.

FASANEN. Dedimus hanc Causam in *Folio Congregationis* habitæ eadem *die* 12. superioris mensis *Februarii*, sed proposita non fuit. Proponetur nunc, ut credimus, & Eminentissimi Patres, repetita lectione *ejusdem folii*, duo ejus Dubia expedire poterunt. *Sess. 24. c. 18. de ref.*

I. *An Primiceriatus Ecclesiæ Fasanen. sint conferendi Sacerdotibus participantibus?* & quatenus negativè.

II. *An provisi de dictis Primiceriatibus non participantes nec habentes requisita Statutorum Capitularium, & Decretorum Sacrarum Visitationum consequi debeant ass. portionem, & respectivè participationem massæ communis in casu &c.*

Non proposita.

Sess. 24. c. 1. de ref. Matr.

AMALPHITANA MATRIMONII. Nupsit Comes Antonius Genovini Comitissæ Mariæ Stendardi, cum qua vixit sine ulla querela, & ab ea scriptus fuit hæres in testamento Nullos Maria filias reliquit, abortum tantum passa; post ejus obitum vulgari cæpit Virginem obiisse, sed rumoris hujus causam testis repetit ab adagio quodam illius Regionis, quo *Virgines*, & *Martyres* appellari solent, quæ sine filiis decedunt. Ipsa quidem, dum viveret, ne verbum quidem unum habuit de imbecillitate Viri. Defuncta Maria, ad secundas Antonius venit nuptias cum Baronissa Flaminia Cornacchia, in cujus domo decem & novem diebus integris moratus est unum habens thalamum cum nova nupta. Negavit hæc tamen eo tempore vitiatam se a viro, corruptamque fuisse ob ejus inertiam, quam superare non potuerit pharmacis a medico indictis. Vir contra fatebatur quidem pluries operam dedisse, ut vitiaret virginem, licet frustra, at id evenisse dicebat ejus culpa, quæ nullam opem tulisset: abdita tamen penetrasse, quantum satis erat, ne virgo dici posset. Pharmacis usum, non ad ignaviam tollendam sed ut cohiberet seminis effluxum, qua in re non convenit cum medico, qui pharmaca parasse ait ob fluxionem: sed incertum an capitis an inguinis. Re delata ad audientiam Archiepiscopalem Amalphi, duo nullitatis matrimonii capita proposuit Flaminia, metum a Parentibus illatum, & viri imbecillitatem. De primo Capite actum non fuit, cum narratio, quam fecit eadem puella, vim metumque a Parentibus illatum excluderet. Res venit ad alterum: Judex inspiciendum a Peritis utriusque Conjugis corpus decrevit. Quatuor electi fuerunt ad virum inspiciendum, Medicus & Chirurgus a Flaminia: Medicus alius, & Chirurgus ab Antonio. Die adventa, convenerunt duo Medici, & Chirurgus electus ab eadem Flaminia: defuit Chirurgus electus ab Antonio. Hic omnem dedit operam, ut virilitatis suæ signa ostenderet, sed frustra; ventum est ad experimentum calentis aquæ, frustra iterum. Partes diligenter inspicientibus Peritis visum est in vasorum sanguiferorum ductibus obstructionem aliquam comperisse, qua præpediretur affluxus in musculos erectores. Hinc medicus a Flaminia electus vitium illud incurabile esse pronunciavit, contra Medicus electus ab Antonio tolli posse: Chirurgus sententiam suam non dixit.

Perfecta jam impletaque inspectione advenit Chirurgus, qui defuerat, sed ex Peritis a Flaminia electis alter discesserat, Oppidum quoddam, in quo conductus erat, revisens; alter patientiam novo experimento præstare noluit discessurus, & ipse. Die sequenti medicus, & chirurgus ab Antonio electi eum inspexerunt, & omnia mutata invenerunt. Partes omnes optimè conformatæ; obstructionis nullum signum, & quæ transacta die inertes jacuerant, neque ulla ope erigi potuerant, tunc bis arrexerunt, seque ad conjugalē copulam aptissimas ostenderunt. Hic exitus fuit inspectionis viri; nunc ad puellam: Obstetrices ad eam inspiciendam electæ Virginem esse renunciarunt, Balneo tamen

tamen experimentum factum non fuit: res rediit ad Judicem: Antonius testes edidit, qui de ejus fortitudine testimonium ferebant, postulans, ut Judex pronunciaret locum esse experimento cohabitationis triennalis. Contra vero Flaminia postulabat, ut nullum diceretur matrimonium, testes reiiciebat rejectos ab experimento acto coram Peritis; secundum experimentum non esse spectandum absentibus Peritis, quos ipsa elegerat, Judicium obstetricum convenire cum inspectione judiciali corporis Viri: Experimento cohabitationis triennalis locum non esse, quod querela nullitatis proposita fuerit intra bimestre ut est in *cap.* 1. *de frigid. & malefic.* Vicarius Generalis censuit, decrevitque alios Peritos esse eligendos, sed ab hoc Decrcto appellatum fuit ad Tribunal A. C., inde utriusque Partis consensu res delata fuit ad Judicium Eminentissimorum Patrum. Disputat nunc Antonius reiiciendum esse utrumque caput nullitatis matrimonii, quod initio Judicii proposuit Flaminia, & respondendum omnino esse, vel *constare de validitate Matrimonii*, vel saltem *locum esse experimento cohabitationis triennalis*. Licét enim querela a Flaminia intra bimestre fuerit proposita, dispositioni tamen *cap.* 1. *de frigid.*, *& malef.* locum esse non posse, quæ servari non debet, ubi vir asserit matrimonium consumasse, & argumenta imbecillitatis, atque intertiæ dubia sunt, & solam præsumptionem inducant: hoc enim casu locum esse dispositioni alius *cap. Laudabilem eodem titul.* ubi experimentum cohabitationis triennalis decernitur, juxta distinctionem, quam tradunt collecti a *Sanchez de matrimon. lib.* 7. *disput.* 108. *num.* 3. *&* 4. A Flaminia nihil adhuc habuimus. Dubium est.

An constet de nullitate matrimonii. seu potius sit locus experimento cohabitationis triennalis in casu &c.

Dilata ad primam post Agnos.

FIRMANA DOMUS PRÆPOSITURALIS. Parochialem Ecclesiam S. Stephani Terræ Montis Sancti anno 1754. Sacratissimus Princeps noster in insignem Collegiatam erexit, quæ præpsito, duodecim Canonicis, & duobus Vicariis Curatis componeretur. Canonicis congruos redditus assignavit ex hæreditate Petri Antonii Marefuschi, derogatis piis aliis operibus, quæ in ejusdem testamento designatæ fuerant: Præposito, qui ante Collegiatæ erectionem Plebanus erat, quem totius Capituli caput esse voluit, & cui *habitualis tantum cura animarum* relicta fuit *omnia*, *& singula bona*, *nec non quoscumque fructus*, *redditus*, *& proventus tam certos*, *quàm incertos quomodolibet provenientes antea ad dictam Parochialem Ecclesiam S. Stephani spectantes*

Sess. 7. cap. 7. de Ref.

tes attribuit, cum onere tamen præstandi duobus Vicariis perpetuis, *qui curam Animarum dictæ Parochialis Ecclesiæ exercere debent, annuam summam septuaginta Ducatorum auri de Camera & Juliorum quindecim monetæ Romanæ inter ipsos præter nonnulla emolumenta incerta eis obventura, æqualiter dividen. annis singulis unica, seu pluribus solutionibus*. Inter bona, quæ ad Parochialem Ecclesiam ante erectionem in Collegiatam, spectabant, est Domus Ecclesiæ adnexa octo constans cubiculis, quam Præpositus pridem Plebanus habitat cum sua Familia, quæque illi vix satis est, licèt sua pecunia eam, & reparaverit, & auxerit. Hanc nunc appetunt duo Vicarii Curati, non contenti ea, quam longe commodiorem ipsis comparavit Præpositus, quæque passibus 162. distat ab Ecclesia. Licet enim eam habitaverint a die erectionis, contendunt tamen tradendam ipsis esse domum Præposituralem, quia ipsi curam habent Animarum, non Præpositus, qui habitualem dumtaxat habet. Re delata ad hoc Sacrum Tribunal, auditus fuit Archiepiscopus, qui secundum Vicarios respondit.

Disputat nunc Præpositus rem confici ex verbis, quæ supra dedimus Constitutionis *Sanctissimi Domini Nostri*, qua omnia bona, quę ad Ecclesiam spectabant, priusquam in Collegiatam erigeretur, ipsi datum sit annuum stipendium præstandi Vicariis. Satis esse, si ipsi domum habitent intra fines Parochiæ, quæ non longe distat ab Ecclesia, quæque amplior est Præpositurali; quæ dividi non potest cum Vicariis: hos frustra Doctores allegare, qui docent domum Parochialem a Parocho esse habitandam, cum id habeant de Parocho, qui talis sit *actu*, & *habitu*, non de Vicariis. Hæc atque alia Præpositus. A Vicariis nihil habuimus. Dubium est.

An Vicarii Curati S. Stephani Montis Sancti præter summam in Bulla assignatam valeant etiam expetere habitationem in Domo Præpositurali, posthabita illa in Viciniis assignata, & actu ab eis inhabitata in casu &c.

Dilata ad secundam post Agnos.

Die Sabbathi 30. Aprilis 1757. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes Cauſæ, quas primas damus, *in ultima* Ampliſſimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 2. *hujus menſis* Dilationem obtinuerunt *ad hanc Congregationem* : Rogamus igitur Eminentiſſimos Patres, ut *Folium ejuſdem Congregationis* iterum repetant.

RECINETEN. SERVITII CHORI, in qua quæritur. *An ſit ſtandum in primo, vel ſecundo loco deciſis in caſu &c.* *Seſſ. 24. c. 12. de Ref.*

Dilata ad ſequentem etiam unica.

CAMERINEN. EXPENSARUM, in qua reſpondendum eſt. *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.* *Seſs. 22. c. 8. de Ref.*

Ad I. In deciſis juxta modum, nempe uſque ad denegatam aperitionem oris. Ad II. In deciſis ad formam primi dubii, & ad mentem, & amplius.

AMALPHITANA MATRIMONII, cujus Dubium eſt. *An conſtet de nullitate matrimonii, ſeu potius ſit locus experimento cohabitationis triennalis in caſu &c.* *Seſs. 24. c. 1. de Ref. Matr.*

Eſſe locum cohabitationi triennalis.

FASANEN. Bis jam dedimus hanc Cauſam, primum *in Folio Congregationis* habitæ *die* 12. ſuperioris menſis *Februarii*, inde *in Folio ultimæ Congregationis*, & numquam propoſita fuit: tertio eam damus, ut Eminentiſſimi Patres duo ejus Dubia expedire poſſint. *Seſs. 24. c. 18. de Ref.*

An

I. *An Primiceriatus Ecclesiæ Fasanen. sint conferendi Sacerdotibus participantibus ?* & quatenus negativè ,

II. *An provisi de dictis Primiceriatibus non participantes , nec habentes requisita Statutorum Capitularium , & Decretorum Sacrarum Visitationum consequi debeant ass. portionem , & respectivè participationem massæ communis in casu &c.*

Ad I. Posse conferri tam participantibus , quam non participantibus , & amplius . Ad II. Affirmative .

Sess. 23. c. 15. Sess. 24. c. 13. de Ref.

CAPUTAQUEN. Definita fuit hæc Causa in *Congregatione* habita *die* 11. *Decembris* superiore *anno* 1756. Quinque erant ejus Dubia . I. *An Monasterium S. Honuphrii nuncupat.* di Massa diruta *sit nullius Diœcesis ?* & quatenus negativè . II. *An Priori , seu Abbati dicti Monasterii liceat facultatem concedere Sacerdotibus sæcularibus , vel regularibus ab Ordinario minimè approbatis audiendi confessiones personarum sæcularium in dicta Ecclesia Sancti Honuphrii ?* & quatenus negativè . III. *An Sacerdotes sæculares , vel regulares alterius Diœcesis , etiam a proprio Ordinario approbati audire possint confessiones personarum sæcularium de licentia P. Prioris , seu Abbatis pro tempore ejusdem Monasterii ?* & quatenus negativè . IV. *An , & in quas pœnas incidant tam Prior sive Abbas , quàm Confessarii ?* V. *An Fons Baptismalis in eadem Ecclesia positus sit removendus ?* His respondit Sacrum Tribunal -- *Ad I. Affirmativè . Ad II. Ad mentem in casu de quo agitur , & mens est non expedire uti Confessariis ab Ordinariis non approbatis . Ad III. Affirmativè. Ad IV. Provisum in antecedentibus. Ad V. Negativè , & ad mentem , & mens est quod non utatur nisi consulta S. Congregatione .* Redit nunc Promotor Fiscalis ad novum Eminentissimorum Patrum Judicium , & respondendum erit .

An sit standum , vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita .

Sess. 23. c. 18. de Ref.

COLIMBRIEN. EXEMPTIONIS SEMINARII . Data fuit hæc Causa in *Folio Congregationis* habitæ *die* 12. transacti *mensis Martii* , Dubioque ejus , quod erat : *An sit locus exercitio Jurium , & Functionum Parochialium in Ven. Seminario Colimbrien. , seu potius constet de libertate ejusdem Seminarii in casu &c.* Responderunt Eminentissimi Patres : *Negativè ad primam partem ,*

tem, *& affirmativè ad secundam*. Contra hanc definitionem *audiri* postulavit Parochus S. Petri, & nunc definiendum est.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam post proximam.

FELTRIEN. SUSPENSIONIS A DIVINIS, ET REMOTIONIS AB OMNI ECCLESIASTICO OFFICIO. Dum sese domum reciperent vespere diei 22. Julii anno 1754. Maximilianus, & Joseph Fratres Grandi a duobus ignotis hominibus fuste dolati fuerunt. Hac de re querelam proposuit in Tribunali laico Oppidi Levici illorum mater plures indicans, qui vel criminis rei, vel conscii esse possent: Inter hos fuit Sacerdos Franciscus Tonnellius Vicarius Curatus Tennensis, qui factum prænoverat, & syngrapha quadam prædixerat. Ab Episcopali Audientia Feltriensi facta fuit potestas Tonnellio *ad instantiam D. Gregorii Antonii Cagolini Vice-Cancellarii Levici coram Judice laico veritatis testimonium perhibendi, jurando tamen supra pectus conscientiæ suæ, vel in manibus alterius Sacerdotis, dummodo causa talis non esset, ut pœna sanguinis ingeri formidaretur*. Constitutus igitur coram Judice laico, præstitoque supra pectus suum sacramento veritatis dicendæ ad interrogationem de prænotione criminis, & reorum, respondit utrumque novisse in Sacramentali Confessione, neque alia dicere posse. Urgente tamen Judice, addidit, potestatem sibi factam fuisse a reorum altero *suo penitente di poterlo ovviare*, crimen nempe, *se fosse possibile, come di fatto mi sortì di levare dallo stesso la mente di eseguirlo la vigilia di S. Maria Madalena col trattenerlo nella mia Canonica di Tenna fino all' ora indicata per metterlo in esecuzione*. Non destitit tamen Judex Laicus ab interrogationibus, urgens ut rem panderet, quia longe aliud ex Processu constaret. Negavit Tonnellius alia dicere posse, nimia etiam dixisse timens. *Sess. 14. c. 6. de Sacr. Pœn.*

Cum verò Judex ille Laicus pergeret esse molestus, eumque aliis, atque aliis interrogationibus torqueret, subiratus Tonnellius satis dixisse respondit, & mirari *come per obligarmi vostra Signorìa clarissima non dica di farmi gettar dalla fenestra, come San Giovanni Nepomuceno si gettò nel fiume Moldava, sendosi avanzato per fino a dirmi, che se fossi secolare, o che si trattasse di causa di morte, sarebbe in impegno di firmi arrestare, come si vede dalle replicate interrogate, che io dica la verità, e non esser verisimile, che io tenga il fatto sotto sigillo, essendosi anche scaldato, e riscaldato mostrando della collera contro un religioso, ed a par mio*. Sed iterum, atque iterum urgente eum molestissimo Judice suis Interrogationibus, Tonnellius victa patientia *mi stupisco*, inquit, *altamente*

di vostra Signorìa Clarissima, *come procuri ancora di sapere di più di quello*, *che hò detto*, *senza timore alcuno di comparire temerario*, *e come in debito di farmene rendere il più stretto conto*, *riservandomi però ogni azzione d' ingiuria avanti* &c. His responsis commotus Judex Processum ipsum a Tonnellio subscriptum misit ad Episcopum ; id ubi rescivit Tonnellius, literas dedit ad Vicarium Generalem deprecans, ne inauditus condemnaretur favore Judicis Laici ; Sed res longe aliter evenit, & Tonnellius graviori crimine implicitus fuit. Legit enim Processum Episcopus, censuitque Tonnellium arcana Confessionis aperuisse, & prodidisse eum, quem dixerat *suo penitente* detentum in Canonica Tennensi, cum facile Judex Laicus rescire posset, quis nam ille fuisset, qui *nella vigilia di Santa Maria Madalena* retentus fuisset in illa Canonica ad vesperam usque; Tonnellium igitur neque citatum, neque auditum tamquam *in Publicam Potestatem contumeliosum*, *& sigilli Sacramentalis Fractorem ab Altaris Sacro Ministerio*, *& ab omni ecclesiastico officio amovit*.

Venit Tonnellius ad hoc Sacrum Tribunal, a quo datæ fuerunt, ut fieri solet, ad Episcopum literæ *Pro Informatione*, *& voto*. Rescripsit post sex menses adversa, ut ipse ait, valetudine distentus; Totus fuit in Decreto suo sustinendo, epistola docta equidem, & laboriosa: Novas adversus eam preces obtulit Tonnellius, & novæ ad Episcopum datæ fuerunt literæ ab hoc Sacro Tribunali. Dum cunctatur Episcopus respondere, Tonnellius, mutata sententia, adiit Tribunal A. C. *in Criminalibus*, Causaque in eo Tribunali proposita, citatis Promotore Fiscali, & Cancellario Curiæ Episcopalis, pronunciatum fuit *benè appellatum*, *& malè ac nulliter processum*, *& Judicatum per Curiam Episcopalem ideoque*, *circamscripto Judicato ejusdem Curiæ*, *Dominum Sacerdotem esse absolvendum*. Ab hac sententia adiit Episcopus Eminentissimum Dominum Pro-Auditorem Sanctissimi, qui eam *circumscripsit*, atque ita causa rediit ad hoc Sacrum Tribunal. Disputat nunc Tonnellius Decretum Episcopi nullum esse, & injustum : nullum quidem defectu citationis, quam prætermittere non potuisset Episcopus, licèt res fuisset de crimine, quod nullam admitteret defensionem : nullum quoque fuisse ob nullitatem processus, cui innititur, cum factus fuerit a Judice Laico, qui caret jurisdictione in Ecclesiasticas personas; neque excipi posse de venia, quam Episcopus dederat Tonnellio, quia facultas illa non fuerit relata in processu, & si relata fuisset nihil esset, quia processus factus fuerit a Judice, non a *Gregorio Antonio Cagolini*, *ad cujus instantiam* venia data fuit Tonnellio: Processus autem factus fuerit *ad instantiam Fisci*, qui non postulavit ab Episcopo, ut hæc potestas Tonnellio fieret sese Judicio sistendi coram Judice Laico.

Injustum verò esse Decretum, quia neutrum crimen subsistat, non contumeliæ in Judicem prolatæ, cum verba Tonnellii contumeliosa non sint, sed Judicem minitantem rejiciant, eumque moneant, ne Tonnellium urgeret suis interrogationibus, quibus cura-

curabat, ut secreta Confessionis panderet: Animadvertendum potius fuisse in Judicem, qui non destitit ab interrogationibus, cum audivit factum in Sacramentali Confessione cognitum fuisse Tonnellio, quique si rem aliter esse censebat, debuisset processum remittere ad Episcopum, ut ipse cognosceret, an Tonnellius scientiam suam velaret colore Sacramentalis Confessionis: Licere Confessario interrogato de auditis in Confessione liberè, atque audacter respondere. Crimen alterum, quod est in Decreto, non subsistere, quia Tonnellius *pœnitentis ipsius permissu* verbis, & syngrapha prædixerat, quod eventurum erat, ut ita periculum effugere possent duo Fratres Grandi, ejusdem *pœnitentis permissu* patefecisse Tonnellium circumstantias loci, & temporis, quo in Canonica Tennensi hominem illum ad vesperas usque detinuit: Fiscum tamen nihil adhuc rescire potuisse ex circumstantiis illis, auctoremque criminis adhuc latere. Probat hanc facultatem sibi datam fuisse *a suo pœnitente* Tonnellius syngrapha scripta manu ejusdem *pœnitentis* relicta in manibus alterius Confessarii Regularis, qui Tridenti est. Hæc Tonnellius. A Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis nihil habuimus. Videant Eminentissimi Patres, qua ratione expediendum sit Dubium.

An constet de nullitate, & injustitia Decreti Episcopi Feltrien. super suspensione a Divinis, & remotione ab omni Ecclesiastico Officio in casu &c.

Affirmative.

HORTANA BENEFICII, SEU CAPPELLANIÆ: Cùm anno 1605 morte Joannis Bernardini Capitanei vacasset Beneficium, sive Cappellania fundata ad Altare S. Matthæi in Ecclesia Parochiali S. Silvestri Civitatis Hortæ, Lottus de Lottis ad eam præsentavit Mutium Fabarellium sororis suæ filium exprimens in præsentatione habere *Jus præsentandi, & nominandi Cappellanum*, eamdemque Cappellaniam esse de *Jurepatronatus Laicorum ex Fundatione vel Dotatione Familiæ de Lottis.* Testamento verò, quo decessit anno 1608. idem Lottus Patronatum ejusdem Cappellaniæ uxori, & Lotteriæ sorori suæ reservavit, iisque defunctis, deferri voluit ad Aloysium, Lucretiam, Mutium, Fridericum, & Lælium Fabarellios Filios alterius sororis, quos etiam hæredes scripsit, addita hac lege, *ut exprimere debeant dictam Cappellaniam esse de Domo, & Familia de Lottis*. Decessit anno 1629. Mutius Fabarellius Cappellanus, ut diximus, a Lotto præsentatus *in Urbe*, & de eadem Cappellania provisus fuit a Sancta Sede Hortensius Fabarellius, qui etiam præsentatus fuit a Lotteria adhuc superstite, servata lege *expressionis*, quam Lottus frater indixerat. Hortensius quoque anno 1671. *in Urbe* decessit, & a *Sess. 25. c. 9. de ref.*

Sancta Sede Capppellaniam illam obtinuit Franciſcus Antonius Capobaſſius, expeditis Literis Apoſtolicis *in forma Dignum* cum expreſſione Juriſpatronatus Laicorum, ejuſque *derogatione in totum attento obitu apud Sedem*. Obiit Capobaſſius anno 1708. Patronis autem intra legitimum tempus præſentare negligentibus, Petrus Angelus Romanellius Cappellaniam a Sancta Sede impetravit *jure devoluto*. In Viſitatione Eccleſiæ Parochialis S. Silveſtri, quam fecit Epiſcopus Hortanus anno 1737., expreſſum fuit Cappellaniam eſſe *de Familia Fabarella*, in hanc enim ut diximus progreſſa fuerat ex teſtamento Lotti. Ultima ex Familia *Fabarellia* fuit Maria Lucretia, quæ nupſit Franciſco Antonio Zambotti; Ex his conjugibus ortum duxit Maria Virginia, ex cujus matrimonio cum Bernardino Fidentii prognata eſt Margarita Antonia Patrona vivens.

Deceſſit Petrus Angelus Romanellius ultimus Cappellanus die 15. Novembris anno 1752., neglexitque Margarita Antonia intra legitimum tempus Cappellanum præſentare, ideoque Sacerdos Paſtor Vivaldi Cappellaniam a Sancta Sede impetravit, ſive tamquam vacatam in menſe reſervato, ſive ex jure devoluto ob negligentiam Patronorum. Expeditis autem Literis Apoſtolicis *in forma gratioſa* poſſeſſionem accepit, quam tamen plenam invenit; Epiſcopus enim Hortanus Beneficium illud ſive Cappellaniam univerat Canonicatui Theologali Cathedralis Eccleſiæ, quem nunc habet Franciſcus Maria Marini. Orta igitur inter hos controverſia, veniente etiam ad cauſam Margarita Antonia Patrona Tribunal Signaturæ poſſeſſionem, quam nactus fuerat Paſtor circumpſcripſit, data cauſæ cognitione Sacro huic Tribunali. Diſputant nunc igitur Paſtor, & Margarita ſepoſita ratione vacationis in menſe reſervato, ambigi non poſſe Beneficium hoc, ſive Cappellaniam eſſe de Jurepatronatus Laicorum, ut conſtat ex præſentationibus Lotti, & Lotteriæ de Lottis, ex Teſtamento ejuſdem Lotti, ex derogationibus Juripatronatus factis a Sancta Sede, ejuſque Collationibus Jure devoluto, quæ Patronatum conſervant. Non potuiſſe igitur Epiſcopum Hortanum auctoritate ſua Beneficium hoc ſive Cappellaniam unire Canonicatui Theologali, id enim licet Epiſcopis, cum res eſt de Beneficiis liberæ collationis, non de Patronatis, præſertim Laicorum, quibus Jus tolli nequit, ſine omnium conſenſu; hæc autem unio facta eſt Patronis ignorantibus, ut nulla ratione poſſit ſubſiſtere. Hæc atque alia Paſtor, & Margarita. A Canonico Theologali nihil habuimus. Dubium eſt.

An Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ, ſeu potius unio ſubſtineatur in caſu &c.

Dilata, & ſcribatur Epiſcopo pro Informatione, & Voto, auditis intereſſe habentibus.

VI-

VICEN. REMOTIONIS: Controversias, quæ erant inter Communitatem Presbyterorum Parochialis Ecclesiæ Villæ *Salens*, & Populum ejusdem Villæ contendentem Sacerdotes omnes originarios ad Communitatem, & participationem esse admittendos, præcidit anno 1667., qui tunc Ecclesiæ Vicensi præerat, Episcopus *Capons*. Hic enim exequendo sententias hac de re latas Participantium numerum ita præfinivit, ut omnes essent *quatuordecim*, quorum aliqui *locum fixum* haberent, nempe Rector, Vicarius, tres Beneficiati, & Organista, reliqui originarii, reservata sibi, suisque in Episcopatu Successoribus facultate, ut si ex his quatuordecim aliqui abessent, originarii alii substitui possent, qui *absentia durante* servitium Ecclesiæ præstarent, & redditus absentium perciperent. Temporis fuga negligi cæpit hæc præfinitio numeri, itaut anno 1733. numerarentur 21. Participantes, unde eveniebat, ut tenuissimus esset annuus redditus singulorum. Ipsa igitur petente Presbyterorum ejusdem Parochialis Ecclesiæ Communitate Episcopus *Marymon*, qui Ecclesiæ Vicensi præerat, prævia diligenti cognitione redditaum omnium ejusdem Communitatis, præfinivit numerum *decem*, *& octo* Participantium, assignatis cuilibet annuis libris 180., servata in reliquis forma indicta ab Episcopo *Capons*. Ut hæc præfinitio perpetua esset, curavit Communitas, ut ab hoc Sacro Tribunali confirmaretur, quod factum fuit anno 1745. mandata jurisdictione Vicario Generali. Hic aucta dumtaxat annua quantitate reddituum, ad libras 200. omnia approbavit, vetuit, ne præfinitus ille numerus augeri posset, facultatem dedit subrogandi alium in locum absentis, *cujus subrogatio tantum durare debeat, quantum absentia, seu impotentia illius, in cujus locum subrogatus fuit.* In locum Josephi *Casayas* absentis, qui Congregationem S. Philippi Nerii ingressus fuerat, quique unus erat ex tribus illis, quos Episcopus *Marymon* anno 1733. reduxerat ad numerum decem, & octo, subrogatus fuit anno 1747. Silvester *Riera*, quousque duraret absentia ejusdem *Casayas*, quo tandem defuncto, contendebat *Riera* perpetuum sibi locum deberi inter Participantes, obstante Communitate, quæ præfinitum numerum urgebat, & Josephum *Casayas* intra numerum præfinitum non fuisse, sed *supranumerarium*: re delata ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Sede Episcopali vacante decretum fuit *che quantunque il predetto Riera, sia stato ammesso per motivo della predetta assenza, ciò non ostante, morto il Dottor Casayas, la detta ammissione resta assoluta, perchè semel admissus semper admissus*. Appellavit ab hoc decreto Presbyterorum Communitas ad Tribunal A. C., a quo anno 1753. revocatum fuit, & relaxatum mandatum de amovendo Riera a Communitate Participantium: hoc mandatum exequutum fuit. Post annum preces obtulit Riera Sacro huic Tribunali, in quibus, prætermissa mentione rei Judicatæ, & exequutionis mandati, postulabat, ut Communitas Juris remediis cogeretur ad eum admittendum, quia Participantium numerus completus non esset, cum vix essent quatuordecim. Die 25. Januarii

nuarii anno 1755. mandata fuit Episcopo Jurisdictio, ut *Juris remediis*, *& auctoritate Sacræ Congregationis* Presbyteros cogeret ad eum recipiendum, atque ita factum est ab Episcopo. Communitas appellavit ad hoc Sacrum Tribunal, & disputat nunc Ecclesiam esse numeratam, numerum completum esse, nullum locum vacare potuisse morte *Casayas*, quod hic, facta reductione, remansisset supernumerarius: Ad rem non convenire regulam semel admissus semper admissus, quia Riera non fuerit subrogatus habenti locum perpetuum, sed ei, qui erat extra numerum præfinitum. Hæc, & alia Communitas. A Riera nihil habuimus. Dubium quod proponitur est,

An sit locus remotioni Silvestri Riera a Communitate Presbyterorum Parochialis Ecclesiæ de Sallent in casu &c.

Non proposita.

Die Sabbathi 21. Maii 1757. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit S. Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

PRior ex duabus, quas ſubiicimus, Cauſis in *ultima Congregatione* habita *die* 30. tranſacti menſis *Aprilis* dilationem obtinuit *ad hanc Congregationem*: Altera Propoſita non fuit. Rogamus igitur Eminentiſſimos Patres, ut ad eas definiendas *Folium* ejuſdem *Congregationis* iterum conſulant.

RECINETEN. SERVITII CHORI, in qua quæritur. *Seſſ.24. c. 12. de ref.*

An ſit ſtandum in primo, vel ſecundo loco Deciſis in caſu &c.

Iterum proponatur.

VICEN. REMOTIONIS, cujus Dubium eſt. *Seſſ.23. c.28. de ref.*

An ſit locus remotioni Silveſtri Riera a Communitate Preſbyterorum Parochialis Eccleſiæ de Sallent in caſu &c.

Negative.

LYCIEN. NULLITATIS PROFESSIONIS: Propoſita fuit hæc Cauſa in *Congregatione* habita *die* 2. tranſacti menſis *Aprilis*, Dubioque ejus, quod erat -- *An conſtet de nullitate Parochialis in caſu &c.* -- Reſponderunt Eminentiſſimi Patres -- *Affirmativè*. Redit nunc ad novum eorum Judicium, & reſpondendum eſt. *Seſſ.25. c.19. de regul.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

FIR-

Sess.7. cap.7. de ref.

FIRMANA DOMUS PRÆPOSITURALIS : Dedimus hanc Causam *in Folio* ejusdem *Congregationis* habitæ *die* 2. *Aprilis*, sed postulantibus Vicariis *dilationem*, Eminentissimi Patres responderunt -- *Dilata ad secundam post Agnos*. Iterum igitur eam damus obsequentes eorum imperio, ut Dubium, quod sequitur, expedire possint.

An Vicarii Curati S.Stephani Montis Sancti præter summam in Bulla assignatam valeant etiam expetere habitationem in Domo Præposüurali posthabita illa in Viciniis assignata, & actu ab eis inhabitata in casu &c.

Iterum proponatur.

Sess.5. cap.2. de ref.

DERTHUSEN. APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO : Species hujus Causæ habetur *in Folio Congregationis* habitæ *die* 7. *Augusti* superiore *anno* 1756., qua die proposito ejus Dubio, quod erat -- *An Curati Ecclesiæ Cathedralis Derthusen. teneantur applicare, & respectivè canere in horis matutinis Missam quotidianam pro Populo in casu &c.* -- respondit Sacrum Tribunal -- *Affirmativè sine cantu attentis particularibus circumstantiis.* Non placuit Curatis hæc definitio, postulantque nunc ab ea recedi, ideoque respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.22. c.6. de ref.

EUGUBINA, SEU PERGULEN. In eodem *Folio Congregationis* habitæ *die* 7. *Augusti* superiore *anno* 1756.data fuit hæc Causa, quæ agitur inter Civitatem Pergulensem, & Nicolaum Francaluccium de applicatione fructuum superextantium hæreditatis Luciæ Vennerucciæ in causam fabricæ novi Collegii. Censuerunt Eminentissimi Patres rem melius explorandam esse, & rescripserunt -- *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem*, quæ fuit, ut referret redditus superextantes ejusdem hæreditatis, detractis annuis sc.80. pro stipendio Cappellani, quænam esset impensa necessaria, ut compleretur fabrica Collegii, & an PP. Scholarum Piarum consensum præstarent. Rescripsit Episcopus, retulitque redditus superextantes, detractis annuis sc.80., esse sc.100. Expensas necessarias judicari a Peritis in summa sc.1200. Patres consensum præstitisse. His impletis, reproponitur Dubium.

An sit consulendum Sanctissimo pro temporanea suspensione legati q. Luciæ Venneructi, illiusque applicatione pro fabrica Conventus Scholarum Piarum in casu &c.

Affirmative ad annos duodecim.

PIEN-

PIENTINA, SEU MONTIS POLITIANI SEPARATIONIS THORI: Post everſam rem omnem ſuam familiarem; Dotemque uxoris Catharinæ Angelæ Generalis in perquirendis theſauris, Joannes Paulus Baſtiani lares tranſtulit e Terra Montis Ghiſii Pientinæ Diœceſeos in Civitatem Montis Politiani, quæ Uxoris eſt Patria: metuens autem Catharina, ne pauca, quæ ibi ſupererant, extradotalia bona in ſuam, & communium filiorum perniciem a Viro diſtraherentur, ut operam theſauris inveniendis navaret, eum monuit, ut ab eorum perquiſitióne deſiſteret. Ab hac monitione jurgia inter eos, itaut Vir diſceſſerit reviſens Montem Ghiſium, ibique inde Uxorem revocavit. Illa renuit: Vir adiit Curiam Epiſcopalem Pientinam, petiitque Mulierem cenſuris compelli, ut rediret ad obſequia præſtanda. Vix cæpto judicio Vir vi armata mulierem noctu abduxit e Civitate Politiana ad Terram Montis Ghiſii, ubi eam non contumeliis tantum, ſed etiam verberibus ita affecit immaniter, ut duorum fere menſium ſpatio ægrotaverit. Seſs. 24. c. 8. de ref. matr.

Hac re ad ſupremum Senenſium Tribunal delata, decretum fuit ut Vir Uxorem inoffenſam reſtitueret Civitati, unde eam abduxerat, & jure ſuo uteretur in Audientia Epiſcopali, ubi cæptum fuerat Judicium. Eo igitur redintegrato, Audientia Epiſcopalis Pientina, inaudita Uxore, & ne deputato quidem Curatore ad litem juxta Leges Municipales, ſententiam tulit excommunicationis contra uxorem, quod intra præfinitum tempus ad obſequia Viri non rediiſſet. Appellavit Catharina ad hoc Sacrum Tribunal, diſputatque cenſuras non ſubſtineri, ſed eſſe locum ſeparationi Thalami, quia juſtas habuerit, atque habeat divertendi cauſas ob immanes ſævitias viri, ob læſum uxoris honorem, ob denegata alimenta, ob tentatam uxoris necem armis, venenoque malo; quæ omnia comprobat teſtificationibus, præſertim communium filiorum. Addit ſatis conſultum eſſe non poſſe indemnitati ſuæ cautione *de non offendendo*, quam Vir præſtare velit, quia perdita re omni familiari, exortiſque graviſſimis inimicitiis, deſperata res ſit reconciliatio animorum: ſunt, & alia in libello Catharinæ, quæ conſulto mittimus. A Joanne Paulo nihil habuimus. Dubium eſt.

An ſubſtineantur Cenſuræ, ſeu potius ſit locus ſeparationi Thori in caſu &c.

Dilata, & ad mentem.

ALBINGANEN. LEGATORUM: Teſtamento, quo Romæ deceſſit anno 1693. Cauſidicus Ulixes Calvi hæredem ſcripſit Bartholomeum Calvi, a quo duo præſtari voluit legata, Primum his verbis — *Laſcio all' Oratorio di San Sebaſtiano di Oneglia mia Patria luoghi* 10. *di Monti Camerali non vacabili, li frutti de quali dovranno ſempre, & in perpetuo ſervire ſolamente per la limoſina* Seſs. 25. c. 9. de ref.

da darsi al Cappellano, che dovrà celebrare in detto Oratorio nelle Feste &c. Alterum vero hisce verbis -- *Item lascio alla Madonna Santissima di Castel Vecchio luoghi 20. simili, li frutti de quali dovranno servire per una Messa di requie in perpetuo quotidiana per l' Anima mia, e de miei Antenati: Voglio che il Sacerdote che celebrerà le dette Messe nell' una, e nell' altra Chiesa, sia nominato da detto Signor Bartolomeo, & amovibile ad nutum del medemo senza alcuna, benchè minima Causa, e la stessa facoltà lascio à suoi descendenti.*

Pergit Testator, atque ait -- *Credo che nella nomina de Cappellani Bartolomeo mio cugino proferirà quelli di casa sua, e della sua descendenza, e così faranno li suoi successori, ma quando non ci fossero della sua casa, ne della sua descendenza, in quel caso voglio, che preferisca in concorso di altri li Amadei nostri parenti, e che tanto questi, quanto quelli della sua descendenza possino adempire per alium.* Defuncto Testatore, decessit paulo post Bartholomeus, unica superstite Filia *Virginia*, quæ Cappellanum nominavit Carolum Alliani omnino extraneum, forte quod e Gente Amadea nullus esset, qui nominari posset. Nupsit Virginia Clementi Amoretti, e quo enixa est quatuor filios, duos masculos Joachim, & Ulixem, totidemque fæminas, Mariam Benedictam, & Angelam Mariam. Hi omnes præter Angelam Mariam, sese connubio junxerunt, & susceperunt filios: sed Joachim, cui inter alios filios, puer est *Clemens*, preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, quibus narrata Ulixis Testatoris dispositione, & descendentia sua a Bartholomeo Calvi, sed tacita prole tam fratris, quam sororis, postulavit, ut amoto Sacerdote Carolo Alliani, uti penitus extraneo, Cappellania *perpetuaretur* in persona sui filii *Clementis* Clerici, qui animum habebat sacerdotium suscipiendi.

Data fuit Eminentissimis postulationis hujus cognitio, a quibus, audito pridem Episcopo, rescriptum fuit *die* 29. *Maii* superiore *anno* 1756., ut idem Episcopus, *veris existentibus narratis, easdem Cappellanias favore Oratoris perpetuare posset*, quod ab Episcopo factum fuit, lato decreto *die* 18. *Junii eodem anno*. Id ubi resciverunt Ulixes, & Maria Benedicta, confugerunt ad hoc Sacrum Tribunal postulantes, revocari *perpetuationem*, disputantque nullam esse, & injustam: nullam quidem, quia Episcopus non esset merus Exequutor, sed mixtus ob clausulam *veris existentibus narratis*, ideoque debuisset processum instruere, & audire interesse habentes, quales ipsi erant eorum filii, quod cum ab Episcopo factum non fuerit decretum ejus nullum sit: Accedere ad nullitatem deceptionem, qua Joachim usus est, tacens filios esse fratri, sororique, quod si narratum fuisset, gratia *perpetuationis*, aut denegata fuisset, aut difficilius fuisset concessa requisito scilicet consensu Ulixis, & Mariæ Benedictæ: Injustam vero esse *perpetuationem*, cum tollat jus Patronorum, quales ipsi sunt, eorumque filii, qui procul dubio mediatam saltem vocationem habeant ad easdem Cappellanias, actumque esse de fructu eorum

Patro-

Patronatus, si Cappellaniæ *perpetuentur* in persona hujus pueri: Hæc atque alia Ulixes, & Maria Benedicta. Post hæc scripta oblatus nobis fuit longus libellus a Clemente, & Joachim ejus patre, sed sero nimis, ut difficile esset rationes ex eo excerpere, quibus *folium* oneraretur. Onus igitur erit Eminentissimorum Patrum, perpensis, quæ hinc inde proponuntur, Causæ hujus Dubium expedire.

An sustineatur perpetuatio Cappellaniarum in casu &c.

Affirmative.

ROMANA: A Julio Silvaggio supremis tabulis, quas scripsit anno 1748. post data plurima legata, ita ejus voluntas explicata fuit: *che il sopravanzo della mia eredità debba ogn' anno nella Festa di Sant' Anna erogarsi, e distribuirsi in dotare tante povere Zitelle alla ragione di scudi* 25. *per dote tanto ad effetto di maritarsi, che di monacarsi: La prima distribuzione debba farsi in quel Rione, in cui io Testatore morirò, e successivamente in tutti gl' altri Rioni da destinarsi uno per anno*. Harum vero dotium distributio ita fieri jussit, *li Signori Avvocato Paolo Francesco, e Conte Filippo Antamori miei Nipoti, e li loro eredi, e successori in infinito, e ciascheduno di loro ogn' anno abbia la facoltà di nominare una zitella di quel Rione, in cui dovranno distribuirsi le doti &c. e per le altre debba farsi il bussolo, ed estraersi a sorte dal Patre superiore della Madonna alla presenza di un Notaro &c.* Administratorem hæreditatis suæ esse voluit eumdem Præfectum Domui PP. Ministrantium infirmis, dato in hanc causam legato annuorum sc. 100., jubens, ut idem Præfectus triennio quolibet rationem suæ administrationis redderet Exequutoribus Testamentariis, qui erant iidem duo fratres Antamori eorumque hæredibus, & successoribus in infinitum, quibus accrescere deberent sc. 50. ex centum pro administratione legatis si ratio non redderetur. *Sess. 22. c. 6. de ref.*

Alter ex his Exequutoribus Com. Philippus, cui Testator curam dederat faciendi repertorium, seu inventarium, & bona hæreditaria administrandi, donec expungerentur debita, & legata præstarentur, cuique tres sunt filii masculi, duæ feminæ, preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, quibus postulabat, ut ob tenuitatem opum suarum annuæ dotes a Testatore relictæ, applicarentur pro congrua quantitate filiabus suis, utque sibi, suisque hæredibus, & successoribus daretur administratio hæreditatis, a qua pendet dotium distribuendarum quantitas. Data fuit ab Optimo Principe postulationis hujus cognitio Amplissimis Patribus, a quibus rogatus fuit Eminentissimus Dominus Cardinalis Urbis Vica-

Vicarius, ut animi sui sententiam aperiret. Auditi ab eo Patres Ministrantes Infirmis nullam de dotibus controversiam moverunt: obstiterunt postulationi administrationis, & idem Eminentissimus Dominus in eadem fuit sententia. Post hæc Antamorius, & Patres transegerunt, & reservato sacræ hujus Congregationis assensu, convenerunt (missis aliis capitibus, quæ ad rem parum pertinent) ut administratio hæreditatis esset apud Antamorium ejusque hæredes, & successores, qui loco sc. 100. pro administratione legatorum a Silvaggio præstare tenerentur PP. annua sc. 40. Ut pro implemento legatorum Piorum, quæ Silvaggius perpetuo instituerat, teneretur Antamorius assignare iisdem Patribus tot loca montium, aut bona immobilia hæreditaria, ex quibus percipi posset annuus redditus sc. 245. 20., quæ respondent oneribus perpetuis a Testatore relictis, ut denique Patres consensum præstarent applicationi Dotium.

Hac inita transactione, postulavit Antamorius ab hoc Sacro Tribunali ejusdem approbationem, & iterum rogatus fuit Eminentissimus Dominus Cardinalis Vicarius, ut de ea probanda, vel reiicienda sententiam suam aperiret, qui audito P. Procuratore Generali Ordinis, a quo longa epistola rationes omnes initæ transactionis collectæ fuerunt, eam in omnibus Capitibus probari posse censuit. Causa nunc proponitur, & disputat Antamorius transactionem esse probandam quia utilis sit Patribus, utilis hæreditati, sartaque tecta servetur Testatoris voluntas, mutata dumtaxat persona Administratoris, quæ mutatio ad substantiam voluntatis non pertinet: Dotes Filiabus suis applicandas esse, quia agatur de sanguine conjunctis, Patri tenues sint opes, præsertim gravato tribus aliis filiis masculis, quibus sit prospiciendum: nullum puellis eligendis, aut sorte, & urna determinandis detrimentum inferri, cum res sit de personis omnino incertis R. P. D. Antamorium cui Testator jus dederat nominandi puellam, jus suum fratri cessisse; Assignandum vero esse singulis filiabus quantitatem sc. 3000., tum quia ita requirat honestas Familiæ, tum quia longe majores Dotes dare solita sit eadem Familia Antamori. Hæc Com. Philippus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An sit approbanda Concordia in casu &c.*

II. *An & in qua summa sint assignandæ Dotes pro Filiabus Oratoris in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Assignandas esse dotes in scutis mille pro qualibet.

Die

Die Sabbathi 18. Junii 1757. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

MINDONIEN. FRUCTUUM. Dilationem obtinuit hæc Cauſa ab Emis Patribus *in Congregatione* habita *die* 12. ſuperioris Menſis *Februarii*. Cum verò nunc proponatur, rogantur iidem Eminentiſſimi Patres *Folium illius Congregationis* iterum conſulere, ut duo, quæ ſequuntur, Dubia expediant. *Seſſ. 22. c. 4. Seſſ. 23. c. 1. & Seſſ. 24. c. 12. de Ref.*

I. *An ſit ſtandum in primo, vel ſecundo loco deciſis in caſu &c.*

II. *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.*

Ad I. In ſecundo loco deciſis, & amplius. Ad II. Dilata, & ſcribatur Epiſcopo, ut curet componere partes.

COLIMBRIEN. EXEMPTIONIS SEMINARII. Speciem omnem, & rationes hujus Cauſæ dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 12. ſuperioris Menſis *Martii*. Dubium ejus, quod erat. *An ſit locus exercitio Jurium, & Functionum Parochialium in Seminario Colimbrienſi, ſeu potius conſtet de libertate ejuſdem Seminarii in caſu &c.* diſſolutum fuit ab Eminentiſſimis Patribus reſponſo. *Negativè ad primam partem. Affirmativè ad ſecundam*. Iterum Cauſam dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 30. tranſacti Menſis *Aprilis*, ſed Parocho dilationem poſtulante, reſcripſerunt Eminentiſſimi Patres. *Dilata ad primam poſt proximam*. Obſequimur itaque imperio Sacri Tribunalis, & Cauſam damus, ut repetita lectione *Folii Congregationis diei* 12. *Martii*, Eminentiſſimi Patres decernere poſſint. *Seſſ. 23. c. 8. de Ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

AMAL-

Seſſ. 24. c. 1. de ref. Matr.

AMALPHITANA MATRIMONII. In eadem *Congregatione* habita *die* 30. tranſacti Menſis *Aprilis* propoſita fuit hæc Cauſa, & Dubium ejus, quod erat. *An conſtet de nullitate Matrimonii. ſeu potius ſit locus experimento cohabitationis triennalis in caſu &c.* expeditum fuit reſponſo: *Eſſe locum cohabitationi triennali.* Redit nunc Cauſa ad novum Judicium, & Eminentiſſimi Patres conſulto iterum *Folio Congregationis* habitæ *die* 2. ejuſdem Menſis *Aprilis*, in quo primùm data fuit, reſpondere poterunt.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Dilata ad ſequentem.

Seſſ. 22. c. 8. & 9. de ref.

FANEN. JURISDICTIONIS. Quæſtio hujus Cauſæ, licèt longo oneretur libello, brevis tamen eſt: Quæritur enim, an Jus viſitandi, exigendique rationes quatuor Piorum Operum, quæ Urceani ſunt, & quorum adminiſtratio apud Decuriones eſt ejuſdem Terræ, *Hoſpitalis* nempe, *Montis Frumentarii*, & duarum hæreditatum *Salvi*, & *Cevaloni*, ſpectet ad Epiſcopum, vel ad Præſidem Provinciæ. Epiſcopus urget Sacrorum Canonum, & præſertim Tridentini diſpoſitionem: Decuriones urgent literam Brevis Pontificii, quo tribuitur Legatio. Hanc non obeſſe reſpondet Epiſcopus, quia licèt videatur in his tributum, conceſſumque Legato, ſeu Præſidi *Jus privativum* Viſitationis, hoc tamen adſtringatur ad eam Juriſdictionem, notionemque, quam habent Theſaurarius R. Cameræ, & Sac. Congregatio Boni Regiminis, quorum Juriſdictio Laica eſt, non Eccleſiaſtica, ideoque a Brevi Apoſtolico non tolli Epiſcopis Juriſdictionem, quam habent a ſacris legibus: Atque hanc eſſe conſuetudinem Provinciæ congeſtis probat exemplis, quibus accedunt res judicatæ, & facta ipſorum Præſidum, aut Legatorum. Hæc ſumma eſt Epiſcopalis libelli: A Decurionibus Urceani nihil adhuc habuimus: Quæſtio unum Dubium complectitur.

An, & cui competat Jus viſitandi Loca Pia, de quibus agitur, in caſu &c.

Competere Epiſcopo ad formam Concilii, ſalva auctoritate Curiæ Legationis in exercendis adminiſtrationibus Œconomicis.

Sess.24. c.1. de ref. Matr.

PISAUREN. A Monasterio Civitatis Mantuæ, in quo erat educationis causa, Pisaurum translata fuit nobilis virgo Theresia Carandinia, & triduo moram traxit in avita domo, quæ est intra fines Parochiæ Cathedralis Ecclesiæ, seseque inde recepit in Monasterium Divæ Mariæ Magdalenæ ejusdem Civitatis. Mox in Sponsam designata, egressa est Monasterio, & ne sola in eadem avita domo esset, a Patre collocata fuit, donec cederet nuptiarum dies, apud Marchionem Arduinum, cujus ædes sitæ sunt in alia Parochia Sanctæ Luciæ. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ rescivit eidem Parocho datum fuisse munus explorandi voluntatem, & consensum Puellæ in matrimonium ab ea contrahendum, & suspicans, ne idem Parochus Sanctæ Luciæ Theresiam connubio jungere vellet, adiit Episcopum, monens proprium Puellæ Parochum esse illum Cathedralis Ecclesiæ: Episcopus contra censebat esse illum Sanctæ Luciæ. Ad rem dirimendam potestatem fecit Vicario suo Generali, ut Matrimonio Theresiam jungeret. Exemplo perniciosum id reputans Capitulum venit ad hoc Sacrum Tribunal, ut declaretur Matrimonium hoc contrahi debuisse coram Parocho Cathedralis. Auditus Episcopus sententiam suam defendit proprium Theresiæ Parochum fuisse illam Ecclesiæ Sanctæ Luciæ, non Cathedralis.

Causa nunc proponitur, reluctante Parocho Sanctæ Luciæ, qui litem hanc agere non vult, & disputat Capitulum, Gentem Carandiniam lares suos fixisse in Parochia Cathedralis, in libris Animarum ejusdem Parochiæ relatam fuisse, Sacramenta recepisse, solvisse decimas personales: Patrem Puellæ eamdem domum apertam tenere, eamque toties incolere, quoties Pisaurum redit, ita ut ambigi non possit Gentem Carandiniam contraxisse Parochialitatem in Ecclesia Cathedrali, ideoque Matrimonium a Theresia contrahi debuisse coram Parocho Cathedralis, non coram Parocho Sanctæ Luciæ: neque ad rem pertinere habitationem Theresiæ in ædibus Arduinis, & pluries ab hoc Sacro Tribunali decretum fuisse, ut spectanda sit præsens habitatio alterutrius ex Sponsis, ut apud *Fagnan. in cap. Significavit de Paroch.*, *& Pignatell. consult. Canon.79. tom.5.* quia non habitationis, sed hospitationis causa Theresia esset in ædibus Arduinis, donec scilicet Matrimonii dies veniret, & ideo sicuti Puellæ educationis gratia in Monasteriis retentæ Matrimonium contrahere debent coram Parocho domicilii, ita & Theresia: Præsentem habitationem satis esse, ubi adsit animus contrahendi Parochialitatem; aliàs si non hoc animo, sed vel custodiæ, vel hospitii, vel cujuscumque actus causæ eventualis quis habitet, sola hæc habitatio satis sit ad alia Sacramenta, non ad Matrimonium validè contrahendum, ut *ex cap.2. de Sepultur. in VI* tradunt *Barbos. ibid. num.2. & 3. & de Potest. Episc. alleg.32. num.66. Guttierez de Matrim. cap.63. num.7. Cardinalis de Luca ad Concil. Trid. disc.26. num.10., & de Matrimon. disc.1. num.10. Ursaya discep. Ecclesiast. tom.2. par.1. discep.10.*

*discep.*10. *num.*41. *Panimoll. dec.*19. *annot.*1. *num.*15. Hæc atque alia Capitulum. Dubium est.

An pro contrahendo Matrimonio proprius Parochus Puellæ de Carandinis fuerit ille Sanctæ Luciæ, sive potius Vicarius Curatus Cathedralis Ecclesiæ Pisauri?

Ad Mentem.

*Sess.*22.*c.*5. *de Ref.*

VITERBIEN. CAPPELLANIÆ. Morte Archidiaconi Pauli Simeonis Sacchi vacavit Cappellania, quam anno 1677. fundaverat Margarita Marinoni ad Aram Bmæ Virginis Lauretanæ in Ecclesia Collegiata Sancti Sixti Civitatis Viterbii. Primum Cappellanum nominavit Margarita Thomam virum suum, cui, si Cappellanus esse renueret, jus dedit alium nominandi, dato Cappellanis omnibus onere perpetuo, ut quolibet mense, die Sabathi Sacrum fieret ad eamdem Aram. Addidit, ut, si vir nollet esse Cappellanus, & alium nominaret, *in tal caso lascia in arbitrio del medesimo d' accrescere gl' obblighi, e pesi, che li parerà, e piacerà con l' approvazione però del Sig. Arciprete pro tempore della medesima Collegiata di San Sisto, quale abbia facoltà di accrescere il peso a detta Cappellania per tutti li Cappellani futuri*. Codicillis verò auxit viro jura, *il quale vuole, che anco dopo la sua morte ne possa disporre per una sol volta*. His juribus usus vir testamento suo Cappellanum nominavit, & onus unius Sacri ei superaddidit. Defuncto inde anno 1729. hoc Cappellano, Archipresbyter Ecclesiæ S. Sixti protestationem in Actis emisit, qua declaravit addere Cappellanis onus residentiæ, & servitii Chori. Episcopus autem Cappellaniam contulit, sed Hieronyma Mazzatosti, ad quam Juspatronatus spectabat, Cappellanum nominavit Canonicum Simeonem Sacchi, qui inde, Canonicatu dimisso, Archidiaconatus Dignitatem obtinuit: hìc repulso tam proviso ab Episcopo, qui liti cessit, quam Archipresbytero, qui destitit ab opinione sua, Cappellanus institutus fuit ab ipso Episcopo.

Defuncto, ut diximus, eodem Archidiacono die 13. Octobris anno 1755., Archipresbyter Ecclesiæ S. Sixti eamdem protestationem, quam Prædecessor emiserat, renovavit. Sed Hieronyma Mazzatosti Patrona, quæ Nobili Amerino nupta est, cuique plures sunt liberi adhuc impuberes, tenues verò opes, preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, quibus postulabat, ut tempus nominandi Cappellanum prorogaretur ad novennium, donec scilicet filius natu major, qui septennis est, adolescat, & Cappellanus nominari possit, fructusque ejusdem Cappellaniæ cedant in ejus subsidium, etiam pro studiis, suppletis interim per

alium

alium oneribus ejusdem Cappellaniæ. Data fuit Sacro huic Tribunali postulationis hujus cognitio, & auditus Emus Viterbiensis Episcopus censuit *petitis annui posse.* Res igitur nunc proponitur, & disputat Patrona gratiam hanc etiam ex Juris dispositione ab hoc Sacro Tribunali frequentissimè indultam fuisse juxta exempla, quæ congerit, quæque *in Thesauro Resolut. Sac. Congreg.* facilè occurrunt, præsertim verò concurrentibus circumstantiis nobilitatis, tenuitatis opum Patroni, ætatis filii, & cum nulli detrimentum infertur, ut in casu nostro, in quo nullus ad Cappellaniam vocatus est a Fundatrice, neque spectandam esse protestationem Archipresbyteri S. Sixti, vel quia non venerit casus ille, a quo pendebat jus ejusdem augendi onera, cum Thomas vir Cappellanus fuerit, vel quia idem Thomas onera auxerit, ut locus esse non debeat novo augumento, vel quia augumentum oneris respicere tantùm possit numerum sacrorum, non verò mutare possit naturam Beneficii, ut esset, si e simplici fieret residentiale. Ab Archipresbytero monito ad jura sua proponenda nondum aliquid habuimus. Dubium est.

An sit annuendum precibus Hieronymæ Mazzatosti in casu &c.

Affirmativè adimpletis oneribus per Œconomum deputandum ad Emo Episcopo.

TYBURTINA PAROCHIALIS: Una est in Castro *Madama* Tyburtinæ Diœceseos Parochia, una Parochialis Ecclesia, in qua tamen non unus, sed duo Parochi sunt, diviso per Hebdomadas curæ Animarum exercitio. Perpetuæ hinc inter eos dissensiones, jurgia, lites: hinc maximo salutis æternæ dispendio negligentia in administratione curæ. Præsto est uterque Parochus, ubi de lucro agitur; nullus occurrit, ubi onus est subeundum, neque Populus parem utrique Parocho præstat obedientiam, neque par est in Populum utriusque Parochi affectus: sæpe Baptismata, sæpe Matrimonia in aliam hebdomadam, non sine infantium, aut pudicitiæ periculo transferuntur, ut unus, aut alter Parochus emolumenta percipiat. Ut his morbis medicinam pararet Episcopus, cum, transacto mense Decembri, alter ex his Parochis obiisset, statuit duos Parochos ad unum dumtaxat redigere, unita portione vacantis portioni superstitis, dato onere perpetuo assumendi Cappellanum ab Episcopis approbandum, qui eum adjuvet in cura animarum. *Sess. 24. c. 13. de Ref.*

Consiliis Episcopi restitit Populus illius Castri contendens Parochianorum numero satis non esse Parochum, parumque esse gratum, qui nunc solus est. Preces igitur tam Populus, quam Episcopus obtulerunt Sacratissimo Principi nostro, Ille ut nihil mutaretur; Hic, ut exequeretur ejus propositum Sacri etiam hujus

Tribunalis auctoritate. Data Emis Patribus harum precum cognitione, auditus fuit Episcopus, qui non utilem tantùm, sed etiam necessariam censet reductionem numeri Parochorum, ut tollantur discordiæ, malaque omnia, utque consulatur numeroso Populo, cui duo præsto erunt Sacerdotes, Parochus nempe, & Cappellanus, cum nunc unus sit, diviso per hebdomadas exercitio inter duos. Eadem, quæ Episcopus, habet nunc in suo Libello Promotor Fiscalis, addens Sacrorum Canonum, & nuperam Tridentini dispositionem, qua vetitum est duos esse Parochos in una Parochia; neque ad rem pertinere exempla quarumdam Parochialium, in quibus plures curam Animarum exerceant, cum hic agatur de *Jure formali* Parochiæ, quod apud plures esse non potest, diversum si, ut in contrariis exemplis, ageretur de *exercitio* Curæ, quod inter plures dividi potest, cum apud alium sit jus formale Parochiæ, ut est in Capitulis, & Collegiis: nullam denique habendam esse rationem vetustissimæ consuetudinis, cum corruptela, & abusus dici debeat, quando Sacrorum Canonum dispositioni adversatur. Hæc Promotor. A Populo nihil accepimus. Unum est Causæ Caput.

An sit locus reductioni duorum Parochorum unius ejusdemque Parochialis Castri Madamæ ad unum solum Parochum qui onus habeat retinendi Cappellanum Coadjutorem in cura Animarum ab Episcopo approbandum in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess.5.c.1. & Sess.24.c.8. de Ref.

CIVITATIS DUCALIS PRÆBENDÆ THEOLOGALIS. Cum Romæ esset studiorum causa Sacerdos Marianus Vetuli Nari, oblata ei fuit Præbenda Theologalis in Cathedrali Ecclesia Civitatis Ducalis, quæ jam biennio vacabat. Eam ipse accepit, & per annos quindecim sacris lectionibus assiduè incubuit. Questus equidem est frequentissimè de ejusdem Præbendæ tenuitate, quæ non solùm non reddit annua sc 60. *monetæ Romanæ*, ut disertè cautum est in cognitissima Constitutione Benedictina edita *post Concilium Romanum*, sed non excedit ducatos 34. *monetæ Regni*, petiitque ab Episcopo, ut eamdem Constitutionem sequens uniret Præbendæ Beneficia simplicia, aut alia ratione indemnitati suæ consuleret. Spe frustratus, victa tandem patientia destitit a lectionibus, quod ubi rescivit Promotor Fiscalis Curiæ Ecclesiasticæ eum monuit, ut pergeret sacros explicare libros sub poena sequestrationis tertiæ partis redditituum Præbendæ. Excepit Canonicus Marianus de defectu integræ portionis juxta Constitutionem Benedictinam, sed Vicarius generalis sequestrationem decrevit. Confugit Canonicus ad hoc Sacrum Tribunal, at sequestrationi suppositum fuit frumentum, quod, ut

ut contendit Canonicus; maximam constituit partem ejusdem Præbendæ. Causa nunc, audito jam Episcopo, proponitur, & disputat Canonicus non teneri sacros explicare libros, cum integram summam Benedictina Constitutione præfinitam ex Præbendæ redditibus non percipiat, ut definitum fuit ab hoc Sacro Tribunali *in Camerinen. Præbendæ Theologalis* 3. *Decembris* 1735., *& in Nucerina Paganorum Præbendæ Theologalis* 8. *Februarii* 1738., *&* 8.*Martii eodem anno ad dubium II. Thes. Res. S.Cong. Vol.VIII.pag.*29., *&* 41. Eademque ratione non substineri sequestrationem, cum non tertia pars fructuum, sed ferè integer redditus subjectus eidem fuerit contra formam Benedictinæ Constitutionis. Hæc atque alia Canonicus Theologalis. A Promotore Fiscali nihil habuimus. Duo sunt Dubia expedienda.

I. *An Canonicus Marianus teneatur, & debeat lectiones explere Scripturæ Sacræ in casu &c.* Et quatenus Affirmativè.

II. *An substineantur sequestra super fructibus Canonicatus Theologalis ab Episcopo apposita, & cui sint applicandi fructus antedicti Canonicatus pro tempore, quo præfatus Canonicus Sacræ Scripturæ lectiones non explevit in casu &c.*

Ad I. Firmetur status, & interim Canonicum Theologalem teneri. Ad II. Substineri pro tertia parte fructuum cujuslibet anni, & esse applicanda ad formam Bullæ, *& Procurator Spalletti petat veniam ab Episcopo, de qua doceat coram D. Secretario.*

PASSAVIEN. PROFESSIONIS: Querelam nullitatis suæ Professionis proposuit in Audientia Episcopali Passaviensi P.Æmilianus Gerlinks Monachus Monasterii Cremisaniensis Ordinis S.Benedicti, nondum elapso quinquennio a die emissæ Professionis, sed post editasprobationes suas Romam venit, aditoque precibus Sacratissimo Principe nostro; postulavit, ut Causa cognosceretur a Sacra Congregatione consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita. Annuit Princeps indulgentissimus, auditusque fuit Eminentissimus Episcopus, qui rescripsit metum, & vim a Patre Monacho huic illatam parum probari; Causæ nodum esse in Professione simulata. Dum parat defensiones Pat. Æmilianus, dum moras ex mora nectit, plurimum æris alieni Romæ contraxit, & metuens, ne in carceres coniiceretur sese in Monasterium restituit, exceptus humaniter a Pat. Abbate, qui etiam æs alienum, quod Monachus ille Romæ contraxerat, expunxit. Postulavit inde P. Æmilianus, ut Eminentissimus Episcopus sententiam animi sui iterum aperiret Sacræ Congregationi, respondítque Eminentissimus Episcopus in eamdem, quam primum aperuerat, sententiam. Pertæsus Pat. Abbas cunctationibus Pat. Æmiliani preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, quibus postulavit, ut ad rem celerius definiendam cognitio hujus Causæ mandaretur Sacro huic Tribunali, quo impe- *Sess.25.c.19. de reg.*

trato, curavit, ut causa proponeretur, & disputat nunc vim, & metum, quem obtendit Pat. Æmilianus, non probari ex testibus ab eo editis, & si probaretur, non satis esse, cum non fuerit illatus, ut Professionem emitteret: Neque probari eamdem Professionem simulatam fuisse, ad quam simulationem causam fuisse deductam rescripsit Eminentissimus Episcopus, quia, deficiente metu, omnis deficiat simulandi causa. Hæc Pat. Abbas, & *Defensor Professionis*. A Patre Æmiliano nihil habuimus. Dubium est.

An constet de validitate, vel invaliditate Professionis in casu &c.

Dilata, & quoad expensas utatur jure suo ad formam Bullæ.

Die

Die Sabbathi 9. Julii 1757. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit S. Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

CUM duæ, quas primò ſubiicimus, Cauſæ in ultima Ampliſſimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 18. tranſacti menſis *Junii* dilationem obtinuerint ad hanc *Congregationem*, eas hìc damus, rogantes Eminentiſſimos Patres, ut ad eaſdem definiendas *Folium ultimæ Congregationis* iterum conſulant.

AMALPHITANA MATRIMONII, in qua quæritur. Seſs. 24. c. 1. de ref. Matr.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

TYBURTINA PAROCHIALIS, cujus Dubium eſt. Seſſ. 24. c. 18. de Ref.
An ſit locus reductioni duorum Parochorum unius ejuſdemque Parochialis Caſtri Madamæ ad unum ſolum Parochum, qui onus habeat retinendi Cappellanum coadjutorem in cura animarum ab Epiſcopo approbandum in caſu &c.

Negativè, & Epiſcopus incumbat exerceri dietim curam animarum per utrumque ſublata alternativa, & ad mentem, & mens eſt -- ut fiat maſſa communis ex incertis emolumentis æqualiter dividen.

ALBINGANEN. LEGATORUM: Data fuit hæc Cauſa in *Folio Congregationis* habitæ *die* 21. ſuperioris *menſis Maii*, Dubioque ejus, quod erat -- *An ſubſtineatur perpetuatio Cappellaniarum in caſu &c.* Reſponderunt Eminentiſſimi Patres -- *Affirmativè*. Redit nunc ad novum eorumdem Judicium, & decernendum erit. Seſs. 25. c. 9. de ref.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Dilata, & iterum proponatur.

RECI-

Sess.24. c.12. de Ref.

RECINETEN. SERVITII CHORI. Paribus hæc Causa distracta Eminentissimorum Patrum suffragiis in *Congregatione* habita *die* 21. superioris *mensis Maii* responsum accepit -- *Iterum proponatur*. Nunc igitur eam iterum proponimus, ut ejus Dubium expediatur, quod est.

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.

Dilata, & concedendas esse literas compulsoriales, & remissoriales.

Sess.24. c.12. de Ref.

FASANEN. Propositis in *Congregatione* habita *die* 30. superioris *mensis Aprilis* duobus hujus Causæ Dubiis. I. *An Primiceriatus Ecclesiæ Fasanen. sint conferendi Sacerdotibus participantibus?* & quatenus negativè. II. *An provisi de dictis Primiceriatibus non participantes, nec habentes requisita Statutorum Capitularium, & Decretorum Sacrarum Visitationum consequi debeant ass. portionem, & respectivè participationem massæ communis in casu &c.* Respondit Sacrum Tribunal -- *Ad I. Posse conferri tam participantibus, quàm non participantibus, & ampliùs. Ad II. Affirmativè*. Redit nunc ad novum Judicium definitio II. Dubii, & respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam.

Sess. 6. c. 5. Sess. 7. cap. 8. Sess. 21. c. 8. & Sess. 23. c. 15. de ref.

CAPUTAQUEN. Dedimus hanc Causam, quæ agitur inter Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Caputaquensis, & Bajulivum Rhodii, & Sancti Mauri Sacri Ordinis Hierosolymitani in *Folio Congregationis* habitæ *die* 12. superioris *mensis Martii*, sed dilata fuit V. Dubiorum, quibus instructa est, definitio. Nunc reproponitur, instante Promotore, qui postulat eadem V. Dubia expediri, cum satis temporis datum sit Bajulivo ad sua jura paranda. Dubia sunt.

I. *An Episcopus Caputaquen. exercere valeat omnimodam jurisdictionem ordinariam in Locis Rhodii, & Sancti Mauri, seu potius talis jurisdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ?*

II. *An Vicarii Curati pro Ecclesiis Parochialibus Rhodii, & Sancti Mauri a Bajulivo præsentati examinari, & approbari debeant ab Episcopo?*

III. *An deputatio Œconomi provisionalis ad dictas Parochiales spectet ad Ordinarium?*

An

IV. *An ass. Vicarius Bajulivatus dare possit licentias confessiones audiendi in dictis Ecclesiis quibuscumque Sacerdotibus, etiam non approbatis ab Ordinario?*

V. *An administratio Sacramenti Confirmationis in Locis Rhodii, & Sancti Mauri privativè spectet ad Episcopum Caputaquensem in casu &c.*

Dilata ad primam post sequentem.

POTENTINA BENEFICII. Species hujus Causæ, quæ agitur inter Canonicum Januarium Cominellium, & Collegium Puerorum, sive Seminarium Civitatis Potentiæ ob unionem eidem Seminario factam simplicis Beneficii sub titulo Sanctæ Sophiæ, quod a Sancta Sede Cominellius obtinuit, habetur *in Folio Congregationis* habitæ *die 7. Aprilis anno* 1753., quod publici juris factum fuit *in Vol.XXII. Thes. Resol. Sac. Congr. pag.*37. Dilata fuit ea die definitio Dubii, quod erat = *An sit relaxanda supplicatio in casu &c.*, sed reproposito eodem Dubio in *Congregatione* habita *die 12. Maii eodem anno*, Eminentissimi Patres censentes unionem validam fuisse, responderunt: *Negativè*. Rediit pluries Cominellius ad novum Judicium, numquam tamen Causa proposita fuit: Demum in *Congregatione* habita *die 15. Decembris eodem anno*, Dubio quod propositum fuit -- *An sit standum, vel recedendum a decisis* -- Eminentissimi Patres responderunt -- *Dilata, & extrahantur partitæ ex libris Seminarii, & firmetur status beneficiorum, quæ taxæ subjacent, citatis interesse habentibus*. Mandata igitur Jurisdictione Judex Delegatus meliori, quo potuit, modo redditum, exitumque Seminarii constituit, & Beneficiorum statum firmavit, data etiam ad Eminentissimos Patres epistola, qua eos de omnibus reddit certiores. Rationalis autem annuum Seminarii redditum constituit in ducatis 835., exitum verò in ducatis 678., itaut acceptum superet impensum, etiam sine ope taxæ Conciliaris: Unde arguit Cominellius nullitatem unionis, cum apud omnes constet, uniones subsidiarias esse, neque fieri posse, nisi cum redditus e taxa non sufficiant, adhibitis etiam quatuorDeputatis duobus de Capitulo,& duobus de Clero, quam formam in hac unione servatam non fuisse asserit Cominellius. A Seminario nihil adhuc habuimus. Dubium idem reproponitur nunc expediendum. *Sess.23. c.18. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem,& transmissa acta, quæ præcesserunt unionem.

BAR-

Sess. 21. c. 7. de ref.

BARBASTREN. Juga Montium Pyreneorum incolunt homines habitatores Pagorum *Barbaruens*, *Seira*, *Avi*, *&* *Carlania*, qui Abbatiæ Sancti Victoriani Ordinis Benedictini uniti sunt, & Monasterio decimas, & primitias solvunt in annua summa scut. 1000. His hominibus Sacramenta Ecclesiastica ministrantur a duobus Vicariis, quos eligit P. Abbas ejusdem Monasterii. Hi perpetuam moram faciunt in loco *Tabernas*, ubi est antiqua Parochialis Ecclesia Divo Petro dedicata, & solùm diebus festis ad Pagos illos accedunt sacra acturi, & ministraturi incolis Sacramenta. Sed ob magnam distantiam, ob præruptas vias inter scopulos teterrimos excisas, ob nives, & perpetuum gelu, quibus ea juga horrent, carent miseri illi Pagorum habitatores, hyeme præsertim, nimis frequenter & Sacris, & Sacramentis, ignorantque ipsa religionis nostræ rudimenta. Accedit & illud, quòd Ecclesiæ eorumdem Pagorum fatiscunt, & ruinam minantur; desunt etiam candelæ, vasa, supellex, ut Sacra agi non possint, renuente P. Abbate ea parare, & contendente teneri incolas. Anno igitur 1747. habitatores illi confugerunt ad hoc Sacrum Tribunal, ut cogeretur P. Abbas ad paranda omnia, quæ necessaria sunt. Auditus fuit, ut moris est, Episcopus, qui comperta veritate eorum, quæ narrata fuerunt, epistolam scripsit, qua suam contra P. Abbatem aperiebat sententiam. Sed P. Abbas inutilem esse eidem significavit, quòd ipse onus proprium impleturus fuisset, & implevit, dum vixit Episcopus ille, sed, eo defuncto, rediit ad ingenium, contendens onus hoc ab Incolis esse subeundum. Incolæ verò redierunt ad hoc Sacrum Tribunal postulantes compelli P. Abbatem ad præstanda necessaria pro instructione Ecclesiarum, & pro cautione hujus præstationis assignari primitias, quæ in districtu cujuscumque Ecclesiæ percipiuntur. Rursus, cum duo Vicarii sint in loco *Tabernas*, qui incolis, & populo caret, postularunt, ut alter in Pago *Barbaruens*, alter in Pago *Seira* residere compellantur, ut ita ob proportionatam distantiam necessitatibus incolarum omnium facilè occurrere possint. Auditus fuit Vicarius Capitularis, qui ad loca illa accessit, & ex visu distantiam locorum asperitatem viarum, & necessitatem Ecclesiarum cognovit, retulitque dictintè in sua epistola. Nunc igitur Causa proponitur tribus Dubiis instructa, disputantque Incolæ teneri P. Abbatem, qui decimas, & primitias percipit, Ecclesias instruere, & præstandam ab eo esse cautionem pro hujus instructionis perpetuitate: necessarium denique esse, ut Vicariorum residentia transferatur e loco *Tabernas* ad Pagos *Barbaruens*, & *Seira*. A P. Abbate nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An Abbas S. Victoriani teneatur subministrare ceram, & sacras vestes, aliaque necessaria pro sacro cultu, & manutentione Ecclesiarum* de Barbaruens, Seira, Avi, & de la Carlania; *seu potius Parochiani, sive habitatores dictorum locorum in casu &c.*

An

II. *An , & quomodo ſit providendum ſuper ſecuritate dictæ ſubminiſtrationis , & manutentionis in caſu &c.*

III. *An Reſidentia Vicariorum Eccleſiæ Parochialis S. Petri* de Tabernas *continuari debeat penes eamdem Eccleſiam , ſeu potius alibi ſit transferenda in caſu &c.*

Dilata , & ſcribatur Nuncio Apoſtolico pro informatione , & voto , qui interim mandet per modum proviſionis , & ſine præjudicio jurium partium ſubminiſtrari per Abbatem neceſſaria pro celebratione Miſſarum , & adminiſtratione Sacramentorum , & ad D. Secretarium pro compulſoria , & remiſſoria .

CAPUANA, SEU CALVEN. MATRIMONII . Tranſactis jam ſeptem annis , quibus Capuæ moram traxerat , ut Medicinæ ſtudiis operam daret Petrus Borellius natus Pignattarii , quod Oppidum eſt Diœceſeos Calvenſis , Romam venit anno 1742. , & poſt triennium petiit a Curia Eccleſiaſtica Capuana Teſtimoniales literas ſuæ libertatis , eaſque obtinuit : Petiit eaſdem a Curia Eccleſiaſtica Calvenſi , ſed eas impetrare non potuit obſiſtentibus Anna Savaſtano Capuana , ejuſque conſanguineis accuſantibus vitiatam fuiſſe Annam a Petro injecta ſpe matrimonii : Cum dubius eſſet Epiſcopus Calvenſis , a Conſanguineis Annæ itum eſt ad Regios Judices Campanos , qui Salvatori Borellio mandarunt , ut Petrum filium Capuam revocaret ab Urbe , eique Annam Connubio jungeret , indicta , ſi ſecus faceret, pœna ducatorum mille , ejuſque quantitatis ſolvendæ fidejuſſorem ab eo dari voluerunt ; Carceres etiam interminati ſunt , bonorumque omnium publicationem : Frater quoque Petri Xaverius in Carceres conjectus fuit ; eo tandem res devenit, ut Salvator ſenio licèt , morboque confectus Capuam traductus fuerit , & in Carceres detruſus cum fidejuſſore Jo: Baptiſta Stavola : ſupererat Carolus Borellius Salvatoris frater , Patruus Petri , Archipresbyter Pignattarii : Hic Capuam advocatur , lex indicitur, Romam pergat , Petrum reducat Capuam , & ut Annæ nubat; ſpondeat ſe ſoluturum ducatos 500. , & a Divinis ſuſpenſus ſit , ni Petrus redeat , & cum Anna matrimonium contrahat . Romam advolat Archipresbyter , omnia narrat , exorat Petrum ; Renuit hic tenax propoſiti : re infecta Capuam rediit Archipreſbyter . *Seſſ.24. c.9. de Ref.Matr.*

Aucto Salvatoris morbo dimiſſus fuit e carceribus , detento fidejuſſore , ut filium ad inviſas flecteret nuptias , plurimas Salvator ad eum literas dedit , fruſtra tamen . Ubi agnovit a propoſito dimoveri non poſſe , mandatum dedit , quo jure patriæ ſuæ poteſtatis utens jubebat , ut filius in carceres conjiceretur . Commovit id Petri animum , & Procuratorem conſtituit , qui ſuo nomine Annam Uxorem duceret : Proteſtationem tamen emiſit nulli-

nullitatis Matrimonii contrahendi. Obiit interim Salvator: Annæ consanguinei certiores redditi de protestatione mandatum rejecerunt, & aliud postularunt. Decernitur publicari bona gentis Borelliæ: Petrus aliud dedit mandatum, præmissa alia protestatione nullitatis contrahendi Matrimonii. Contractæ fuerunt mandato illo nuptiæ, sed Petrus Sacratissimo Principi nostro preces obtulit, quo postulabat, ut cognitio de validitate, vel nullitate Matrimonii daretur Eminentissimis Patribus, & impetravit, quod postulabat. Querelam inde nullitatis proposuit, cui adhæsit Anna ipsa. Auditus Archiepiscopus respondit, triennio tamen transacto, & rem longè aliter narrat -- *Annam commorantem Pignattarii in Oppido Diœcesis Calven., ac vitam trahentem cum Petri consanguineis, coactam fuisse primum minis, vexationibus assiduis, deinde fucatis blanditiis ad subscribendum precibus annexis: Quapropter pluries edixi consanguineis, ac Petri procuratori, ut eam traducerent in aliquem hujus Diœcesis tutum locum ad investigandum, & perscrutandum, utrum sponte, an coactè precibus subscripserit, ac ut attestationes, vel testes proferrent, quibus possent comprobare, quæ Petrus EE. VV. exposuit: verùm huc usque mihi nullo modo obtemperarunt.*

Ad rem quod attinet, *nihil certi exprimere posse*, ait Archiepiscopus, sed, *viso processu in laico foro constructo, satis perspicuè liquere, Petrum constuprasse Annam, & prægnantem reddidisse sub promissione futuri Matrimonii. Mox clanculum fugam arripuisse, atque hinc ejus Patrem fuisse carceribus mancipatum cum bonorum proscriptione: Posteaque Petrum inito per procuratorem cum Anna Matrimonio, Neapolim perrexisse, ac supplicem libellum Regio Consiliario Scassa obtulisse, fatendo se jam contraxisse cum Anna Matrimonium, producendo attestationem Parochi, ac rogando liberari ab omni alia molestia cum mandato de se præsentando ad omnem Regii Tribunalis Ordinem, ut post aliquot dies obtinuit: quibus ita se habentibus, videtur profectò Matrimonium validè fuisse initum juxta vulgatam Theologorum, Canonistarumque sententiam, cum metus fuerit justè incussus.* Hæc Archiepiscopus. Causa nunc proponitur, & disputat Petrus nullum fuisse Matrimonium defectu consensus, tum quia mandatum revocatum fuerit, tum quia extortum vi, metuque cadente in virum constantissimum: Deceptum fuisse Archiepiscopum, cum ait Petrum *Neapolim perrexisse*, cum numquam Roma discesserit: sed magis deceptum, cum ait *vitiatam fuisse* Annam a Petro, nulla enim ab Anna querela de stupro sibi illato proposita fuit, imo ipsam petere, ut a contracto Matrimonio liberetur. Hæc Petrus. *A Defensore Matrimonii* nihil habuimus. Dubium est.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Dilata, & exhibeantur acta Curiæ laicalis.

Die

Die Sabbathi 30. Julii 1757. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

FASANEN. Dedimus hanc Cauſam in *Folio ultimæ Congregationis* habitæ *die* 9. *hujus Menſis*, ſed dilationem ab Eminentiſſimis Patribus obtinuit *ad hanc Congregationem*. Repetita igitur lectione *Folii ejuſdem Congregationis*, reſpondendum erit. *Seſs.24. c.12. de Ref.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

FIRMANA DOMUS PRÆPOSITURALIS: Propoſita fuit hæc Cauſa *in Congregatione* habita *die* 21 tranſacti *Menſis Maii*, ſed definita non fuit ſciſſis Eminentiſſimorum Patrum ſuffragiis, reſponſumque fuit: *Iterum proponatur*. Nunc igitur eam iterum damus, ut conſulto *Folio Congregationis* habitæ *die* 2 *Aprilis*, in quo primùm data fuit, Dubium ejus expediatur. *Seſſ.7.c.7. de Ref.*

An Vicarii Curati Sancti Stephani Montis Sancti præter ſummam in Bulla aſſignatam, valeant etiam expetere habitationem in Domo Præpoſiturali, poſthabita illa in Viciniis aſſignata, & actu ab eis inhabitata in caſu &c.

Affirmativè, & ad mentem; & mens eſt, quod non amoto Moderno Præpoſito a Domo Parochiali aſſignetur Vicariis alia Domus magis proxima approbanda ab Archiepiſcopo.

BAREN: Poſt plures dilationes tandem Cauſa hæc definita fuit *in Congregatione* habita *die* 28 *Auguſti* tranſacto *anno* 1756. XIII Dubiis complexa fuerat. I. *An cura Animarum Parochialis, & Collegiatæ Eccleſiæ Terræ Nojæ reſideat privativè tam habitualiter, quàm actualiter penes Archipresbyterum, ſeu potius penes Capitulum in caſu &c.* II. *An denunciationes, & publicationes, quæ fiunt inter Miſſarum ſolemnia pro contrahendis Matrimoniis, promovendis ad ſacros Ordines, excommunicationibus, & indulgen-* *Seſs.23. c.1. & cap 14. de ref. Seſſ. 24. cap. 1. de ref. Matrim. Seſ.24. c. 18. de ref.*

tiis pertineant privativè ad Archipresbyterum , seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonicorum Primiceriorum , sitque servanda in casu &c. III. *An delatio Stolæ in Funeribus , & absolutio super Cadavera explendæ sint per Archipresbyterum , seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonici Confessarii , eaque sit servanda in casu &c.* IV. *An jus deferendi sacrum Viaticum , & Oleum sanctum infirmis pertineat privativè ad Archipresbyterum , seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonici Confessarii , qui peccata eorum audiverit , & sit servanda in casu &c.* V. *An Benedictio domuum in die Sabbathi Sancti spectet ad Archipresbyterum , seu potius constet de contraria consuetudine, sitque servanda in casu &c.* VI. *An Benedictio mulierum post partum privativè spectet ad Archipresbyterum , seu potius constet de contraria consuetudine favore Capituli , sive Canonicorum deputandorum , eaque veniat servanda in casu &c.* VII. *An liceat Confessariis Canonicis requisitis privativè quoad Archipresbyterum ministrare independenter Sacramentum Baptismatis in casu &c.* VIII. *An in omnibus supradictis actibus , & functionibus , quatenus expleri possint per Canonicos , intelligendum sit exclusivè , & privativè quoad ipsum Archipresbyterum præsentem , & per se ipsum ministrare volentem in casu &c.* IX *An tam supra enunciati actus , & functiones , quatenus spectent privativè ad Archipresbyterum , quàm aliæ , quæ fiunt in Sabbatho Sancto , in Dominica Palmarum , in Feria IV Cinerum , & V Cœnæ Domini , ac in Purificatione B. Mariæ Virginis eo absente , vel impedito expleri valeant ab ejus substituto etiam non Canonico in casu &c.* X. *An emolumenta pro administratione Sacramentorum , aliarumque Functionum ad curam Animarum spectan. percipi debeant ab Archipresbytero , seu potius constet de contraria consuetudine , eaque sit servanda in casu &c.* XI. *An claves Baptisterii , sacri Tabernaculi , & Olei Sancti sint retinendæ per Archipresbyterum , seu potius per Sacristam ejusdem Ecclesiæ , & Capituli in casu &c* XII. *An Subsacristæ in eadem Ecclesia eligi valeant quolibet anno absque intelligentia , & approbatione Archipresbyteri in casu &c.* XIII. *An constet de attentatis , & per quem , & quomodo sint purganda in casu &c.*

His respondit Sacrum Tribunal : *Ad I Curam habitualem esse penes Capitulum , actualem verò penes Archipresbyterum : Ad II Affirmativè ad primam partem , salvo jure Archiepiscopi , Negativè ad secundam : Ad III Affirmativè ad primam partem , Negativè ad secundam : Ad IV , ut in tertio : Ad V Affirmativè ad primam partem , Negativè ad secundam : Ad VI Servetur solitum : Ad VII , & VIII Negativè : Ad IX Quoad actus , & functiones supra enunciatas Affirmativè , in reliquis Negativè : Ad X Dilata , & coadjuventur probationes : Ad XI Claves Baptisterii , & Olei Sancti retinendas esse penes Archipresbyterum , claves vero sacri Tabernaculi penes utrumque : Ad XII Affirmativè : Ad XIII Dilata .*

Contra hanc definitionem *audiri* postulavit Capitulum , & ideo nunc repetita lectione *Folii Congregationis* habitæ *die* 26 *Mensis*

Junii

Junii 1756, in quo Causam hanc primo dedimus; quodque juris publici factum fuit in *Vol.XXV Thesaur. Resol. Sac. Congreg. pag.*45, respondendum erit.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

ARIMINEN: Habetur species hujus Causæ in *Folio Congregationis diei* 22 *Novembris anno* 1755, quod publici juris factum fuit in *Vol.XXIV Thesaur. Resol. Sac. Congregationis pag.*93. Sex erant ejus Capita: I *An Solum, in quo ædificata reperiuntur duo Oratoria S. Mariæ de Paradiso, & S. Josephi spectet quoad utile dominium ad Societatem S. Josephi, seu potius ad Patres Minores Conventuales?* II *An Episcopus possit privativè, seu cumulativè visitare dicta duo Oratoria, eorumque altaria, & omnia adnexa?* III *An P. Guardianus Minorum Conventualium possit assistere uti Præses Congregationibus prædictæ Societatis, & duo suffragia habere in scrutiniis?* & quatenus affirmativè: IV *An hoc idem liceat Reverendissimo Episcopo, ejusque Vicario Generali, vel alteri eorum nomine?* V *An liceat Patribus Minoribus Conventualibus aggregatis dictæ Societati interesse Congregationibus, ac ibi habere vocem activam, & passivam?* VI *An dicta Societas S. Josephi subjecta sit Episcopi Jurisdictioni, itaut teneatur exequi ejus mandata, & decreta, quæ etiam extra sacram Visitationem edi contigerit pro bono regimine in casu &c.* Responderunt ea die Emi Patres: *Ad I Spectare ad Societatem quoad usum tantùm*: *Ad II, & reliqua Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem*. Reproposita fuit Causa in Congregatione habita *die* 7 *Augusti superiore anno* 1756 agnoscente Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis Ariminensis primum Dubium jure definitum fuisse, Emi Patres reliquis quinque Dubiis responderunt: *Ad II Visitare posse cumulativè quoad ea tantùm, quæ spectant ad Societatem*: *Ad III Affirmativè, & unum tantùm habeat suffragium*: *Ad IV Negativè*: *Ad V Affirmativè cum voce activa tantùm*: *Ad VI Affirmativè in iis, quæ spectant ad Societatem, & amplius in omnibus*, ut in *Vol.XXV Thes. Resolut. pag.*61. *Sess.22. c.8. de ref.*

Post hanc definitionem Patres Conventuales interpellarunt Sodales de habenda Visitatione, & portæ per quam e via publica itur ad duo Oratoria apposuerunt ex parte interiori pessulum. Turbati ex his Sodales litem, ad quam in præcedentibus propositionibus vocati non fuerant, ultrò susceperunt, & *die* 22 *superioris mensis Januarii* proponi curarunt Dubium: *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum Dubium in casu &c.* cui Emi Patre responderunt: *In decisis, & amplius*: Sodales igitur, qui in propositione aliorum quinque Dubiorum auditi non fuerant, postu-

ftularunt, & obtinuerunt *in Congregatione* habita *die* 12 *Mensis Martii* audiri *super II, III, & V ex Dubiis* tunc expeditis. Sed Patres Conventuales securim ad radices injecerunt, oblatis precibus sacro huic Tribunali, quibus postulabant, ut Sodales ejicerentur. Auditus itaque fuit Episcopus Ariminensis, qui libellos ipsos, & Patrum, & Sodalium misit. Omnis itaque controversia IV Capitibus collecta fuit, quæ nunc Emorum Patrum definitionem expectant. Capita hæc sunt:

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis super II. III., & V. Dubiis resolutis die* 7 *Augusti* 1756?

II. *An concessio usus Soli, in quo ædificata reperiuntur Oratoria Sanctæ Mariæ de Paradiso, & S. Josephi fuerit in perpetuum, seu potius sit locus expulsioni?*

III. *An liceat PP. Minoribus Conventualibus apponere pessulum retrò januam majorem Campi S. Josephi, vel aliter impedire Confratribus liberum accessum per dictam januam ad Oratoria?*

IV. *An competat Patribus Jus visitandi libros Confraternitatis, & revidendi, sive expungendi rationes ipsius redditiuum in casu &c.*

Ad I. Super II. in decisis, & amplius. Ad III. in decisis quoad præsidentiam tantum absque voto. Ad V. in decisis, & amplius. Ad II. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam. Ad III. & IV. Negativè, & amplius in omnibus.

Sess. 23. c. 15. Sess. 24. c. 13. de ref.

CAPUTAQUEN: Causa hæc, quæ agitur inter Archiepiscopalem audientiam Caputaquensem, & Abbatem, ac Monachos Congregationis Montis Virginis, data fuit in *Folio Congregationis* habitæ *die* 28 *Augusti* 1756, quod publici juris factum fuit in *Vol.XXV. Thesaur. Resolut. Sac. Congregationis pag.*67. Indulta fuit ea die ab Emis Patribus *Dilatio*, ideoque Causa iterum data fuit in *Folio Congregationis* habitæ *die* 11 *Decembris*, ut in eodem *Vol.XXV pag.*87. Dubia ejus V erant. I *An Monasterium S.Honuphrii nuncupat* di Massa Diruta *sit nullius Diœcesis*? & quatenus negativè. II *An Priori, seu Abbati dicti Monasterii liceat facultatem concedere Sacerdotibus Sæcularibus, vel Regularibus ab Ordinario minimè approbatis audiendi confessiones Personarum sæcularium in d. Ecclesia S.Honuphrii*? & quatenus negativè: III. *An Sacerdotes Sæculares, vel Regulares alterius Diœcesis etiam a proprio Ordinario approbati audire possint confessiones Personarum Sæcularium de licentia P. Prioris, seu Abbatis pro tempore ejusdem Monasterii*? & quatenus negativè: IV *An, & in quas pœnas incidant tam Prior, sive Abbas, quàm Confessarii*? V *An Fons Baptis-*

Baptismalis in eadem Ecclesia positus sit removendus? His respondit Sacrum Tribunal. *Ad I Affirmativè: Ad II Ad mentem in casu, de quo agitur, & mens est non expedire uti Confessariis ab Ordinariis non approbatis: Ad III Affirmativè: Ad IV Provisum in antecedentibus: Ad V Negativè, & ad mentem, & mens est, quod non utatur, nisi consulta Sac. Congregatione*. Hæc definitio redit nunc ad novum Judicium, & decernendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

SALERNITANA CANONICATUS: Receptiva Ecclesia S. Mariæ Pietatis Terræ Ebuli Archidiœceseos Salernitanæ Apostolica auctoritate in Collegiatam erecta fuit, & duabus Dignitatibus aucta, Primicerio nempe, & Cantore, cum duodecim Canonicis, statuitque Summus Pontifex, ut *Primicerius futurus, & Cantor, tam prima vice, quàm perpetuis futuris temporibus nonnisi ex Canonicis Ecclesiæ, etiam ad hoc per Capitulum electis, necnon Canonicis prædictis decedentibus alii eorum loco subrogandi Canonici per Capitulum prædictum eligantur, & per Loci Ordinarium confirmentur, ipsique Canonici eligendi nonnisi ex singulis civium, & incolarum filiis dicti Oppidi existere, & eligi debeant, & alii Canonicatus, & Præbendas prædictas obtinere nequeant*. Lex hæc perpetuò servata fuit, at vacato *die* 1 *Junii anno* 1755 Canonicatu, Cantor petiit a Vicario Generali Archiepiscopi, ut Capitulo injungeret Sacerdotes, non Clericos, esse eligendos, utque electio ad turbas tollendas fieret ipso Vicario Generali præsente: hoc idem postulavit Cantoris Frater Universitatis nomine. Primam postulationem rejecit Vicarius, annuit secundæ, accessitque Ebulum præfinita electione *die* 7 *Junii*. Cum jam conclave ingressuri essent Vicarius, & Capitulares, Cantoris frater nomine Universitatis postulavit, ut vacans Canonicatus in Theologalem erigeretur. Postulationem hanc Vicarius Generalis *admisit si & in quantum, & dummodo de mandato constaret, salvis juribus cuilibet competentibus, & Reverendissimo Archiepiscopo, & quod per præsentem nulli præjudicium inferatur*, processitque ad electionem novi Canonici. *Sess. 5. c. 1. de Ref.*

Septem suffragia tulit Januarius de Christopharo, sex Joannes Angelus Sisto: sed Promotor Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis, & Universitas Terræ Ebuli ad hoc Sacrum Tribunal venerunt postulantes erectionem Canonicatus in Theologalem, & auditus fuit, ut moris est, Archiepiscopus. Etiam Januarius de Christophoro, qui plura tulit suffragia, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus petebat, ut una cum quæstione de erectione Canonicatus in Theologalem, alia ageretur quæstio de validitate electionis, & hac etiam de re auditus fuit Archiepiscopus, qui respondit vali-

validam sibi videri electionem Januarii de Christophoro, Canonicatum tamen in Theologalem esse erigendum. Causa nunc proponitur, & disputat Januarius Canonicatum vacationis tempore liberum fuisse, itaut nequeat tolli Capitulo Jus eligendi novum Canonicum juxta Legem Pontificiam erectionis a duobus jam sæculis observatam, neque tolli posse Jus liberè quæsitum Januario ex electione ipso præsente, atque auctoritatem præstante Vicario Generali Archiepiscopi acta: Plures esse in Terra Ebuli Regulares, qui explicationi sacrorum librorum dietim incumbunt, ut nulla sit necessitas erigendi in Collegiata Ecclesia Theologalem Præbendam, tollendo Jus quæsitum Capitulo electori, & Canonico electo. Hæc Januarius, & Capitulum, a Promotore Fiscali, ab Universitate Terræ Ebuli nihil hactenus habuimus. Dubium est.

An sit locus erectioni Canonicatus, & Præbendæ Theologalis in Ecclesia Collegiata Ebuli de Canonicatu in dicta Ecclesia vacato per obitum Francisci Morra, seu potius sustineatur electio Canonicatus, ut supra vacantis peracta in personam Clerici Januarii de Christophoro in casu &c.

Dilata ad sequentem communicatis hinc inde juribus per quindecim dies ante.

Sess. 5. c. 1. de Ref.

SARSINATEN. PROCESSIONUM: Ecclesiæ Archipresbyterali Rivaschi in Diœcesi Sarsinati suberant Ecclesiæ Parochiales Sancti Romani, Linarii, & Glageoli, sed anno 1722 Ecclesia S. Romani erecta fuit in Plebanam, eique tributa fuit Parochialis Linarii avulsa, & divisa ab Archipresbyterali Rivaschi, & avulsio, & separatio ab hoc Sacro Tribunali confirmata fuit. Lis inde orta est inter Parochum Linarii, & Plebanum S. Romani de prælatione in sonitu æris campani die Sabbathi majoris Hebdomadæ, quam Sacra Rituum Congregatio secundum Plebanum definivit. In Synodo Diœcesana habita anno 1754 constitutum fuit, ut Solemnitas, & Pompæ, seu Processiones Sanctissimi Corporis Christi ab Ecclesiis Plebanis agi deberent Feria quinta post Festum Sanctissimæ Trinitatis, ab inferioribus verò Ecclesiis die Dominico infra Octavam. Contra hanc Constitutionem preces huic Sacro Tribunali obtulerunt Parochi Linarii, & Glageoli, quòd ipsi antiquam habeant possessionem Solemnia, & Processiones agendi in ipso die Festo, ideoque postulabant, ut servaretur solitum, & Archipresbyter Rivaschi, ac Plebanus S. Romani cogerentur Processiones ducere, vel Feria quinta, vel die Dominico infra Octavam. Auditus Episcopus contra Parochos respondit. Causa nunc proponitur, & disputant Plebanus, & Archipresbyter eorum Ecclesias esse Matres, itaut ipsis

ipsis debeatur præcedentia: Consuetudinem, quæ tamen in his utramque paginam facit, non esse spectandam, quòd abusus, & corruptela dicenda sit. Aliis etiam respondent, quæ ignoramus an a Parochis proponantur, cum nondum ab ipsis datus nobis fuerit Libellus. Dubium est.

An liceat Parochis Glageoli, & Linarii explere Processionem Sanctissimi Corporis Christi die ejusdem Solemnitatis privativè quoad Archipresbyterum Rivaschi, & Plebanum Sancti Romani, seu potius hæc die dicta privativè spectet ad dictos Archipresbyterum, & Plebanum, aut saltem cumulativè in casu &c.

Dilata ad primam post aquas.

RECINETEN. SERVITII CHORI: Rebelli Recineto Joannes XXII Pontifex Maximus anno 1321 jura, nomenque Civitatis, Cathedramque Episcopalem ademit, eaque omnia transtulit in vicinum Oppidum Maceratæ, sed inde agnito a Populo Recinetensi errore suo anno 1357 Innocentius VI Pontifex Maximus Legato suo in Picena Provincia Cardinali æterni nominis Ægidio Albernozzio mandavit, ut pristinum decus, honoremque Recineto restitueret, ita tamen, ut idem Episcopus, & Recinetensi, & Maceratensi Ecclesiæ præesset. Rebus itaque compositis, Cardinalis Ægidius antiquam primamque in Cathedrali Ecclesia Recinetensi Divo Flaviano, Patrono etiam illius Civitatis dedicata, Archipresbyteratus Dignitatem in Præposituram convertit, tot assignatis annuis redditibus, quot duo Canonici quotannis perciperent, & novæ huic, primæque Dignitati non locum dumtaxat in Choro, sed jus quoque dedit Chorum ipsum in Divinis Officiis dirigendi, Canonicoque, si qui in Ecclesiæ servitio deficerent, corripiendi, quæ omnia ab Innocentio Pontifice Constitutione sua probata, & confirmata fuerunt. Hanc Præposituram triginta ab hinc annis obtinet Carolus Cento Floriuius, qui quoties in exercitio Officii sui Præfecti Choro ab Episcopis Recinetensibus turbatus fuit, toties præsidio Innocentianæ Bullæ jurisdictionem suam potuit defendere, obtinuitque in judiciis. Ipse tamen, qui Choro præest, longè minus, quàm cæteri Capitulares, Chori servitium præstat; servit enim Festis dumtaxat diebus: quam rem cum Capitulum non putasset ferendam, preces obtulit anno 1724 Sacro huic Tribunali, quibus postulabat, ut Præpositus, qui pingues redditus habebat, ad quotidianum servitium Ecclesiæ præstandum compelleretur. *Sess. 4. c. 12. de ref.*

Auditus, qui tunc Ecclesiæ illi præerat, Episcopus Gherardi secundum Præpositum respondit, ideoque *die* 19 *Sept. eodem anno* 1724

precibus rescriptum fuit -- *Præpositum non teneri, nisi ad interessentiam diebus Festis de præcepto.*Sed anno 1728 oblato a Canonicis libello jurium, quo æquivoca, in quæ irrepserat Episcopus Gherardi, dissolvebantur, auditoque novo Episcopo Muscettola, qui contra Præpositum respondit, Sacra hæc Congregatio jussit, ut Causa *poneretur in Folio*. Numquam tamen id factum fuit, & Præpositus ad Chorum Festis dumtaxat diebus accessit, immo ne accessit quidem, cum pluries absfuerit, munere præsertim suscepto Vicarii Generalis in Diœcesi Asculana: Donec, suscepta a Præposito lite de quotidiano servitio contra Archipresbyterum Clementem Politum, de qua in alia Causa *Recineten. Servitii Chori*, hic a Capitulo, & Canonicis excitatus, ut par pari referret, pugnam a Capitulo contra Præpositum intermissam instauravit solus, petiitque, ut impleretur rescriptum Sac. hujus Congregationis editum anno 1728. Tribus igitur Dubiis Causa omnis collecta fuit, disputante Archipresbytero teneri Præpositum tam ex Tridentini, quàm ex antiquiorum Canonum dispositione quotidie servire Ecclesiæ, cum juxta edictum ab Episcopo Gherardi latum anno 1711, quod ipse in alia Causa contra Archipresbyterum urgebat, pingues redditus habeat longè ultra summam in eodem edicto statutam iis, qui quotidianum servitium præstare debeant. Hinc omnia, quæ a Præposito excipi solent, dissolvit, reiicitque præsertim rationem illam, quod Præpositus nihil percipiat ex bonis Ecclesiæ, & Capituli Cathedralis, sed omnia sua secum tulerit ex Collegiatæ Ecclesiæ S. Viti, cujus Præpositura cum bonis suis anno 1577 translata fuerit in Præposituram Cathedralis unione perpetua. Longum esset omnes Archipresbyteri rationes excerpere, & *Folium* in volumen excresceret. A Præposito nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An Præpositus Ecclesiæ Cathedralis Recineti teneatur interesse Divinis Officiis in Choro unà cum cæteris Canonicis, & Dignitatibus quotidie; seu potius diebus tantùm Festivis, & de Præcepto?* Et quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An, & a qua die, & in qua summa teneatur solvere fallentias pro tempore præterito?*

III. *An, & quam summam teneatur deponere in casu, quo debeat interesse solis diebus Festivis, & de præcepto in casu &c.*

Dilata ad primam post proximam, reformato primo Dubio.

ALE-

ALERIEN. Novam Parochialem Ecclesiam a solo sua pecunia extruxit Populus Oppidi Lumii ea mente, ut in ea Canonicorum Collegium fundaretur, neque deerant qui dotes conferrent. Hoc populi illius Consilium cum Episcopo collatum, laudatumque ab eo fuit. Ubi verò illud rescivit Parochus Felix Judicellius irritum reddere statuit, curavitque, ut Jo: Dominicus Fabianus Sororis suæ filius, invenis adhuc, spretis legibus annariis, Sacerdos fieret; Romam inde venit, Parochiamque eidem resignavit. Discessus Parochi suspicionem Populo iniecit, qui curavit, ut impedimentum gratiæ obiiceretur. Bis in distinctis Officiis, appositum fuit *nihil transeat*: Frustra tamen, nam Literæ Apostolicæ expeditæ, & relaxatæ fuerunt. His munitus Lumium rediit Fabianus, adverso integro populo; qui eum Parochum agnoscere recusavit. Populum verò elusit Fabianus nacta possessione Parochiæ in veteri Ecclesia Parochiali, & remota, & fere deserta. Id ubi novit populus, magis excanduit: malum tamen consilium cœperunt Fabianus, & Judicellius rem armis experiendi: Domum igitur Parochialem invaserunt armatis hominibus stipati. Restitit armis populus, & vel igne, vel fame periissent avunculus, & nepos, nisi discessissent. Causa post varios circuitus, longasque moras, quas referre inutile est, ad judicium venit Eminentissimorum Patrum, & disputat populus ejiciendum esse Fabianum, qui plures habeat corporis, animique defectus, ut Parochianis omnibus invisus meritò sit, præsertim consideratis omnibus, quæ ab eo gesta sunt ante, & post adeptam Parochiam. Legent ea Eminentissimi Patres in libello populi. Serò nimis, & post hæc jam scripta datus nobis fuit a Fabiano Libellus, in quo post longam facti narrationem respondetur Populi difficultatibus: Juventutem non obstare, quia impetrata fuerit venia ætatis a Summo Pontifice; Cœcitatem non esse veram; Ignorantiam excludi ab examine coram Examinatoribus Urbis; Propositum denique fundandi Collegium Canonicorum in Ecclesia Parochiali non esse spectandum, quia ex epistola Aleriensis Episcopi liqueat tot redditus non adesse, quot sint ad erigendam Collegiatam necessarii. Hinc postulat Fabianus, ut nulla habeatur ratio odii Populi, quod excitatus sit a seditiosis, & odium sine causa sit, immo injungendum esse Episcopo, ut præviis Canonicis monitionibus ad fulminationem censurarum procedat, si Populus non resipiscat, utque ad omnes litis jam per duos annos actæ impensas sarciendas condemnetur. Hæc Fabianus. Dubium est. *Sess. 24. c. 18. de ref.*

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Dilata, & ad mentem firma remanente deputatione Vicarii a D. Secretario electi.

Die Sabbathi 20. Augusti 1757. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN ultima Amplissimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 30. transacti *mensis Julii* placuit Eminentissimis Patribus *dilationem* primis duabus, quas subjicimus, Causis concedere *ad hanc Congregationem*: Rogamus igitur, ut repetita lectione *Folii ejusdem Congregationis*, eas expediant.

Sess. 23. c. 1. & 14., & Sess. 24. c. 18. de ref.

BAREN., in qua definitis jam XIII. Dubiis quæritur nunc, *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Dilata ad primam post aquas, facta exhibitione interim librorum in partibus, vel præstita patientia pro extractione partitarum per Archipresbyterum.

Sess. 5. cap. 1. de ref.

SALERNITANA CANONICATUS, cujus Dubium est. *An sit locus Erectioni Canonicatus, & Præbendæ Theologalis in Ecclesia Collegiata Ebuli de Canonicatu in dicta Ecclesia vacato per obitum Francisci Morsa, seu potius sustineatur Electio Canonicatus, ut supra vacantis peracta in personam Clerici Januarii de Christophoro in casu &c.*

Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.

Sess. 24. c. 12. de ref.

RECINETEN. SERVITII CHORI SUPER REMISSORIA, ET COMPULSORIA. Proposita fuit hæc Causa in *Congregatione* habita *die* 9. transacti *mensis Julii*, & Archipresbytero Clemente Politi postulante Remissoriam, & Compulsoriam, ut probare posset veros redditus Beneficiorum, censuerunt Eminentissimi Patres non esse denegandas probationes, ideoque respon-

sponderunt: *Dilata*, *& concedendas esse literas compulsoriales*, *& remissoriales*. Præpositus tamen Centoflorinius, adito Eminentissimo Domino Cardinali Pro-Præfecto, obtinuit, ut hac de re *in hac Congregatione* iterum audiretur; Expediendum itaque est novum hoc Dubium incidens.

An sit standum, vel recedendum a decisis super concessione literarum compulsorialium, & remissorialium in casu &c.

In decisis non ommisso interim servitio quotidiano.

CAPUTAQUEN. Imperio Eminentissimorum Patrum hæc Causa proponitur, qui *in Congregatione* habita *die* 9. transacti mensis *Julii* eam in hac *Congregatione* proponi jusserunt. V. sunt ejus Dubia.

Sess.6. cap.5 Sess.7. cap.8. Sess. 21. c. 8. & Sess. 23. c.15. de ref.

I. *An Episcopus Caputaquen. exercere valeat omnimodam Jurisdictionem ordinariam in Locis Rhodii, & Sancti Mauri, seu potius talis Jurisdictio competat Bajulivo Sanctæ Euphemiæ?*

II. *An Vicarii Curati pro Ecclesiis Parochialibus Rhodii, & Sancti Mauri a Bajulivo præsentati examinari, & approbari debeant ab Episcopo.*

III. *An deputatio Œconomi provisionalis ad dictas Parochiales spectet ad Ordinarium?*

IV. *An ass. Vicarius Bajulivatus dare possit licentias confessiones audiendi in dictis Ecclesiis quibuscumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario.*

V. *An Administratio Sacramenti Confirmationis in Locis Rhodii, & Sancti Mauri privativè spectet ad Episcopum Caputaquensem in casu &c.*

Dilata ad primam post aquas.

Sess.24. c.4. de ref. matr.

FULGINATEN. MATRIMONII. Dedimus speciem omnem hujus Causæ in *Folio Congregationis* habitæ *die* 11. *Decembris* superiore *anno* 1756., quod publici juris factum fuit *Vol.XXV. Thes. Resol. S. Congr. fol.*90., sed dilationem postulante Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis, eaque indulta ab hoc S. Tribunali, Causa proposita fuit in *Congregatione* habita *die* 22. transacti *mensis Januarii*, Dubioque ejus, quod erat -- *An constet de impe-*

impedimento Canonico, seu potius sit locus celebrationi Matrimonii in casu &c. responderunt Eminentissimi Patres: *Ordinario, qui permittat publicationem proclamatum, & ad mentem*; Mens autem fuit ut *Episcopus efformet processum, & recipiat testes super impedimento, & transmittat Congregationi, & postea causa impedimenti decidetur*. Denunciatum fuit Matrimonium, & plures advenerunt testes, ex quibus de impedimento constare asserit Promotor Fiscalis; eos enim nobis non dedit. Legent eorum testificationes Amplissimi Patres *in Summ.* A Sponsis nihil habuimus. Idem Dubium reproponitur.

An constet de impedimento Canonico, seu potius sit locus celebrationi Matrimonii in casu &c.

Dilatá ad sequentem etiam unica.

Sess. 24. c. 18. de ref.

URGELLEN. Proposita tandem fuit post longas moras hæc Causa XXI. Dubiis instructa *in Congregatione* habita *die* 12. superioris mensis *Martii*, & Eminentissimi Patres singulis definitionem dederunt. Inter hæc erat XX. his verbis -- *An, qui, & quomodo teneatur more, & loco consuetis exorcizare tempestates?* -- responsum fuit: *Teneri Rectorem*; Displicuit hoc onus Rectori, petiitque adversus hanc definitionem *Audiri*, itaut respondendum nunc sit.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad XX. Dubium in casu &c.

Dilata ad primam post aquas.

Sess. 25. c. 3. de ref.

BALNEOREGIEN. CENSURARUM. In Cathedrali Ecclesia Balneoregiensi Chorus Canonicorum situs est retro Aram maximam, est a latere Evangelii Tronus Episcopalis, a latere epistolæ scamnum pro Ministris sacrorum, ut patet e charta topographica, quæ distribuitur. Immemorialis est consuetudo, ut Archidiaconus, qui prima Dignitas est, primam teneat Sedem, neque loco cedat Hebdomadario parato in Vesperis. Absente Leopoldo Boncompagni Archidiacono venit in mentem Episcopi, & Prioris Josephi Victorii omnia mutandi. Prior igitur, adito Episcopo, & narrans *nuper fuisse laudabiliter stabilium inter instantem, & Illustrissimum Episcopum, & resolutum etiam cum consensu, scientia, & voluntate nonnullorum dicti Capituli Canonicorum, quod liceret Canonico celebranti Hebdomadario primum*

mum locum , seu vulgo stallo occupare , ac cæteris præcedere Canonicis , etiamsi primæ , & secundæ Dignitatis essent , atque addens ita *summa quiete , & pacificè practicatum fuisse petiit , & instetit supradictum Canonicum Hebdomadarium celebrantem pro tempore utriusque massæ manutenendum esse in quieta , & pacifica possessione occupandi primum locum , seu stallum in Choro* . Audita hac postulatione , decrevit Episcopus *per modum provisionis , & sine præjudicio jurium ambarum partium servari ritum in præsenti de ordine Episcopi observatum , reservato jure cuicumque contradictori deducendi jura sua super meritis Causæ prout de jure , & intimari*: nulli verò facta fuit *Intimatio* .

Proximus erat dies Festus Divi Bonaventuræ Patroni Civitatis , reversusque Archidiaconus Boncompagni rogatus fuit , an cessurus fuisset loco Hebdomadario parato : respondit ille nihil acturum sine consensu Capituli . Id ubi rescivit Episcopus præcepit Archidiacono *sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrenda* , ut sedem suam vacuam relinqueret Hebdomadario , & in inferiorem descenderet . Archidiaconus abstinuit a Choro , inde habito cum Episcopo sermone rationes suas ei narravit , quibus auditis , Episcopus potestatem fecit Archidiacono , ut peteret præcepti revocationem : sed huic postulationi responsum fuit ut *citarentur omnes interesse habentes* . Archidiaconus igitur victa patientia appellavit ab eo præcepto ad Tribunal A.C. At Episcopus renovavit præceptum ; Archidiaconus purgationem attentatorum postulavit . Venit dies festus , & Archidiaconus Sedem suam tenuit : Egressus verò e Sacrario Canonicus Joseph Papinius , qui loco Canonici Mazzocchii Hebdomadarium gerebat , ut erat sacris vestibus indutus irrupit in Sedem Archidiaconalem , & stetit medius inter genuflexorium , & Archidiaconum angustissimo licèt loco , ut humeris suis pectus ventremque premeret Archidiaconi . Inceptis inde Vesperis , sedente in sua Sede Archidiacono sedit ipse super genibus Archidiaconi , repetiitque hunc jocum modo stans , modo sedens totis Vesperis , patientissimè injuriam ferente Archidiacono , eumque dumtaxat monente de censura celeberrimi *can. si quis suadente* , mirantibus audaciam hominis , & patientiam Archidiaconi , Canonicis , & Populo universo . Papinius licèt Urbs tota eum in censuras canonis incursum diceret , sacra tamen egit : mox actus conscientiæ stimulis , & metuens , ne impetraretur Canonicatus , quem tenet , preces obtulit Amplissimis Patribus , quibus petebat absolutionem a censuris , atque irregularitate .

Episcopus contra suspensum , atque irregularem censuit Archidiaconum , quod sua præcepta sprevisset , sed decreto supremi Tribunalis Signaturæ circumscripta fuerunt acta omnia Curiæ Episcopalis,& cognitio causæ de loco sedendi data fuit Sacræ Rituum Congregationi ; Causæ verò censurarum Sacro huic Tribunali . Datis igitur ad Episcopum pluribus epistolis , tandem post longas moras respondit , Causa nunc proponitur , & disputat Archidiaconus in dubium revocari non posse Canonicum Papinium decla-

declarandum esse incursum in excommunicationem latam a canone, & in irregularitatem, quòd sacra egerit excommunicatus. Explorati siquidem juris esse ad anathema incurrendum satis esse quamlibet incuriam, & contumeliam, quæ Ecclesiasticæ Personæ inferatur sive manibus, sive pedibus, sive toto corpore, quæ gravior etiam fit, spectatis circumstantiis loci, temporis, & adstantium, ut tradunt collecti a *Sperell. dec. Eccles.*20. *num.*28. *& dec.*45. *a num.*34. 55. *&* 69. Unde, cum Canonicus Papinius contumeliam intulerit Archidiacono premendo eum suis humeris in loco angustissimo, dum staret, & sedendo super ejus genibus, ut ita eum compelleret ad loco cedendum, ex qua contumelia, & contemptu magna illata fuerit Archidiacono verecundia, & ex circumstantiis loci, temporis, & personarum adstantium, Ecclesiæ nempe, Festi, & Capituli, ac Populi universi, qui erat in Ecclesia, aucta fuerit, & gravior reddita injuria, ambigi non possit eumdem Canonicum Papinium in censuras incurrisse. Hæc atque alia Archidiaconus: a Papinio nihil habuimus. Dubium est.

An Canonicus Joseph Papini sit declarandus incursus in censuras, & irregularitatem respectivè in casu &c.

Dilata ad primam post aquas etiam unica.

*Sess.*24. *c.*18. *de ref.* BENEVENTANA PAROCHIALIS: Indicto concursu ad vacantem Ecclesiam Archipresbyteralem Torrecusii duo præ cæteris ei nomen dederunt Sacerdotes Antonius Faenza exterus quidem, sed qui in eadem Ecclesia Œconomus fuerat, & Franciscus de Ambrosio Civis, ætate gravior, probatus secundo loco in alio concursu a Cardinali Cincio Archiepiscopo, & quem Clerus omnis, atque Universitas Torrecusii Parochum postulabant. Novem casus propositi fuerunt; cunctisque expletis dignior renunciatus fuit Antonius Faenza, reprobatus verò Franciscus de Ambrosio. Commovit hæc reprobatio Universitatem, quæ frustra licèt, obstitit tamen in Dataria expeditioni Bullarum, obtinuitque tantùm, ut agere posset in hoc Sacro Tribunali. Actis igitur concursus receptis, causa nunc proponitur duobus quidem Dubiis instructa, sed quorum primum, quod de nullitate est, inutiliter ab Antonio Faenza disputatur, cum in actis emissa fuerit renunciatio: Alterum verò partim ad Franciscum de Ambrosio, partim ad Universitatem Oppidi pertinet. Disputat Franciscus præelectionem Archiepiscopi non congruere rectæ rationi, dum reprobato Cive seniore, approbato in alio concursu, postulato a Populo, & Clero, concionatore, & a secretis Congregationis, quæ habetur de Theologia morali, & Ritibus, digniorem censuerit exterum, juniorem, Populo invisum, neque doctrina, quæ tamen ultimo loco spectanda est, præstantiorem,

cum

cum excussis solutionibus casuum propositorum, optimè Franciscus responderit, & si nono casu lapsus videatur, id evenisse ex sensuum defectu, quo captus fuit ex nimia rerum copia, & longitudine temporis, quam senex ferre non potuit.

Disputat Syndicus Universitatis Parochiam Antonio Faenzæ adjudicandam non esse, quia invisus sit Populo, & quidem ex factis, moribus, & criminibus Antonii, non ex malitia Populi. Contra Antonius validitatem concursus, inutiliter ut diximus, tuetur; Judicium Archiepiscopi notari non posse, cum digniorem Franciscum præeligere nequiret reprobatum ab Examinatoribus. Negat Franciscum de Ambrosio præstare qualitatibus, sed pares esse censendos, doctrina verò eum esse inferiorem: Civicam spernit qualitatem, ætatem graviorem, & munera Sacerdotii, & Confessarii longiori tempore a Francisco gesta: non licere Laicis a præelectione Episcoporum provocare, neque esse audiendum Syndicum, cum Populus Antonium odio non prosequatur, sed laudibus ob bene gestum Œconomi munus. Judicium erit EE. PP., ut duo, quæ diximus, Dubia definiantur.

I. *An constet de nullitate concursus in casu &c.*

II. *An constet de irrationabili præelectione Archiepiscopi, & cui sit adjudicanda Parochialis in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Negativè, & esse adjudicandam Parochialem Antonio Faenza, & amplius.

NEPESINA: Ad concursum indictum die 4. Decembris superiore anno 1756. pro vacanti Parochiali Ecclesia S. Laurentii Terræ Formelli quatuor venerunt, duo ejusdem Terræ Sacerdos Alexander Piordi, & Subdiaconus Antonius Ciavarrini: Duo exteri Sacerdos Joseph Cianfloni Diœceseos Sanctæ Severinæ, & Sacerdos Fabricius Paolangeli Diœceseos Barensis. Periculo facto in responsis ad casus propositos, & in conciuncula, solus ab Examinatoribus approbatus fuit Subdiaconus Antonius Ciavarrini, quod cum renunciatum fuerit Episcopo absenti, hic eumdem Subdiaconum præelegit *tamquam inter quatuor concurrentes magis idoneum, & ab Examinatoribus Synodalibus unicè approbatum*, ea tamen adjecta, conditione, dummodo veniam ætatis impetraret a Sacratissimo Principe nostro, erat enim annos natus viginti duos. Id ubi rescivit Sacerdos Paolangeli appellationem interposuit, cui adhæsit Sacerdos Piordi, itaut Causa triplici certamine agatur. Post recepta acta concursus, & Dubia subscripta, novas Sacro huic Tribunali preces obtulit Sacerdos Paolangeli, quibus querebatur de Episcopo Nepesino, quòd veniam Sacra agendi, & excipiendi Sacramentales Confessiones in sua Diœcesi ei denegasset. Auditus de his novis precibus Episco- *Sess.24. c.18. de ref.*

pus, cum Causam non aperuisset, adjunctum fuit Dubium novæ hujus litis Dubiis, quæ spectant ad concursum. Causa igitur universa nunc proponitur, & cum omnia ignoremus, quæ pertinent ad denegatam ab Episcopo veniam Sacerdoti Paolangeli agendi Sacra, & audiendi Confessiones, nihil est, quod de primo Dubio dicendum a nobis sit, sed expectandus erit libellus Promotoris Fiscalis.

Ad Dubia concursus quod attinet, disputat Sacerdos Paolangeli malè retulisse Examinatores Synodales, qui non poterant Ciavarrinum approbare, quòd jure incapax, & inhabilis esset ad curam animarum defectu ætatis præfinitæ *in cap. cum in cunctis 7. §. inferiora, de election.*, *& in Tridentino Sess.24. cap.12. de reform.*; itaut ne admitti quidem ad concursum debuisset, si vera est, sententia *Narbon. de ætat. annot. 25. quæst. 56. n.9. & Borgnin. Cavalcan. tom.2.decis. in Indic. V. Officialis*, quia in Beneficiis Curatis ætas legitima requeratur tempore concursus *Fagnan. in d. §. Inferiora. n.12. de Elect. Lara de Anniv.*, *& Cappellan. lib.2. cap. 9. Narbon. dicta quæst. 56. n.10.* Injustè verò reprobatum fuisse Fabritium Paolangeli, qui senior est J. U. Doctor, pluries in concursibus approbatus, Concionator, Confessarius, Ludimagister in ipsa Terra Formelli: Atque ex his satis evinci humani aliquid passum fuisse Episcopum, dum Ciavarrinum his omnibus qualitatibus destitutum præelegit, præsertim cum etiam in epistolis, quas ad hoc Sacrum Tribunal dedit in contradictiones inciderit. Hæc Sacerdos Paolangeli; neque a Promotore Fiscali, Curiæ Episcopalis Nepesinæ neque a Sacerdote Piordi, neque a Ciavarrino aliquid habuimus. Dubia sunt:

I. *An licentia celebrandi Missas, & audiendi Sacras Confessiones denegata R. Fabricio Paolangeli a Reverendissimo Episcopo Nepesino sustineatur in casu &c.*

II. *An constet de mala relatione Examinatorum?* & quatenus negativè.

III. *An constet de irrationabili Judicio Episcopi in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, & amplius. Ad II. Negativè, & amplius. Ad III. Negativè, & amplius.

Die

Die Sabbathi 17. Sept. 1757. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX quatuor primis, quas ſubiicimus, Cauſis priores duæ *in ultima* Ampliſſimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 20. tranſacti menſis *Auguſti* dilationem obtinuerunt ad hanc *Congregationem*. Duabus aliis indulta fuit dilatio ad hanc *Congregationem* (*reformato etiam primo Dubio* quartæ Cauſæ, prout reformatum fuit) *in Congregatione* habita *die* 30. ſuperioris menſis *Julii*. Rogamus igitur Eminentiſſimos Patres, ut ad earum Dubia præcidenda, earumdem *Congregationum Folia* iterum conſulant.

FULGINATEN. MATRIMONII, in qua quæritur. *Seſs.24. c.4. de ref. Matr.*
An conſtet de impedimento canonico, ſeu potius ſit locus celebrationi Matrimonii in caſu &c.

Scribatur Epiſcopo juxta mentem.

BALNEOREGIEN. CENSURARUM, cujus Dubium eſt. *Seſs.25. c.3. de ref.*
An Canonicus Joſeph Papini ſit declarandus incurſus in cenſuras, & irregularitatem reſpectivè in caſu &c.

Canonicus Joſeph Papini conſultat conſcientia ſua, & petita venia in publico Choro Archidiacono expleat exercitia ſpiritualia per quindecim dies in aliqua religioſa domo ab Epiſcopo deſignanda, qui S. Congregationem certioret de exequutione.

SASSINATEN. PROCESSIONUM, in qua quæritur. *Seſs.25. c.13. de Regular.*
An liceat Parochis Glageoli, & Linarii explere Proceſſionem Sanctiſſimi Corporis Christi die ejuſdem ſolemnitatis privativè quoad Archipresbyterum Rivoſchi, & Plebanum Sancti Romani, ſeu potius hæc die dicta privativè ſpectet ad dictos Archipresbyterum, & Plebanum, aut ſaltem cumulativè in caſu &c.

Dilata ad primam poſt aquas.

Sess.24. c.14. de ref.

RECINETEN. SERVITII CHORI, cujus III. sunt Dubia reformato I., ut obsequeremur Imperio Sacri hujus Tribunalis, quod ita censuit.

I. *An Præpositus Ecclesiæ Cathedralis Recineti teneatur interesse Divinis Officiis in Choro unà cum cæteris Canonicis, & Dignitatibus quotidie, seu potius diebus tantùm Festivis, & de Præcepto, itaut sit standum, vel recedendum a Decreto de anno* 1722.? Et quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An, & a qua die, & in qua summa teneatur solvere fallentias pro tempore præterito?*

III. *An, & quam summam teneatur deponere in casu, quo debeat interesse solis diebus Festivis, & de Præcepto in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam. Ad II. Affirmativè a die mota litis pro tertia parte reddituum. Ad III. Provisum in primo.

Sess.25. c.9. de Ref.

ALBINGANEN. LEGATORUM. Definita fuit hæc Causa in *Congregatione* habita *die* 21. superioris mensis *Maii*, Dubioque ejus, quod erat -- *An substineatur perpetuatio Cappellaniarum in casu &c.* responderunt Eminentissimi Patres -- *Affirmativè* -- sed reproposita in *Congregatione* habita *die* 9. transacti mensis *Julii*, & distractis in diversa Eminentissimorum Patrum suffragiis, responsum accepit -- *Dilata, & iterum proponatur*. Iterum igitur nunc proponitur, ut Dubium ejus expediri possit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.5. c.1. de Ref.

SALERNITANA CANONICATUS. Alteram in hac Causa *dilationem* petente Promotore Fiscali *in ultima Congregatione* habita *die* 20. transacti mensis *Augusti*, Eminentissimi Patres eam denegarunt, Dubioque quod erat -- *An sit locus erectioni Canonicatus, & Præbendæ Theologalis in Ecclesia Collegiata Ebuli de Canonicatu in dicta Ecclesia vacato per obitum Francisci Morra, seu potius substineatur electio Canonicatus, ut supra vacantis peracta in personam Clerici Januarii de Christophoro in casu &c.* -- responderunt -- *Negativè ad primam partem, & affirmativè ad secundam*. Reproponitur nunc, & respondendum est.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

FANEN.

Sess. 25. c. 13. de Ref.

FANEN. QUARTÆ FUNERALIS. Controversia orta est inter Parochos Civitatis Fani, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ ejusdem Civitatis, negante Capitulo quartam funerariam Parochis tradere ex candelis, quæ in Altaribus accenduntur. Parochi igitur ad hoc Sacrum Tribunal confugerunt, auditoque jam Episcopo Causa nunc proponitur, disputantibus Parochis rem dudum definitam fuisse Constitutione Optimi Principis Benedicti XIII. lata in Concilio Romano, cujus initium est -- *Romanus Pontifex*, & pluribus Sacri hujus Tribunalis Decretis: nec mutare duas Capituli exceptiones, quarum prima est in vetustissima consuetudine, altera in cessione facta Capitulo ab Episcopo Carboni anno 1165. *de oblationibus tam vivorum, quàm mortuorum, quæ in Episcopali Ecclesia offeruntur*, atque ab Episcopo Riccardo anno 1218. *de omnibus mortuariis, quæ ad se pertinerent, vel pertinere potuissent de Parochia*. Consuetudinem enim quamcumque Parochis inimicam sublatam fuisse ab eadem Benedictina Constitutione, atque ita responsum fuisse ab hoc Sacro Tribunali contra Patres Oratorii ejusdem Civitatis in *Fanen.* 14. *Decembris* 1754. Cessiones verò complecti mortuaria, quæ ad Episcopos cedentes pertinerent, non quæ ad Parochos, qualia sunt ex candelis, quæ in Altaribus accenduntur in funere. Hæc Parochi. A Capitulo nihil habuimus. Dubium est. *An quarta funeralis quando Cadavera aliarum Parochiarum in Cathedrali tumulantur, debeatur quoque ex candelis, quæ in Altaribus occasione funeris accenduntur in casu &c.*

Affirmativè, & amplius.

BOJANEN. Quatuor sunt in Civitate Campibassi Bojanensis Diœceseos Parochiales Ecclesiæ, quas inter Ecclesia S. Bartholomæi. In ea sunt Parochus, & quinque Participantes jure Civico. Horum munus est adjuvandi Parochum in administratione Sacramentorum, & functionibus Parochialibus, & de omnibus ejusdem Ecclesiæ redditibus cum eo participes sunt, ut plenius constat ex *Foliis Sacræ hujus Congregationis in Bojanen. Jurium Parochialium, & Præeminentiarum*, quæ publici juris facta fuerunt *in Vol.* 5. *Thesaur. Resolut. Sac. Congreg. pag.* 123. & 337. Inter onera, quæ habent, ultimum non est illud sacrorum, quæ ascendunt ad annuum numerum 1600. nulla habita ratione sacrorum incertorum, quæ *adventitia* vocantur. Certis his sacris, stipendium sacrificanti præstandum, taxatum fuit, vel ab ipsis Fundatoribus, & Testatoribus, vel ab Episcopis. Longo tamen usu receptum fuit, ut Parochi duplicem portionem acciperent non ex fructibus dumtaxat, & redditibus, qui vel in pecunia, vel in frumento consistunt, sed etiam ex stipendio sacro-

rum.

rum. Illicitum id visum est Participantibus, qui querelam detulerunt ad hoc Sacrum Tribunal, a quo auditus fuit, ut moris est, Episcopus, & nunc Causa Eminentissimis Patribus definienda proponitur.

Disputant Participantes quæstum, & compendium hoc, quod fit a Parocho, accipiendo duplicem portionem ex stipendio Sacrorum taxato, vel a Testatoribus, vel ab Episcopis illicitum omnino esse, ut pluribus rationibus probant *Pasqualig. de Sacrif. nov. Leg. tom.2. quæst.929. num.5. & seqq. Passerin. de stat. homin. quæst.187. artic.4. num.952.*, & ideo gravibus pœnis vetitum decreto Sacri hujus Tribunalis edito auctoritate Summi Pontificis Urbani VIII. apud *Tamburrin. de Jur. Abbat. disput.5. quæst.9. Gallemart. ad Concil. Trident. Sess.22. cap.8. n.1. Barbos. ad eumdem Concilii locum. num.5. & de offic. & potest. Episc. par.2. alleg.17. num.6.*, atque hanc ipsissimam quæstionem ita ab hoc Sacro Tribunali definitam fuisse in *dicta Bojanen. Jurium Parochialium, & Præeminentiarum ad Dubium XIII.*, quod erat -- *An ex fructibus, qui distribuuntur in Collegio S. Leonardi, & ex eleemosynis Missarum, quas Collegium, seu Capitulum accipit a Gubernatoribus Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti debeatur Archipresbytero portio duplex, vel sola portio æqualis, ac aliis de Collegio?* -- cui responsum fuit -- *Affirmativè ad primam partem, & negativè ad secundam, exceptis eleemosynis Missarum*, ut in eodem *Volum.V. Thes. Resol. Sac. Congreg. pag.346.* Frustra igitur a Parocho obiici centenariam consuetudinem confirmatam Capitulari statuto ejusdem Ecclesiæ condito anno 1715. jussu Concilii Provincialis, cum centenaria consuetudo non probetur, & si probaretur, sublata fuerit Pontificia auctoritate in eo Sacri hujus Tribunalis Decreto, quod supra memoravimus. Concilium Provinciale decrevisse quidem, ut in iis Ecclesiis, in quibus statuta non essent, conderentur, non verò, ut statuerentur illicita, & vetita, omnemque adimi difficultatem ex eodem Sacri Tribunalis decreto, in quo *statutis confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis* derogatur. Hæc Capitulares; a Parocho nihil habuimus. Duo sunt Causæ Capita.

I. *An Parocho S. Bartholomæi debeatur portio duplicata super Missis in casu &c.*

II. *An eidem Parocho debeatur eadem duplicata super Missis adventitiis in casu &c.*

Dilata ad primam post aquas.

MON

MONTIS ALTI VISITATIONIS: Carcer publicus Civitatis Montis Alti situs est sub Apostolico Palatio, quod habitat Præses Civitatis. In eodem carcere est Cappella, quam custodit, & necessariis omnibus instruit Sodalitium Sanctissimi Sacramenti, quod proximum habet Oratorium Divo Nicolao dedicatum. Cappellam carceris ab anno 1595. visitarunt semper Episcopi: At, qui nunc Civitati præest, reputans eamdem Cappellam ab Episcopali visitatione exemptam esse, quòd sita sit intra ambitum Palatii Apostolici, obstitit anno 1753., ne illam Episcopus visitaret. Re ad hoc Sacrum Tribunal delata a Promotore Fiscali, auditoque, ut fieri solet, Episcopo, Causa nunc proponitur, & disputat Promotor juris dispositionem favere Episcopo intra cujus Diœceseos fines sita est Cappella, idque etsi de possessione Episcopali non constaret *cap. cum persona §. fin. de privileg. in* 6. Quid igitur, cum de possessione visitandi per ferè duplicem centenariam constat? Teneri Præsidem vehementissimas exemptionis probationes edere, quæ vincant juris dispositionem, & vetustissimam possessionem, in qua sunt Episcopi: Exemptionem Cappellæ derivari non posse a personis, a quibus instruitur, & custoditur, neque a loco sui situs: non a personis, quæ licet sint laicæ, quales sunt Sodales Sanctissimi Sacramenti, Tridentina lege Visitationibus Episcoporum subiiciuntur: non a loco sui situs, nam, licèt sit sub Palatio Apostolico, non tamen summi Pontifices expresśè sibi reservarunt jurisdictionem in eo loco excludendo illam Episcoporum, sed generalem tantùm ei tribuerunt exemptionem, quæ non vetat Episcopis, ne visitationem expleant, ut ex *Textu in cap. ex parte de privileg. in* 6. tradunt *Gonzalez. ibidem lit. B. Fagnan. ad eamdem tit. Decretal. num.* 8. *&* 9. *Pignatell. consult.* 114. *n.* 12. *tom.* 1. *Ferrar. Biblioth. Canon. verb. Cappella num.* 39. Atque hanc ipsissimam quæstionem inter Præsidem Fulginii, & Episcopum hac ratione ab hoc Sacro Tribunali secundùm Episcopum definitam fuisse *die* 15. *Decembris* 1663. refert *Crispin. in visitat. Pastoral. par.* 2. §. 37. *sub n.* 3. Hæc atque alia Promotor. A Præside nihil habuimus. Dubium est. *Sess.* 22. *c.* 8. *de ref.*

An Cappella publicorum carcerum Civitatis Montis Alti posita subtus Palatium Apostolicum Præsidis sit subjecta jurisdictioni, & visitationi Episcopi ejusdem Civitatis in casu &c.

Dilata ad primam post aquas.

Die

Die Sabbathi 19. Nov. 1757. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

SEx, quas priore loco damus, Cauſas Eminentiſſimi Patres in hac *Congregatione* habita *die* 17. menſis *Septembris*: reliquas tres in *Congregatione* habita *die* 20. menſis *Auguſti*: Obſequimur itaque eorum imperio rogantes, ut earumdem *Congregationum Folia* iterum legant ad Dubia ſingularum Cauſarum expedienda.

Seſſ. 25. c. 13. de reg. SARSINATEN. PROCESSIONUM, in qua quæritur.
An liceat Parochis Glageoli, & Linarii explere Proceſſionem Sanctiſſimi Corporis Chriſti die ejuſdem Solemnitatis privativè quoad Archipresbyterum Rivoſchi, & Plebanum Sancti Romani, ſeu potius hæc die dicta privativè ſpectet ad dictos Archipresbyterum, & Plebanum, aut ſaltem cumulativè in caſu &c

Dilata ad primam poſt proximam.

Seſſ. 22. Decret. de obſer. & evit. in celebr. Miſſ. BOJANEN., cujus duo ſunt Dubia:
I. *An Parocho S. Bartholomæi debeatur portio duplicata ſuper Miſſis in caſu &c.*
II. *An eidem Parocho debeatur eadem duplicata ſuper Miſſis adventitiis in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè in caſu de quo agitur. Ad II. Negativè, & amplius in omnibus.

Seſſ. 22. c. 8. de ref. MONTIS ALTI VISITATIONIS, cujus Dubium eſt.
An Cappella publicorum Carcerum Civitatis Montis Alti poſita ſubtus Palatium Apoſtolicum Præſidis ſit ſubjecta Juriſdictioni, & Viſitationi Epiſcopi ejuſdem Civitatis in caſu &c.

Affirmativè.

BA-

BAREN., in qua, definitis jam XIII. Dubiis, quæritur nunc, *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.* *Sess.23. c.13. & 14. & sess. 24. cap. 18. de ref.*

Dilata ad sequentem.

CAPUTAQUEN., cujus V. sunt Capita. *Sess.6.c.5. Sess.7. cap.8. Sess.21. c.8. & Sess. 23. c.15. de ref.*

I. *An Episcopus Caputaquen. exercere valeat omnimodam jurisdictionem ordinariam in Locis Rhodii, & Sancti Mauri, seu potius talis jurisdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ?*

II. *An Vicarii Curati pro Ecclesiis Parochialibus Rhodii, & Sancti Mauri a Bajulivo præsentati examinari, & approbari debeant ab Episcopo?*

III. *An deputatio Œconomi provisionalis ad dictas Parochiales spectet ad Ordinarium?*

IV. *An assertus Vicarius Bajulivatus dare possit licentias Confessiones audiendi in dictis Ecclesiis quibuscumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario?*

V. *An Administratio Sacramenti Confirmationis in Locis Rhodii, & Sancti Mauri privativè spectet ad Episcopum Caputaquensem in casu &c.*

Dilata, & fiat extractio documentorum citata parte.

URGELLEN., in qua, definitis dudum XX. Dubiis, respondendum nunc est. *Sess.24.c.18. de Ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata.

HORTANA BENEFICII, SEU CAPPELLANIÆ. Species omnis hujus Causæ habetur in *Folio Congregationis* habitæ *die* 30. superioris mensis *Aprilis*: Proposita quidem fuit ea die, sed Eminentissimi Patres responderunt -- *Dilata, & scribatur Episcopo pro informatione, & voto auditis interesse habentibus.* *Sess.25.c.9. de Ref.*

Reproponitur nunc, audito jam Episcopo, & Eminentissimi Patres, repetita lectione *folii ejusdem Congregationis*, idem Dubium expedire poterunt.

An Literæ Apostolicæ sint exequendæ, seu potius unio substineatur in casu &c.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Sess.24. c.12. de ref.& sess. 25.cap.13. de Reg.

NULLIUS MONTIS CASINI: Synodus coacta anno 1592. ab Abbate Montis Casini constituit, ut universus Dioeceseos illius Clerus quotannis die Festo S. Benedicti, aut Dedicationis Ecclesiæ Montis Casini, accederet ad obedientiam Canonicam, seu manus osculum, Abbati præstandam; qui non accederet interdictus esset, suspensusque a Divinis. Rem exequutione difficilem ob locorum distantiam prætermiserunt posteriores Synodi habitæ annis 1626., & 1652. Neque tamen cessarunt Abbates eam jubere, propositis sæpius edictis, indictisque poenis etiam pecuniariis in recusantes. Indictum quoque ab iisdem Synodis fuit Clericis omnibus, & simplicibus Sacerdotibus servitium Choro, Festis diebus omnibus, quod inde ad mobilia, aliaque solemniora restrictum fuit, in majoribus cujusque Loci Ecclesiis, & præsertim in Collegiata Ecclesia Sancti Germani. Hujus quoque Civitatis simplicibus Sacerdotibus imperatum, ut die dedicationis Ecclesiæ Montis Casini servitium Ecclesiæ illi præstarent, utque pompis, seu processionibus publicis interessent. Ne verò quis ignorata sibi hæc diceret, edicta plurima proposita fuerunt, poena adjecta. Commoverunt hæc onera animum plurium Sacerdotum Sancti Romani, qui ad hoc Sacrum Tribunal confugerunt, auditoque jam Abbate, Montis Casini, Causa nunc propouitur.

Disputant itaque, Sacerdotes simplices neque officium, neque Beneficium obtinentes cogi non posse ad servitium præstandum sive Cathedrali, sive Collegiatæ Ecclesiæ, atque id definitum fuisse pluribus Sacri hujus Tribunalis decretis apud *Monacell. in formul. tom.*1.*form.*4. *num.*32. *& seq.*, quod eo amplius servandum sit ratione Ecclesiæ Montis Casini, quæ distat a Civitate S. Germani tribus passuum millibus via aspera, & montana: His consequens esse, ut, qui servitium præstare recusant, multari non possint, solutasque multas restituendas esse ab Abbate. Ita quoque pluries definitum fuisse simplices Sacerdotes cogi non posse, ut ad pompas sive processiones publicas intersint, testibus *Sellio in select. Canon. cap.*52. *num.*32., *& Riccio in Prax. Rer. Eccles. Resolut.*308., *in aliis editionibus decis.*362.; Teneri demum Clericos, & Sacerdotes omnes Canonicam obedientiam Episcopo præstare osculo manus, sed in actu Visitationis, non verò, ut possit Episcopus ad id evocare Clericos, & Sacerdotes e suis

e suis sedibus, eosque ad accedendum, ubi sit compellere; ut explicant *Archidiac. in cap. Romana num.* 1. *Verbo de Pluribus in VI. Fagnan. in cap. Procurationes num.* 20. *de censib.*, & *Pax Jordan. Lucubrat. Canonic. lib.* 7. *tit.* 18 *num.* 14. Hæc atque alia Sacerdotes. Ab Abbate nihil habuimus. Quatuor sunt Causæ Dubia.

I. *An simplices Presbyteri cogi possint ad assistendum, & inserviendum Ecclesiæ insignis Collegiatæ Sancti Germani in Festis mobilibus, aliisque Solemnioribus Festivitatibus, ac in toto Octavario Corporis Christi, & per totam hebdomadam majorem, itemque Ecclesiæ Montis Casini in die anniversariæ Dedicationis ejusdem Ecclesiæ, quando habetur Pontificale sub pœna carolenorum duorum ad formam Decreti Visitationis, & Edictorum in casu &c.* Et quatenus negativè.

II. *An sit locus restitutioni pœnarum jam exactarum in casu &c.*

III. *An iidem Presbyteri compelli possint ad interveniendum publicis processionibus sub prædicta pœna ad tramites ejusdem Decreti, & Edictorum in casu &c.*

IV. *An Presbyteri dictæ Civitatis Sancti Germani compelli possint ad accedendum quotannis ad Cœnobium Montis Casini pro obedientia Abbati præstanda sub pœna interdicti, vel pecuniaria juxta formam Edictorum, & Decretorum in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative. Ad III. Affirmative, & amplius. Ad IV. Affirmative moderata tamen pœna ad duos Carolenos tantum.

NOLANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM: Aversum animum a regularibus institutis aperte ostendit Maria Antonia Cappella ab undecimo suæ ætatis anno, cum a Parentibus suis collocata fuit in Monasterio Sancti Spiritus Civitatis Aversæ suæ Patriæ; Respondit enim *di non volerci andare, perche non voleva farsi Monaca*. Post quadriennium cnm mater eam ad Monasticam vitam amplectendam sollicitaret, simulavit astute hanc esse suam voluntatem, ut e Monasterio egrederetur: Egressa palam dixit: *Non voglio più entrare in Monasterio*. Caute igitur a Parentibus domi custodita fuit, ut solum diebus festis ad Sacrum audiendum pedem porta efferret. Post sexdecim menses hoc vitæ genere pertesa auscultare cæpit matrem suadentem, ut aliud Monasterium ingrederetur: habito a filia consensu fallaciam pararunt Parentes: Summam enim Nolanæ Diœceseos Civitatem eam traduxerunt in Monasterio S. Mariæ de Carmelo specie educationis, re tamen vera, ut Monasticas vestes susciperet. Monasterii Templum ingressa, ut sacrum audiret in la- *Sess.25.c.19. de reg.*

 cry-

crymas effusa est, rogata vero a matrona, quæ eam comitabatur, cur ploraret, respondit, quia nolebat *entrare in Monastero, e che sua Madre ce la portava a forza*: audiit Mater, & ad filiam conversa ait: *Figlia non mi svergognare questa mattina*. Audito sacro priusquam ad Monasterium accederet, Sacerdos quidam folium ei obtulit, ut illud subscriberet, cui dixit: *Io posso uscir di nuovo, perche con questo fine io v' entro*. Ducta inde ad fores Monasterii, & a Monialibus excepta, illico religiosis Ordinis vestibus induta fuit, & stupenti similis inquit: *Che vuol dir questo? entro per educanda, & ora mi volete mettere l' abito da Monaca*; mox agnita fraude, iraque æstuans in matrem, ait: *mi avete ingannata, perche mi avete detta una cosa, e n' hò ritrovata un altra*. Sermonem avertente matre, alia verba addidit furens, & terga vertit, discedente matre, quæ Aversam rediit.

Rem omnem Puella detulit ad Confessarium, qui nova deceptione, fallaciaque utens suasit, ut tyrocinium inciperet, nam Professionis tempore ipse eam abducturus fuisset a Monasterio. Hac spe tyrocinium incæpit, sed & Magistræ, & Monialibus perpetuum hoc carmen occinuit deceptam fuisse, & nolle Monialem esse, & desperatione ducta, necem sibi ipsi consciviffet, nisi præpedita fuisset a Monialibus. Advento Professionis tempore, omnem movit lapidem, ut Confessarium illum, qui fidem dederat eam a Monasterio abducendi reperiret, sed frustra. Rogata a Vicario generali sponte, ne, an coacta profiteretur, respondit *che debbo fare*? Cum Professionis verba dicere deberet, lacrymis se dedit, & ploratui rogans Moniales, ut ipsæ ea dicerent. Post dictam ab alia Moniali Professionem recta perrexit ad Confessarium, eique rem omnem aperuit, protestans de nullitate. Id ipsum egit cum Monialibus negans emisisse Professionem, quæsta semper de vi, & dolo, Ordinis regulis perpetuo inobediens, & officia recusans: Vario quoque a Monialibus modo incessit induta, & ferro sibi mortem iterum intulisset, nisi detenta fuisset. Turbæ erant in eo Monasterio perpetuæ, ita ut prudens quidam Confessarius datus pro explendis spiritualibus exercitiis discesserit ante tempus. Antequam laberetur quinquennium, querelam nullitatis obtulit Nolano Episcopo, qui alios duos Regulares misit ad Monasterium, ut eam ad rati habendam Professionem hortarentur, sed neuter quicquam profecit. Territa inde novis minis a patre, & fratre paullum quievit; demum preces obtulit Sacratissimo Principi nostro, a quo totius Causæ cognitio Amplissimis Patribus data fuit. Ab hoc Sacro Tribunali mandata fuit Episcopo Nolano jurisdictio conficiendi processum, in quo sunt testificationes plures Monialium, Confessariorum, aliorumque, atque ipsius Monialis Mariæ Antoniæ examen, e quibus ea excepimus, quæ hactenus narravimus.

Episcopus refert *Sacerdotem Prosperum Cappellam ejusdem Monialis germanum fratrem ad exonerationem suæ conscientiæ extrajudicialiter sibi fassum fuisse antedictam ejus sororem non voluntarie, & pro-*

propria deliberatione, sed coacte a genitoribus Monasterium palam, & aperte recusantem reluctantemque ingressam fuisse, Professionemque successivè emisisse. Ipse concludit, *quantum animo comprehendere possum Monialis petitionem aequa, atque justam mihi videri*. Causa nunc proponitur, & disputat Maria Antonia ex facto constare de defectu voluntatis suæ ingrediendi Monasterium, & emittendi Professionem; Hanc verò nullam esse, quia dicta non fuit ab eadem Maria Antonia, sed ab alia Moniali, idque, licèt ipsa præsens esset, cum mandatum procuræ non præsumatur, ut distinguendo casum absentiæ tradunt *Pyringh. in jus Canon. lib.3. tit.31. sect.2. §.2. n.100. Bossins de Matrim. cap.3. §.53. num.255. Sanchez ad Præcept. Decalog. lib.5. cap.3. num.8. & de Matrim. lib.2. disput.11. n.2. Pellizar. in Manual. Regul. tom.1. tract.3. cap.1. num.29. Passarin. de statu homin. tom.3. quæst.189. num.256.* Longum esset omnia, quæ in libello Mariæ Antoniæ sunt, excerpere; legent ea Eminentissimi Patres. Neque a Monasterio, neque a *Defensore Professionis* quicquam habuimus. Dubium est.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Affirmative.

Die Sabbathi 3. Dec. 1757. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

Seſs. 25. c. 19. de Regul.

PASSAVIEN. PROFESSIONIS. Data fuit hæc Cauſa in *Folio Congregationis* habitæ *die* 18. ſuperioris menſis *Junii*, ſed P. Æmilianus Gerlinks *dilationem* poſtulavit, & ab Eminentiſſimis Patribus obtinuit: Nunc igitur, poſtulante Patre Abbate, iterum proponitur, & repetita lectione *Folii illius Congregationis* expediendum erit Dubium.

An conſtet de validitate, vel invaliditate profeſſionis in caſu &c.

Non conſtare de validitate Profeſſionis.

Seſs. 23. c. 18. de ref.

POTENTINA BENEFICII. Poſtquam Cauſa hæc, quæ agitur inter Canonicum Januarium Cominellium, & Collegium ſive Seminarium Civitatis Potentinæ definita fuit in *Congregatione* habita *die* 12. *menſis Maii anno* 1753., Dubio ejus, quod erat: *An ſit relaxanda ſupplicatio in caſu &c.* reſpondentibus Eminentiſſimis Patribus -- *Negativè* -- Canonicus Cominellius ad novum venit Judicium, & in *Congregatione* habita *die* 15. *Decembris* eodem *anno* 1753. propoſito Dubio -- *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.* Eminentiſſimi Patres reſponderunt -- *Dilata, & extrahantur partitæ ex libris Seminarii, & firmetur ſtatus Beneficiorum, quæ taxæ ſubjacent, citatis intereſſe habentibus.* Omnibus igitur impletis, Cauſa iterum propoſita fuit in Congregatione habita *die* 9. *ſuperioris menſis Julii*, ſed tamen definita non fuit, reſcribentibus Eminentiſſimis Patribus -- *Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem, & tranſmittat acta, quæ præceſſerunt unionem.* Reſpondit Epiſcopus, atque acta tranſmiſit, ideoque Cauſa nunc, & idem ejus Dubium reproponitur.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

BA-

BAREN. In ultima Amplissimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 19. transacti mensis Eminentissimi Patres Archipresbytero Terræ Nojæ dilationem indulserunt *ad hanc Congregationem*. Obsequentes igitur eorum imperio Causam hanc damus, ut XIII. ejus Dubia, quæ dudum definita fuerunt, expediri possint Dubio, quod sequitur. *Sess.23. c.15. & 14., & Sess.24. c.18. de ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Ad I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. XI. & XII. In decisis, & amplius in omnibus. Ad X. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad XIII. Constare de attentatis, & purganda esse per viam nullitatis, & amplius.

CAPUANA, SEU CALVEN. MATRIMONII. Data fuit hæc Causa *in Folio Congregationis* habitæ *die* 9. superioris *mensis Julii*, sed definita non fuit, respondentibus Eminentissimis Patribus -- *Dilata, & exhibeantur acta Curiæ laicalis*. Redit nunc Borellius ad Eminentissimos Patres, exequi non posse dicens eorum jussa, quòd in actis Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis Processus non reperiatur, ideoque postulat idem Dubium definiri. *Sess.24. c.9. de ref. Matr.*

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Affirmative.

URBANIEN., SEU VADEN. ROGITUUM. Species omnis hujus, & quæ hanc sequitur, Causæ habetur in *Folio Congregationis* habitæ *die* 4. *Maii* 1754., quod publici juris factum fuit in *Volum.XXIII. Thesaur. Resolut. Sacr. Congreg. pag.*37. *& seq.* Neutra tamen ea die definita fuit, rescribentibus Eminentissimis Patribus -- *Dilata, & ad mentem*. Iterum utrasque dedimus in *Folio Congregationis* habitæ *die* 22. *Junii eodem anno*, sed propositæ non fuerunt. Hac lite pendente, Cancellarius Curiæ Ecclesiasticæ Civitatis Sancti Angeli in Vado, quæ Concathedralis est cum Urbania, eadem sibi jura asseruit, quæ sibi asserebat Cancellarius Curiæ Ecclesiasticæ Urbaniensis, quod cum Vadensibus Civibus perniciosum sit, Communitas Vadensis statuit eamdem prosequi litem, quam Urbaniensis Communitas incæperat, quod eædem sint utriusque Communitatis rationes. Eadem itaque Dubia proponuntur. *Sess.22. c.10. de ref.*

I. *An, & in quibus casibus constet de privativa Notarii, & Cancellarii Curiæ Episcopalis Urbaniæ rogandi omnes actus inter vivos, & ultimæ voluntatis tam Ecclesiasticorum, quam Locorum Piorum in casu &c.*

An

II. *An constet de exemptione Cancellarii Episcopalis Urbaniæ tam a Taxa Archivi, quàm ab asportatione Exemplarium Rogituum ad idem Archivum Communitatis Urbaniæ in casu &c.*

Non proposita.

Sess. 22. c. 10. de Ref.

URBANIEN. ; SEU VADEN. ; cujus duo pariter Dubia sunt.

I. *An juxta solitum quietantiæ, & extinctiones obligationum rogari deinde debeant per eadem acta, per quæ fuit rogata obligatio in casu &c.*

II. *An, & quæ protocolla instrumentorum post obitum Cancellariorum, & Notariorum quorumcumque Urbanien. deferri debeant ad Archivum publicum Communitatis Urbaniæ in casu &c.*

Non proposita.

Sess. 5. c. 2. de Ref.

NERITONEN. Qui nunc Ecclesiæ Neritonensi præest Episcopus edictum tulit, ut quicumque Sacerdos in Ecclesia Parochiali primum sacrum acturus esset, vel primum, & secundum in aliis Ecclesiis, & Cappellis sive intra Civitatem, sive in sexdecim Terris, & Oppidis, quibus constat universa Diœcesis, teneretur post primum Evangelium docere Populum Doctrinam Christianam juxta methodum ab ipso scriptam *in folio*, quod publicis formis impressum Ecclesiis omnibus distributum fuit: si quis secus faceret, declarabatur suspensus per tres dies; Folium autem illud ita custodiri jussit, ut si quacumque de causa, etiam fortuita, periret, Ecclesia interdicta esset, donec novum reponeretur. Ab hoc edicto appellarunt ad Tribunal A. C. Capitulum, & Clerus Neritonensis, & Terræ Matini, sententiamque tulit A. C. qua illud revocavit, solumque ex consilio non ex præcepto servari posse censuit in Ecclesiis, & Cappellis *Ruralibus*. At Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis, adito Eminentissimo Pro-Auditore Sanctissimi obtinuit, ut hujus rei cognitio Sacri hujus Tribunalis esset *ex integro suspensis censuris*. Nunc igitur proponitur Causa, & disputat Promotor eam fuisse, atque esse Populi, & præsertim agrestis ignorationem ipsorum rudimentorum fidei, ut necesse fuerit extraordinario hoc uti remedio, ne salus animarum detrimentum caperet æternum

Pa-

Parochorum quidem hoc esse munus docendi Christianam Doctrinam; at cum agrestes Parochialem non adeant Ecclesiam, sed rurales Cappellas, alia ratione necessitati animarum consuli non potuisse, cum ne simplices quidem Sacerdotes ab hoc onere docendi sint immunes, ut docuit SACRATISSIMUS PRINCEPS NOSTER. Levissimam esse pœnam suspensionis per tres dies, cum pecuniaria infligi nequeat. Interdictum Ecclesiarum, quibus pereat folium, paucarum horarum esse, donec ab Urbe repetatur, numquam locum habiturum. Contra verò Capitula, & Clerus negant eam, quam Promotor Fiscalis asserit, Populorum ignorantiam, & si vera esset, non congruere rationi, ut quia Populus indoctus est, onere pœnali, graventur Sacerdotes, quibus cura animarum non est: Onus hoc Parochorum esse, cæteros Sacerdotes hortandos esse, non cogendos pœnis, ut pluries ab hoc Sacro Tribunali definitum fuit. Aliis rationibus necessitati salutis æternæ indoctorum agrestium consuli posse: Iniquum esse, ut etiam de casu fortuito amissi folii teneri debeant Ecclesiæ, quibus nulla imminet cura animarum: illud verò longe magis contra tenorem rationis esse, quod puniantur interdicto, pœna omnium gravissima. Hæc disputant Promotor, & Clerus. Pertinet nunc ad Eminentissimos Patres duo, quæ sequuntur, Dubia expedire.

I. *An substineatur edictum in ea parte, qua Sacerdotibus non habentibus curam animarum imponitur onus docendi Doctrinam Christianam sub pœna suspensionis in casu &c.*

II. *An substineatur pœna interdicti in eodem Edicto inflicta adversus Ecclesias, in quibus contigerit deficere Formularium Doctrinæ Christianæ in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta modum explicandum Episcopo. Ad II. Negative.

CIVITATIS CASTELLANÆ MATRIMONII CLANDESTINI, ET ATTENTATORUM. Mutuas futurarum Nuptiarum repromissiones in apocha scripserunt Baptista Rosana Zivillia, & Jo: Bernardinus Carosius; Accessit inde consensus Matris Puellæ, cujus consilio eam nubere voluit Pater in Testamento. Dum Nuptias parabat absens a Civitate Carosius, Puellæ quæ in Monasterio S. Claræ erat, voluntatem mutare aggressæ sunt Moniales consanguineæ Francisci Ciotti, & ipsius Puellæ Avunculi. Veniebant a dote sagittæ, quibus Ciottus percitus fuerat: omnem igitur movit lapidem ut Baptistam averteret a pactis, Nuptiis, tantumque Monialium, & Avunculorum ope, operaque profecit, ut infida Puella sacramentum, quo sponsalia muniverat, fidemque Carosio datam fallens, nova sponsalia cum Ciotto

Sess.24. c.5. de ref. Matr.

Ciotto contraxerit. Id ubi rescivit Carosius, circumventam noscens, & a Consanguineis, & a Monialibus Puellam, neque liberé posse voluntatem suam pandere, petiit, ut in aliud Monasterium traduceretur, in quo voluntas ejus explorari posset, & ipsa eam dicere valeret, ut decebat, libere. Decretum fuit, ut traduceretur in Monasterium Civitatis Nepetis impensis Carosii, qui pecunias intra præfinitum tempus deponeret. Ab hoc Decreto Ciottus, & Zivillia Sacrum Tribunal adire voluerunt, sed Eminentissimi Patres, agnita Decreti justitia, illud servari jusserunt. At Ciottus, & Avunculæ, & fortasse etiam Moniales, conspiratione facta, prudens Eminentissimorum Patrum judicium, & Sacri hujus Tribunalis majestatem, & jus Carosio quæsitum eluserunt ausu temerario: nam postride a Decreto, composita fallacia novæ vestis, accessit pomeridianis horis ad Monasterium sarcinator; erat ad Monasterii Januam amita Ciotti, & advocata sarcinatoris causa Baptista, hæc dum sarcinator mensuram accipit, aut accipere fingit, Monasterio egreditur, & Comite amita Ciotti rectà perrexit per mediam Civitatem ad Cathedralem, & Parochialem Ecclesiam.

Expectabat in Ecclesia Ciottus, aderant testes, nec defuit Parochus, qui licèt in suo examine rem subitam fingat, non tamen fugit, non occlusit aures, non clamavit, non objurgavit clandestinam desponsationem attentantes, sed ut alii testes præsentes referunt, egressus e sacrario lineo amictu, & stola indutus pręsentiam suam solemnibus verbis, quibus Ciottus, & Zivillia matrimonium contraxerunt, pręstitit composito vultu, animoque placidissimo, tanta contrahentium securitate, ut non fugerint e Civitate, neque sese in locum tutum receperint, sed per mediam Urbem, frequentemque Populum in Domum viri deducta fuerit nova nupta, eâque sine mora compresśâ, dulciaria, & bellaria e fenestris dejecta fuerint, donataque Populo, silente interim Episcopali Curia, quæ excita demum scandalo Urbis universæ præcipitem fecit Processum auditis dumtaxat Ciotto, Parocho, & testibus, & celerem inde tulit sententiam, qua validum pronunciavit matrimonium, & contrahentes damnavit ad solvenda scut. 100. Carosius deceptus ad Asylum Sacri hujus Tribunalis confugit, postulans criminosum purgari attentatum, & condemnari Ciottum, Zivilliamque ad expensas omnes, & damna sarcienda causa nunc proponitur, & differit Carosius de attentatis dubitandum non esse cum de inhibitione constet ex Decretis Sacri hujus Tribunalis, quibus traducenda erat puella in Monasterium Nepetis, pœnam arbitrio Eminentissimorum Patrum, quorum majestas contempta fuit, & ludibrio habita, statuendam esse; disputat autem ab ea immunes esse non debere Avunculos Baptistæ, Amitam Ciotti, Moniales & præsertim Abbatissam, & Hostiariam, Parochū & testes: De impensis, damnisque sarciendis nullam esse posse dubitationem; Impensas autem postulat tam judiciales, quàm extrajudiciales ob criminosum attentatum, dolumque contrahen-

hentium. Hæc Carosius, a coniugibus nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An constet de Attentatis in casu &c.*

II. *An & ad quas expensas, & damna sint condemnandi Franciscus Ciotti, & Baptista Rosana Zivilli in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative ad effectum reficiendi expensas tam judiciales, quam extrajudiciales taxandas a Domino Secretario.

AMERINA FUNCTIONUM: Consuetudo est immemorialis in Amerina Diœcesi, ut Rectores sive Cappellani Ecclesiarum Ruralium, irrequisitis Parochis, benedicant in recursu annuo Festorum dierum *Candelis*, *Palmis*, seu Olivis, & *Ovis*. Hanc consuetudinem servans Sacerdos Dominicus Riccetti Rector Ruralis, & Patronatæ Ecclesiæ S. Laurentii, primus contradictorem habuit Parochum Montis Lampani, qui, adito Episcopo Amerino, eum accusavit de turbata jurisdictione Parochiali. Episcopus putans has benedictiones ad Jus Parochiale pertinere, & Rectori præcepit, ut abstineret, & ipsi injunxit *sub suspensionis ipso facto incurrendæ interminatione*, ut per octiduum *spiritualibus exercitiis* vacaret. Adiit Rector ab his præceptis Sacrum Rituum Congregationem, a qua etiam postulavit, impetravitque, ut ab Episcopo absolveretur ad tres menses cum reincidentia, sed data inde causæ cognitione sacro huic Tribunali, novam obtinuit prorogationem ad alios quatuor menses. Episcopus in sua ad sacram rituum Congregationem Epistola negavit indixisse *spiritualia exercitia* sub pœna suspensionis *ob prætensum attentatum* benedicendi Candelis, Palmis, & Ovis, *sed ob alias dissimiles causas* sibi notas, & sacræ Congregationi *minimè pandendas*. Inde, absoluto Rectore declaravit pœnam suspensionis non esse intelligendam *latæ*, *sed ferendæ sententiæ*. Causa nunc proponitur quatuor collecta capitibus, & disputat Rector centies definitum fuisse a sacris Urbis Congregationibus eas functiones non esse Parochiales, sed simpliciter Ecclesiasticas, & Sacerdotales, ideoque nullum sibi posse Parochum asserere in iis Jus privativum, neque præpedire posse, ne fiant a Rectoribus Ecclesiarum, præsertim accedente immemorali Diœceseos consuetudine; Quòd si secus aliquando definitum fuit, id factum fuisse *in casibus particularibus*, in quibus pacto expresso conventum fuerat in erectione Ecclesiarum, ne hæ functiones a Rectoribus exerceri possent: quod cum desit in hac specie Rectorem præpediri non posse, ut eas expleat etiam prævio Tinnuli æris sonitu.

Hinc pœnam suspensionis non substineri disputat Rector, cum rem licitam fecerit, neque Jus Parochiale, ut Episcopus putabat, turbaverit; spernendam esse declarationem ejus cum contraria sit facto absolutionis; spernendam esse excusationem *propter alias*

causas

causas sibi notas indicta fuisse *Exercitia Spiritualia*. Causas enim alias excludit probitas vitæ, & morum Rectoris, neque licet Episcopis *ex informata conscientia*, & non reddita causa pœnas infligere: sibi quoque licitum esse Rector disputat sacrum diebus Festis agere in sua Ecclesia ante Parochialem ob longam inter utrasque Ecclesias distantiam, & sacrum Evangelium agresti populo explicare, vigilias, festosque dies denunciare, & explanare Religionis Christianæ rudimenta, ut definitum legitur a Sacris Congregationibus apud *Nicol. in Flosc. Verb. Missa. n.30. & 31. & Bassum de Sodalit. in miscellan. n.41.* & statuit *Sacratissimus Princeps noster* in Constitutione sua, cujus initium est: *Et si minime*: lata *die 7 Februarii anno* 1742. Licere demum Rectori die festo S. Laurentii Titularis Ecclesiæ, invito, & inscio Parocho Vesperas, & sacrum agere ritu solemni, ut centies ab hac sacra Congregatione decretum est: Hæc Rector. A Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis Amerinæ, & Parocho Montis Campani nihil habuimus. Dubia sunt.

I. *An Benedictiones, & distributiones Ovorum, Cinerum, Candelarum, & Palmarum, & si non sint de juribus merè Parochialibus, expleri tamen possint a Riccetti Cappellano, etiam cum pulsatione Campanæ; sive potius privativè spectent ad Parochum?*

II. *An pœna suspensionis sustineatur in casu &c.*

III. *An liceat eidem Cappellano celebrare Missam in die festo ante Parochialem cum explicatione Evangelii in casu &c.*

IV. *An liceat Cappellano facere solemnem Officiaturam cum Missa, & Ritu solemni præsertim in die S. Laurentii Titularis Ecclesiæ, Parocho inscio, atque invito?*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad II. Negative. Ad III. Affirmative, & quoad explicationem Evangelii prævia licentia Episcopi. Ad IV. Affirmative.

INDEX

INDEX CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

Omnium quae in citatis Causis Continentur.

A

B

C

Mul-

E

F

H

I

Pla

Quæ

S

T

V

FINIS.